
V
B
J
C
24244
Mag. St. Dr.
[redacted]

HISTORIA
REFORMATIONIS
POLONICÆ,

In qua

Tum REFORMATORUM, tum ANTI-TRINITARIORUM origo & progressus in POLONIA & finitimis Provinciis narrantur.

Authore STANISLAO LUBIENIECIO,
Equite Polono.



FREISTADII,
Apud JOHANNEM ACONIUM.

cIɔ Iɔc LXXXV.

LECTORI S.

R Eformationis Polonicæ brevem hanc historiam, licèt ab Auctore ad umbilicum nondum perductam, haud indignam luce publica judicavimus, quia multa quæ vix alibi reperiantur de initiis Reformationis in Polonia, deque Antitrinitariorum origine, complectitur. Optandum certè fuisset ut ultima manus Auctoris ei imponeretur, Sed quandoquidem præmaturo ereptus est fato, hoc tibi, LECTOR, damus quod possumus, plura & accuratiora dicturi, si ad manus nostras pervenissent. Ne tamen prorsus imperfecta prodiret Historia, curavimus addi ad finem binas literas, quibus calamitates Antitrinitariorum priusquam è Polonia ejicerentur, eorumque miserum exilium graphicè pinguntur. Et ne quidem ignores quis fuerit Lubieniecius, en tibi vitæ ejus brevem descriptionem ab uno ex filiis ejus adornatam.



Vita

STANISLAI LUBIENIECII

Equitis Poloni

hujus Historiæ Auctoris.

STanislaus Lubienietzki de Lubienietz Rolitius Eques Polonus, ex Patre Christophoro Lubieniecio Rakowiensi Ministro cujus mentio in Bibliothecâ Antitrin. p. 142. Matre Catarina Philippovia, natus est Rakowiæ Anno 1623. d. 23. Augusti; Non, uti in Bibliothecâ Antitrinitariorum, 1625. Patrem habuit egregium, studiorumque suorum promotorem diligentissimum, Testis ipse Lubieniecius in carmine quodam Polonico (non pauca enim pia carmina lingua vernacula composuit) dum Divinam benignitatem etiam eo nomine celebrat. Is non contentus privatos ei adhibere præceptores, ipse quoque diligentem operam navavit ut quàm optimè tam in pietate religionis Christianæ educaretur, quam bonis artibus imbueretur. Succrescebat in spem Ecclesiæ, primùm in Rakoviensi gymnasio domi, dein Kiselinium missus, ubi per aliquot annos operam dedit studiis, tùm proprio quo flagrabat amore discendi, tùm etiam parentis optimi sæpius excitatus & literis & etiam præsentia. Sic egregia ad virtutem sectandam à prima juventute habentem adminicula voluntas parentis Kiselinii ad 18. ætatis annum detinuit. Inde revocatum, cognitione Juris patrii instructum, secum solebat ad Comitia aliosque conventus Regni Nobilium ducere, vel mittere; notitiæque Virorum in patria insignium tradere, omnibus iis imbuere quæ & Christianum & Poloniæ Regni indigenam decebat Nobilem, quippe qui ad Serenissimi Regis Poloniæ, qui hodie tanta cum gloria regnat, familiam quarto consanguinitatis gradu remotus, pertinuerit.

Sic per aliquot tempus in patria detentum misit Thorunium, tam ad capiendum profectum humaniorum literarum, quàm in specie, Linguæ Germanicæ addiscendæ gratiâ, ubi duos annos exegit. Postea contigit Thorunii famosum illud colloquium Charitativum, ubi Jonæ Slichtingio & Martino Ruaro, qui eò Ecclesiæ nomine venerant adfuit, non otiosus quidem, nec incuriosus rerum ibi gestarum, uti testantur Acta istius Colloquii ab ipso conscripta, ut & privata colloquia quæ ipsi aliisque, cum viris doctis intercesserunt. Revocavit deinde Pater, eumque in exteras regiones lustrandæ Europæ causa mittere decrevit. Tum traditus est ipsius curæ à Tutoribus Dominus Stephanus Comes de Niemirycz qui nuper, Palatinus Kioviensis, Regni Poloniæ Senator & rebus gestis clarus, in vivis esse desiit. Illustrissimo huic Juveni sollicitus inspector in Hollandia Galliaque ita præfuit, ut singularem gratiam reversus ab exteris & laudem meritus fuerit. Ubique strenuè studiis operam dedit, linguas varias addidicit, amicitiam bonorum & doctorum ambivit, obtinuit, confessionem Religionemque suam ubique condecoravit, cum viris eruditissimis ut ex illorum responsis videre est & oretenus & calamo de variis materiis Theologicis contulit, eum præsertim spectans finem, ut ostenderet religionem suam non mereri ut tantis odiis exciperetur, quin imò tolerari posse & debere tolerare paratos. Patet id, inter alia, ex prolixâ celeberrimi Ludovici Capelli ad eum epistolâ, qua probare conatur id fieri nullo modo posse. Aliquot annis peregre actis post mortem Patris qui obiit 1648. post periculosissimam in Oceano, cùm ex Gallia in Hollandiam tenderet, navigationem cujus carmine vernaculo mentionem facit Deoque ob liberationem gratias agit, patriis laribus redditum multi ad se evocabant, etiam egregia offerentes honoraria. Imprimis movebat Ecclesia ad Ministerium verbi Divini invitans, quod tamen modesta ejus de se ipso opinio statim aggredi vetuit. Anno 1652. d. 12. Jan. in uxorem duxit Sophiam, filiam viri in Patria nobilis propter piam Ecclesiæ in agro Piellæ collectæ curam, cujus fuit patronus, in Ecclesia conspicui; & propter judicium solidum & alias animi dotes, vicinis accepti, ut etiam litibus obortis adversæ partes, quamquam diversæ religionis ad ejus sententiam provocarent, auditæque acquiescerent. Is fuit Paulus Brzeski Zegotæ, qui à Reformatis ad Unitarios Christianos transierat. Taceo, quos mors immaturior sustulit. Eodem Anno 1652. Domino Johanni Ciachovio verbi Divini Ministro Siedliskiensi in coadjutorem datus est, ubi cum in Ecclesiâ & prudentiam suam & eruditionem, abundè probasset, est Pastoris ipsi in Synodo Czarkowiana ab Ecclesiâ, cum invocatione nominis divini, impositum munus, & ordinatus est ad ipsam Czarkowianam Ecclesiam regendam. Sed vix biennio ibi pace frui datum est. Anno enim 1655. ingruens tempestas belli Svecici sedibus expulit nostros, quorum pars, (uti ex vitâ Andreæ Wissowatii, etiam ex Lubieniecii ipsius tractatu, qui ultimus est in Bibliothecâ Antitrinitariorum, & aliunde patet) sub præsidium Regis Sveciæ concedere coacta est, inter quos & noster cum sua familia Cracoviam venit. Anno 1656. d. 6. Aprilis. Ibi colloquia Christiana cum Jonâ Slichtingio inchoata, unde ejus Commentarius in Joannem primum, deinde reliqui, de quibus ut & aliis quæ hic memorari debent, videatur nostri Stanislai epistola, quam operibus Jonæ Slichtingii præmisit. Totum tempus Cracovianæ commorationis noster, cum reliquis Ministris prædicatione verbi Divini frequentibus jejuniis, precibusque transigebat, ipseque præterea in gratiam Unitariorum

rum Ungarorum, qui cum Principe Rakoci Cracoviam venerant, Latinè concionabatur, sacramque Eucharistiam administrabat. Deditâ urbe Polonis, Unitariis nostris quos iniqua sors Cracoviam compulerat abitum in sua quisque domicilia parantibus, Jonas Slichtingius Anno 1657. d. 30. Augusti cum Svecico egressus est præsidio, cui sese noster adjunxit Stanislaus, cum Christiano Stegmanno, ut id obtinerent apud Regem Sveciæ, ut Unitarii Christiani qui ejus præsidio gaudebant, in Tractatibus cum Rege Regnoque Poloniæ, amnestiæ includerentur, ne eorum adversarii, reliquis qui Regi Sveciæ adhæserant in gratiam receptis, Unitarios ex odio religionis excluderent. Pervenit Stetinum, inde Volgastiam 7. Octobris, ubi à Rege Sveciæ benignè exceptus (prout & antea Cracoviæ) mensæ Regiæ adhibebatur. Nihil tamen ibi in præjudicium Patriæ, quemadmodum iniqui rerum, ut hominum, æstimatores ex his similibusque circumstantiis concludere amant, agitavit. Cum in Pomeraniâ commoraretur Tractatus pacis expectans, in Magnatum Sveciæ familiaritatem facile venit, aliorum antea contractam amicitiam renovavit, confirmavit, commercium cum iis litterarum habuit ubique testimonium veritati, Rege Principibusque ultrò lacessentibus, perhibuit. Non defuerunt præsertim Stetini Lubieniecio adversarii, quorum odia Theologica expertus est, illaque Concionatores etiam ad rudem plebeculam, propagare conabantur, inter quos primarius fuit Johannes Micrælius vir Stetini celebris. Similia quoque Stralsundi expertus est noster, similia tamen ubique veritati dare testimonia non neglexit. Imprimis Elbingæ Anno 1659. non semel cum Illustribus Commissariis ad pacem cum Polonis faciendam, Comite de la Gardie & de Slippenbach ad mensam ejus, ab ipsis provocatus cum

cum ipsis & doctis ibi Theologis disputavit, quemadmodum etiam coram summo Sveciæ Thalassiarcha Comite Wrangelio Volgasti, Stralsundi, & Hamburgi postea. Accidit Elbingæ, cum gravi obsidione Stetinum à Cæsareanis & Brandeburgicis premeretur, ubi conjux Stanislai cum liberis obsidii incommodis graviter affligebatur, ut Comes Slippenbachius polliceretur Stanislai nostri Religionem, amplecti, modò id à Deo precibus obtineret, ut Stetinum urbs non satis munita nec rebus ad obsidionem tolerandam necessariis instructa, de cujus liberatione propterea desperabant, liberaretur ab hostibus. Lubieniecius imprimis suorum miseriâ motus, tribus hebdomadibus & precibus ad Deum ardentibus & jejunio frequenti comsumptis, veniens ad Comitem, urbem extra periculum esse affirmavit, bonoque eos esse animo jussit. Comes adstantesque insanire eum putabant, præsertim quod ab iis reversus, in morbum inciderit. Ejus vero assertio post sex dies litteris Stetino liberato datis confirmata, graviter perterrefecit Comitem. Id enim temporis Lubieniecius à nemine certus hac de re fieri potuit. Promissum cum Lubieniecius, pro suâ cum Comite familiaritate, aliquando reposceret, dixit ille, sese in genua procubuisse Deumque orasse patefaceret sibi, num Religio Lubieniecii suscipienda esset, nec ne, sed à Deo in confessione Augustanâ confirmatum esse. Inde Olivano profectus est, ubi Tractatus inter Sveciæ & Poloniæ Reges constituebantur, diffidentibusque in Religione cautum est, quos cùm altera pars excipere videretur, Regis Sveciæ commissarii, manifestationem in lucem dederunt, Anno 1660. $\frac{11}{21}$ May (quæ etiam typis exstat expressa) omnes cujuscunque Religionis diffidentes conditionibus pacis inclusos esse, eo ipso testati, non satis factum con-

conditionibus pacis. Cum sic nulla spes esset in patriam nostris redeundi, Lubieniecius Stetino mari cum familia Hafniam profectus est ea intentione, ut sibi & fratribus, Polonia pulsis, in ditione aliqua Serenissimi Daniæ Regis Friderici III. locum habitandi impetraret. Hafniam venit 28. Novembris Anno 1660. ubi Magnatibus visis in gratiam eorum venit, tùm propter dotes ingenii, tùm propter relationes rariores quas ex commercio litterarum habuit, quæ etiam Regi non semel lectæ officium illas Regi perscribendi, ipsi pepererunt. Anno. 1661. 23 Januarii optimum Regem, Reginam, Regios Principes utruisque sexus, salutavit, benigne exceptus; nihil tamen Rex quam se connivente, posse nostros Altenaviæ habitare seorsim Lubieniecio dixit. Solebat enim Rex, quotiescumque Lubieniecium in Aulâ conspexit, relictis cæteris, eum propius ut accederet compellare, & de Religionis capitibus imprimis colloqui. Quæ res invidiam etiam creavit Lubieniecio, timentibus Theologis, ne Rex fieret Arianus. Non otiosus ibi vixit Lubieniecius, cum legatis diversorum Regum & Principum colloquia sæpius instituit, unde commercii literarum augebatur materia, quam viris Clarissimis denegare non potuit. Inde de Unitariâ Religione mitior apud multos sensus: de confessione Lubieniecii variæ quæstiones, ut & de Ecclesia & fratribus ejus. Satisfecit & eruditioni opponentium & subrilitatibus, magna utens parrhesia qua Regia Hafniensis & Bibliotheca personabat.

Sic & postea sæpius interrogatus, rationem spei suæ reddebat Archiepiscopo Daniæ Domino Johanni Schwaningio & aliis Theologis Hafniensibus modestè sensa sua proferens, id enim pro virili cavebat ne ansa daretur calumniis, & diceretur venisse ut Hæresin disseminaret, sub prætextu flagitatæ protectionis, Caussam Ecclesiæ ubique egit, imò hoc

hoc ipsius unicum fuit studium, ut commodas exulibus inveniret sedes, eosque præcipuis in Dania exterorum Principum legatis summâ curâ commendabat, occasiones omnes Magnatesque tentabat. His aliquandiu occupato, abitum dein adornanti postquam Regi primum, Reginæ (quæ etiam ipsa à Lubieniecio Religionis capita audivit) Regisque principibus valedixisset, oblatum est à Rege honorarium, rogatusque est ut quæ in Europa geruntur per litteras Aulæ Regiæ referret, certus de annuo Regis salario. Sic dimissus Stralsundiam navi pervenit, inde Stetinum 11. Junii 1661. ubi more solito res agens ad communitatem pertinentes, fratres per litteras confirmabat, consilia subministrans, erigens solatiis, quid de loco habitationis sperandum esset docens, ac visitans. Tacemus alia ejus propter id suscepta itinera, labores, sumptus, molestias. Sic & commercio literarum cum tot viris clarissimis, & Ecclesiæ vacavit, sed non diu Stetini. Recrudescente enim odio adversariorum migravit eodem ipso anno Hamburgum. Familia vero anno sequenti 1662. Ibi statim cum Regina Christina colloquia sacra & sæpius habita, præsente Oratore Cæsareo aliorumque Principum, nec non Duce Meklenburgico à quo postea invitatus, respectu exulum Polonorum benignam declarationem retulit. Inde Hafniam iter terrâ suscepit venitque 7. Februarii 1662. ibique continuando relationum perscribendarum officio. commodissimus locus Hamburgum visus, & constitutus est: A Rege liberaliter habitus sæpiusque ad privata colloquia admissus est. Sed & cum M. Eryco Gravio Aulico concionatore & confessionario suo Rex eum commisit, ipseque disputationi adfuit, cum Christophoro Pasbergio Gubernatore Regii Principis postea Regio senatore & Vice-Cancellario; deinde cum Daniele Pheisio concionatore Germanico. Quis fuerit eventus disputa-

ſputationis, vel ex eo concludere licet quod ille Lubieniecio, Chriſtum vocari *primogenitum ex mortuis* ad incitas redactus, negaverit, hic vero affirmaverit Johannis 17. non dici, ut ſint unum ſed, *ut ſint in unum ſicut nos unum ſumus*. quos coram Rege ipſe noſter prolatis quæ in promptu habuit Bibliis pudorem ſuffudit. His pactis diſceſſit Hafniâ, venitque Fridericopolim, ibique à Magiſtratu urbis obtinuit ut exules in communionem & ſacram & civilem reciperentur privatumque in ædibus more Polono exercitium Religionis peragerctur; quod etiam per literas Fratribus ſignificavit. Lubieniecius in id laboravit, nec ſumptibus pepercit & damnum rei familiaris ſubiit, quo poſſet eò fratres deducere, deductis ſuccurrere, donec ex urbe ſecedere juſſi ſunt à Principe Holſatiæ, quod debent partim Domino Superintendenti Lutherano Joanni Rembotto. Iſta ſedes ut & Manheimiana ſub Electore Heidelbergenſi (qui duo loci paucitati exulum remanentibus aliis, in confiniis Poloniæ, ſufficiebant) circa quam multa egit obtinendam tantopere laboravit, teſtis eſt Lubieniecium non ita commercio literarum (quæ etiam ad propagationem Religionis non parum fecerunt) occupatum fuiſſe, quin vacaret ſemper de commodis fratrum exulum agere. Fredericopoli venit Stetinum ad uxorem, quam etiam Hamburgum d. 29. May 1662. adduxit. Quid illic loci egerit per totum vitæ tempus, aliquatenus cognoſci poteſt ex epiſtola Gallica quam ſub finem vitæ ſuæ ſcripſit, ex catalogo operum ejus in Bibliotheca Antitrinitariorum, ex colloquio cum Regina Sveciæ Anno. 1667. cum Principe Friderico Brunſvicenſi, Landgravio Haſſiæ Georgio Chriſtiano, Comite Palatino Saliſburgienſi & aliis Principibus. quorum colloquiorum partem literis mandavit. Hoc Anno Gluckſtadii quo Rex advenerat filiam traditurus in uxorem Chriſtiano Alberto Principi Holſatiæ, Regi Daniæ coram tota Aula Commentarios Crellii & Slichtingii tradidit 8. Septembris, qui Rex Lubieniecium poſt prandium aliquoties advocans familiariter cum ipſo de libertate Religionis & de Trinitate loquebatur. Regi poſtea Altenaviæ adfuit, eidemque in arce Gottorpienſi tractatum ſuum *Gluckſtadia vera Tychopolis*, obtulit. Magiſtratus vero Hamburgenſis ad importunam Sacerdotum inſtantiam ut urbe excederet denunciavit, idque Magiſtratu ſæpius repetente, Lubieniecio fruſtra innocentiam ſuam & Regis protectionem opponente, ad Regem profectus eſt Hafniam; eo abſente uxor, jubente Rege, Altenaviam migravit. Oblatis Hafniæ Theatri Cometici Regi, Regiiſque Principibus primis exemplaribus, reverſus domum eodem anno Hollandiam abire coactus eſt, ob iniquitatem & verſutiam eorum per quos Theatrum Cometicum imprimi curavit. Poſt annos aliquot conſilio amicorum, credentium jam de furore remiſiſſe adverſarios, ob commoditatem dirigendarum litterarum Hamburgum ſe contulit cum familia, ſed nimis vigilantem expertus eſt Dominum Edſardii Licentiatum Theologiæ, qui indefeſſo ſtudio id egit, ut cum collegis ſuis magiſtratum incitaret ut Lubieniecius urbe ejiceretur. Dignus qui hic nominetur, gloriatur enim, ſe authore Lubieniecium cum familia urbe exactum. Imo propter Miniſtrorum zelum qui etiam ex cathedrâ in templo cum abſente Lubieniecio diſputabant, eumque hæreticum, teterrimamque civitatis peſtem proclamabant; ut ex Lubieniecii manuſcripto colligi poteſt, quod jam fecerant cùm primâ vice per Hamburgum Hafniam tranſiret Anno 1657. Lubieniecio ante migrationem, domo exire non ſemper tutum fuit. Cum iterum iterumque inſtaret, ut antea fece-

fecerat, Magiſtratus, urbeque per nuntios Lubieniecio interdiceret, fruſtra Secretariatum Regis Poloniæ obtendenti nihilque proficientibus ejusdem Regis intercesſoriis, in lethalem incidit morbum. Decumbenti jam, ultimum allatum eſt decretum urbe ut migraret, cui etiam ſeſe obſecuturum dixit. Cauſa morbi fuit venenum, ignotum ubi infuſum; non ut confidenter affirmat ad denigrandos Lubieniecii domeſticos adverſarius ejus Edſardius, (qui hujus infortunii ſeriem occaſione datâ enarrare voluit,) quod vitio religionis Lubieniecii adſcribit, non cogitans multos tam ex Lutheranis Reformatiſque quam Pontificiis pejori, non tantum ſimili, fato animam exhalaſſe, quaſi hujus cladis ipſa conjux filiæque occaſionem per imprudentiam dediſſent. Sed nimis injurius eſt veritati. Venenum enim ambas filias confecit. Uxor etiam quod tantillum de cibo ſumſiſſet, vix à limine mortis revocata, mortuis filiabus poſt brevem morbum patrem vis veneni lecto affixit d. 12. May. Serius genus morbi à Medicis agnitum, eorum tamen ope melius ſeſe habere cœpit, & ſpes vitæ non exigua affulſerat, ita ut etiam è lecto ſurgere potuerit & carmina funebria filiabus ſuis compoſuerit die 16. Pejus verò illo ſeſe poſtea habente, medici iteratò ſubmiſſum venenum dixerunt. Die 18. igitur May. Anno 1675. quo nondum 51. annum attigerat, Commendato ſpiritu in manus Jeſu ſalvatoris ſui, cui fideliter ſervierat, exceſſit è vita toto tempore ægrotationis ad extremum ferè halitum, ſermones habuit plenos in Deum, fiduciæ & interni gaudii, domeſticorum benedictionis, admonitionis, nominis Divini invocationis. Sic vixit Lubieniecius convenienter ſuo ſymbolo *ſtand Lubentius moriar*. Eccleſiæ, ſuorumque decus, Regibus Sveciæ, Daniæ, Galliæ, Poloniæ, &c. Ducibus, Principibus, Magnatibus Europæ imo omnibus acce-

acceptus, ſi Thelogos acerbiores iiſque mancipatos excipias. Sunt ad ipſum diverſarum Religionum Theologorum familiares epiſtolæ. Quis autor mortis fuerit non facile divinare, imò, nec cui fiat injuria, nec divinare licet. Certum eſt, adverſarios multos habuiſſe Lubieniecium, non tamen ob ſcelera & impietatem ſed ob avitam Religionem & confeſſionem omni occaſione datâ viriliter propugnatam, quo factum eſt ut latere non potuerit. Nec minus eſt certum, inquiſitionem quæ in hujuſmodi caſibus adhiberi ſolet, à magiſtratu non eſſe inſtitutam. Funus Altenaviam Hamburgo deductum legitimo prohibuiſſent Concionatores ſepulcro, niſi jam in templo Altenavienſi emptum fuiſſet; nihil tamen omiſerunt quo impedire poſſent, quod potuerunt effecerunt, ne, ut ibi moris eſt, in exſequiis Scholarum Rectores cum diſcipulis funus comitarentur. Sit ipſis benignior Deus quam illi fuerint proximo ſuo ob Religionem duntaxat & Conſcientiam graviſſimè vexato.

Sacræ Regiæ Majeſtatis Regnique Sveciæ ad Pacificationem in Pruſſiam Legati commiſſarii Plenipotentiarii.

NOtum teſtatumque facimus, quod licet à religione Romano-Catholicâ in Regno Poloniæ Magnoque Ducatu Litvaniæ, diſſidentes, in Moderno Inſtrumento Pacis Sueco-Polonicæ Articulo, de Amneſtia 2do per expreſſum non ſint nominati, dicta tamen Amneſtia tam generalis quam ſpecialis, etiam illos concernat, eaque ipſi totâ frui debeant. Neque enim Legationi Svedicæ mens fuit, ullas Leges antiquas & antiquitùs, contra Hæreticos ſic dictos ſancitas, vel etiam novas durante hoc bello (quo meritò præſumi debet ac poteſt,

poteſt, nihil eſſe innovandum) latas; hoc tractatu confirmandi, ſed potius, ut hâc Pacificatione cuncta in eum ſtatum, qui ante hoc bellum fuit, reducantur, nec cuiquam, quòd partes ſacræ Regiæ Majeſtatis Sveciæ ſecutus fuerit, ſub quocunque prætextu, noxæ & fraudi, ſit, efficiendi. Ac proinde declaramus ac teſtamur, verba in §. 2°. præfati articuli: *Secundum leges Regni* : ex parte noſtra non aliam vel antè hac admiſiſſe vel etiam nunc admittere interpretationem poſſe, quàm ut unusquisque, ſine exceptione & cujuscunque ſtatus, Conditionis ac Religionis ſit, gaudere debeat juribus, privilegiis & conſuetudinibus, tàm in Eccleſiaſticis quam profanis, ſecundum leges Regni, ſicut ante hoc bellum obſervatum fuit. In cujus rei fidem præſens atteſtatum manibus noſtris ſubſcripſimus, & ſigillo Legationis majori roborari fecimus. Soborhi die $\frac{11}{21}$ May Anno 1660.

Comes Magnus de la Gardie.
Benedictus Oxenſtierna.
Chriſtophorus Carolus Schlippenbach, a Guldenclauw.

(L.S.)

Godefredus van Schroër,
Legationis Secretarius.

I N-

INDEX CAPITUM

LIBRI I.

1. PRimæva in Jeſum Chriſtum fides ſtatim altero ſeculo poſt exceſſum Apoſtolorum corrumpi cæpta, æquè ut Eccleſia Judaica quæ etiam ſtatim poſt obitum Joſuæ & ſeniorum corrumpi cæpit. Quarum converſionum periodi demonſtrantur. pag. 2.
2. Deus poſt tempora Apoſtolorum Eccleſiam ſine teſtimoniis & inſtitutione veritatis non reliquit. 5.
3. Gradus corruptionis eccleſiaſticæ indicantur. 10.
4. Gradus Reformationis demonſtrantur. 11.
5. Quomodo reformatio præparamentis ſub Sigiſmundo I. factis in Polonia cæperit ab Anno 1546. ad 1550. incluſivè Rege Auguſto. Hujus res geſtæ primò breviter memorantur. 14.

LIBRI II.

1. QUomodo divinæ veritatis ſemina ex Italia in Poloniam per Lælium Socinum Anno 1551. allata fuerint. 38.
2. Qua ratione Liſmaninus ad veritatis cognitionem & publicam profeſſionem pervenerit quove ſucceſſu. 40.
3. De his quæ factum Liſmanini in Polonia ſecuta, & aliàs in negotio religionis geſta ſunt. 47.
4. De proſcriptione abſentis Liſmanini, & perſecutione ulteriori Confeſſorum veritatis per Andream Zebrydovium Cracovienſem Epiſcopum facta. 55
5. De Serveti, Valentini Gentilis, Joan. Sylvani & Bernerdini Ochini dogmatibus & morte & non nihil de Paulo Alciato & Matthæo Gribaldo ac Adamo Miniſtro Heydelbergenſi. 96.
6. De initiis Puræ Eccleſiæ Chriſti per ſententiam Serveti de præeminentia Patris à Petro Goneſio in Poloniam allatam à Georgio Blandrita & Franciſco Liſmanino interveniente & utrumque iſtorum exercente & excitante Franc. Stancari de Mediatore contentione defenſam factis. 111.
7. De præeminentiâ Patris per Gregorium Pauli confirmatâ, & Eccleſiâ Chriſtianorum Catholicorum formatâ & ſtabilitâ poſt ſchiſma à Staniſlao Sarnicio factum. 131.
8. De progreſſibus veritatis in Litvania ab An. 1558. in provincia Cracovienſi ab Ao. 1559. præcipuè in articulis de Filio Dei, de Spiritu S. & de baptiſmo illuſtratæ: tum de colloquio Petricovienſi Anni 1562. aliisque rebus memorabilibus. 144.
9. Hiſtoria de Deſpota Principe Valachiæ, qui in Polonia degens & veritatem Chriſtianam amplexus à Laſco Lalocio & Philipovio principatui avito reſtitutus, à ſubjectis interemtus eſt. 153.

LIBRI III.

1. Quo deſcribuntur progreſſus veritatis, ſtudia Sarnicii & diſcordiæ pro diſcordia, contra Lutomirſcii & Gregorii ac aliorum pro concordia. 158.

2. Quo

2. Quo describitur effectus discordiæ: excessus Lismanini è Polonia & vita: persecutio post edictum Partzovianum anni 1564. & lites Pontificum adversus Erasmum Otphinovium, tùm Judæum Lublinensem & Semiconiem Aulicum Regium de violato Sanctissimo, ut vocant, sacramento, ubi obiter & de Franco di Franco Italo ac Ivano Tiscovicio Polono Christi martyribus dictum. 168.
3. De Pædobaptismo oppugnato, expugnato, ejecto. 175.
4. De persecutionibus ob impugnata dogmata de Trinitate & Pædobaptismo à Pontificiis & Calvinianis adversus veritatis confessores excitatis 193.
5. De exorto aperto Ecclesiarum Schismate posthabitum in conventu Petricoviano 1565. colloquium. 201.
6. Tabulas ultimæ voluntatis Georgii Schomani, ita integram vitæ & mortis, tum plurium actuum Ecclesiasticorum historiam continens. 207.
7. Certamina de Sp. S. persona & Deitate continens. 208.
8. De studiis concordiæ inter tot sententiarum dissidia, & certamina, præcipue de Synodis Lancutensi & Scrinensi Anno 1567. habitis. 214.
9. De Reformatorum odio in cultores veritatis in Synodo Cracoviensi Anno 1565. exercita, quæ res Andreæ Duditio præbuit offendiculum & sic incentivum subdidit ad inquirendam veritatem de cujus vita & morte paucis dictum. 221.
10. De itinere à Philipovio & Schomano in Moraviam suscepto, & de fratribus Moravis. 227.
11. De bello Trinitario in Transylvania orto, & certaminibus Georgii Blandratæ & Fausti Socini adversus Franciscum Davidis pro Christo invocando susceptis. 228.
12. De fundata Racoviâ, & Synodo quæ ibi aliquot annis duravit, habitis de rebus fidei per multos viros pios colloquiis, multis & illustribus divinæ providentiæ super locum illum argumentis usque ad ruinam ejus 1638. factam. 239.
13. De Ecclesiæ Lublinensis ortu, progressu, fine, ubi & de Gozdoviensi ac Zapoviensi Ecclesiis. 253.
14 De eadem Ecclesia Lublinensi primum Piascios, inde Siedliscios translata, tandem nupera Suecica calamitate unà cum reliquis dispersa. 269.
15. De Ecclesiis Submontanis, cumprimis de antiquissima & celeberrima Ecclesia Luclaviana in provincia Cracoviensi ubi & de Fausti Socini morte agitur. 272.
16. De Ecclesiis in provinciis Voliniæ & Kioviæ. 276.
17. In quo fragmento quædam ad sequentium temporum Historiam pertinentia afferuntur, in quibus præsertim quomodo Unitarii Poloniâ ejecti sint post varias persecutiones narratur. 278.
18. Exemplar Epistolæ Unitariorum Exulum ad NN. 285.

H I-



HISTORIA REFORMATIONIS POLONICÆ

In qua tum Reformatorum, tum Antitrinitariorum origo & progressus in Polonia & finitimis Provinciis narrantur.

LIBER I.

Quo demonstratur, qui Deus pro immensa sua sapientia & bonitate ab initio veritatis Apostolicæ cum hominibus sequentibus seculis egerit, quique per certos gradus reformationem Ecclesiæ in Polonia inchoarit.

Præloquium.



Um in rebus humanis, consentiente omnis memoria ævi, & suffragante omnium prudentum consensu, ratione & experientiâ fulto, historia res sit præstantissima & maximè utilis, nemo non videt rem me aggredi permagnam & ratione religionis, rei divinissimæ, & per omnia ac inter omnia maximæ, per difficilem. Nam cum religione constent Respub. benè ordinatæ, eaque animi & affectus hominum ducantur, perquam arduum est citrà quoddam præconceptæ opinionis hinc illinc invidiæ periculum, historiam ejus prosequi. Nisi quòd veritatis ingenuæ, & rei ex fide narratæ beneque gestæ conscientia instar mille testium, & omni exceptione major sit. Ego certè in hoc opere tractando industriam & fidem probabo, & cuncta boni publici studio fideliter & dilucidè expli-

explicabo, certæ fidei nixus documentis, ut & meæ conscientiæ, & alienæ expectationi ac salutis curæ satisfaciam. Spero autem divinâ assistente gratiâ, me diligentiæ horum non pauca, fidei illorum longè plura additurum esse.

CAPUT I.

Primæva in Jesum Christum fides statim altero seculo post excessum Apostolorum corrumpi cæpta, æquè ut Ecclesia Judaica quæ etiam statim post obitum Josuæ & seniorum corrumpi cæpit. Quarum conversionum periodi demonstrantur.

UT à capite rem arcessam, tota Christiana religio confessione brevissima Jesum à mortuis resuscitatum esse Christum, Filium Dei ac Regem cælestem, & professione vitæ hac sanctissima fide dignæ absolvitur; quod ita & expressis sacris Literis testatum, & communi Christianorum judicio approbatum est, ut solum semper fuerit & futurum sit dogma Catholicum, & ad salutem æternam consequendam unicè necessarium. Hanc tam simplicem fidei confessionem mox ab excessu Apostolorum tot commentis & abusibus corruptam esse haud immeritò mirari quis posset, nisi Spiritus S. toties præmonuisset post excessum Apostolorum subintrare, & ex ipsis Ecclesiæ senioribus & Rectoribus oriri debuisse homines perversos gregi non parcentes, eum luporum instar lacerantes, aliena docentes, sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi non accedentes, & ei quæ secundùm pietatem est doctrinæ non acquiescentes, falsos magistros, crucis Christi inimicos, & id re ipsa evenisse historia Ecclesiastica indicasset, sicut mox visuri sumus. Tàm citò porrò à morte Apostolorum corrumpi divinam veritatem cæpisse nemo mirabitur, qui idem planè in Ecclesia Judaica factum esse recordatus fuerit, cum simile testimonio illi quod Egesippus, Auctor temporibus Apostolicis proximus,

mus, & fide dignus, apud Eusebium Pamphili præcipuum, licet partium studio multum obnoxium, historiæ Ecclesiastiæ scriptorem, de corruptione Ecclesiæ excessum Apostolorum è vestigio subsecuta, reliquit, in Scriptura S. habeamus. Ita enim, in historia judicum legimus. *Servieruntque populus Domino omnibus diebus Jehosuah & omnibus diebus Seniorum, qui prolongaverunt dies post Jehosuah, qui viderunt omne opus Domini, magnum quod fecit Israëli. Et mortuus est Jehosuah filius Num servus Domini, Vir centum & 10. annorum. Et sepelierunt eum in termino hæreditatis ejus in Thimnath Heres in monte Ephraim ab Aquilone montis Ghabas. Et etiam omnis generatio illa congregata est ad patres suos, surrexitque generatio alia post eos, qui non noverunt Dominum, & etiam opus quod fecit Israëli, feceruntque filii Israël malum in oculis Domini & servierunt Behalim. Et dereliquerunt Dominum Deum Patrum suorum, qui eduxerat eos è terra Ægypti, & iverunt post Deos alienos*, c. 11. ℣. 7. & seqq. Quibus verbis, si quid ego video, illa sunt parallela, quæ Egesippus scriptor jam jam memoratus (qui Eusebio teste *sinceram prædicationis Apostolicæ traditionem simplicissima Historiæ structura commentatus est*, adeo ut illa præclari ingenii monumenta iniquitate temporum periisse merito doleamus, & fragmenta quædam apud Eusebium læti legamus) memoriæ reliquit, dum & ille describens mortem Simeonis Cleopæ, qui vel Apostolorum, vel Apostolicorum virorum ultimus, Episcopus Hierosolymitanus anno Christi CXI. ætatis 120. diem suum obiit, in eandem sententiam & velut è regione loquitur: *Ad hæc usque tempora, Virgo pura, & incorrupta mansit Ecclesia, iis qui sanum salutaris prædicationis canonem corrumpere conati sunt, si tum aliqui fuerunt, in obscura quadam caligine delitescentibus. Postquam autem sacer Apostolorum chorus differentem sortitus est finem, & generatio illa præteriit, quæ divinam sapientiam suis auribus audire meruerat, tunc impii erroris conspiratio per seductionem eorum, qui alienam doctrinam tradebant, initium cæpit, & quoniam nemo amplius superstes erat ex Apostolis, jam nudo vertice contrà veritatis prædicationem falsi nominis scientiam ex adverso præ-*

prædicare conati sunt. l. 3. Histor. Eccl. c. 29. Et cur miretur quispiam & Judaicam Ecclesiam post obitum Josue ac seniorum, & Christianam post Apostolorum & virorum Apostolicorum obitum extemplò corrumpi cæpisse, cum & vivis Ducibus ac Magistris suis utraque non tantum ægrè in mandatorum obedientia & veritate, purâ permanserit, sed & ex parte depravata fuerit, & prædictionem de futura defectione voce divina acceperit. Exod. XXXII. 8. Deut. IX. 16. XXXI. 27, 28, 29. Rom. XVI. 17. & seqq. Gal. III. 1. V. 1. & seqq. Philip. III. 2. & seqq. Act. XX. 29. 30. & alibi. Atque hoc est insigne libertatis, sed & fragilitatis humanæ documentum. Quæ quidem utraque in utriusque Ecclesiæ illustri exemplo verbis sacræ & Ecclesiasticæ historiæ exhibito manifestò cernitur, observatis utrobique notatu dignis periodicis conversionibus: quas, licet rationes illæ Chronologorum multum sæpenumero discrepent, hic quoque attingere non alienum à proposito fuit. Nam sicut Ecclesia Judaica post Ann. à nato Josua Duce centessimum undecimum, ita & Christiana eodem annorum spatio elapso post natum cælestem Josuam, corrumpi cæpta est. Et sicut illa post liberationem ex tristi servitute Ægyptiaca & duce Mose per mare rubrum, hostes Ægyptiacos suffocans transitum in tutum littus salutis, ita & hæc post liberationem ex tristissima servitute satanica, & duce cælesti Mose nostro per mare rubrum sanguinis in cruce effusi, omnes Ægypti spiritualis hostes suffocans, fideles verò lavans & servans in tutum æternæ salutis littus transitum, annos circiter 70. in integritate permansit. tam citò maximorum Dei beneficiorum & traditæ viva voce ac scriptis consignatæ veritatis oblita. Porrò sicut à transitu Israëlitarum per mare rubrum, & à salute duce Mose parta, ad Joannis, qui cælestis Mosis æternæ salutis nuncium lætum ferentis, præcursor extitit, nativitatem, anni 1517. ita totidem anni ad reformationem à Luthero cæptam, & partam veritate libertatem, intercedunt. Denique ut instituta Christi Ecclesia impleta illa ab exodo Israëlitarum ad Christi præcursorem annorum 1517. periodo, intrà 5. annorum

rum septenarios plenam libertatem sanguine Christi partam, ita & restituta Ecclesia, impletâ simili ad exordium reformationis periodo post annos 30. circa annum scil. 1550. perfectam reformationem & libertatem divino beneficio consecuta est. Atque ita admirandam divinam sapientiam & justitiam, dum ista temporum momenta à Deo nobis rebus ipsis, exhibita, contemplamur licet illa abstrusa consiliorum ejus adyta temerario ausu non invadamus, nec illa temporum momenta, quæ Christo teste, Pater in propria posuit potestate, curiosè exploremus.

CAPUT II.

Deus post tempora Apostolorum Ecclesiam sine testimoniis & institutione veritatis non reliquit.



Ntequam de reformatione Ecclesiæ dicere aggredior, monendum puto, Deum pro inculpata sua justitia, & paterno in genus humanum studio, satis adjumentorum ad salutem consequendam necessariorum benignè cunctis suppeditasse. Reliquit enim & commendavit semper hominibus sanâ ratione & judicio præditis Scripturam Canonicam, quam ut perfectissimam, sufficientissimam & clarissimam veritatis salutaris magistram, infallibilem esse fidei normam, & cuncta ad salutem creditu & factu necessaria continere, & res ipsa docet, & consentiens totius antiquitatis vox testatur. Dabat etiam subinde primævæ veritatis testes, vel saltem, ubi adversa factio prævalens, ingrato usque ad perversitatem & tyrannidem animo, indignam se gratiâ divinâ reddiderat, veriora monentes, licet & ipsos erroribus obseptos, ne præcipiti lapsu in vitia ruentes, & errores erroribus accumulantes sine testimonio veritatis & gratiæ suæ relinqueret. Hic se mihi latissimus dicendi campus aperit, ut testes illos veritatis, licet errorum non immunes, ideò cum delectu & judicii discre-

diſcretione recipiendos, per certas ſeculorum claſſes diſponam. Nempe quarto ſeculo, quo Chriſtianorum impotens Sacri & profani Ordinis potentia, & veritatem & pietatem Chriſtianam magis magisque corrupit, ponerem illos Latinos Eccleſiæ Doctores, & pleroſque Græcorum, aſſerentes prærogativam patris, quem auctorem & cauſam Filii, hunc hominem verum à Deo exaltatum, & Spiritum S. munus Dei, nequaquam Deum dixêre, tùm & arbitrii libertatem & prædeſtinationem de univerſis hominibus, & cum conditione fidei ac obedientiæ factam, ideoque non nudam, ſive ſolam fidem, ſed cum bonis operibus, ut ad ſalutem neceſſariis junctam docuêre. Ponerem Concilia integra, Ancyranum quidem, & Gangrenſe & Toletanum. Clæri. cælibatum, Eliberinum verò imagines damnantia, nec non Carthaginenſe. 3. Solum Patrem ad altare invocari debere decernens. Ponerem Auguſtinum tot veritati conſona, ut panem Euchariſticum eſſe ſignum corporis & paſſionis Dominicæ figuram, corpus Chriſti cæleſtibus ſpatiis contentum, Sanctos ſolâ imitatione adorandos, Mediatorem unum à Deo datum gloriam apud Patrem ante jacta mundi fundamenta in prædeſtinationis certo decreto habuiſſe docentem; Epiphanium imaginem Chriſti quæ in templo ſuſpenſa tunc primùm apparuit lacerantem, & contra Mariolatriam, quæ tunc exoriebatur, graviter detonantem. Ponerem & Aërium, contrà delectum ciborum, & pro æqualitate, Presbyteri ac Epiſcopi ſtantem, Euſtachium Macedonianorum & Trinitariorum errores moderantem, Euphratam, Marcellum, Photinum aliosque dogmati de ſumma Chriſti divinitate, Vigilantium Sanctorum & reliquiarum venerationi & cælibatui Cleri, ut enaſcentibus erroribus contradicentem: Tùm & ipſum Arium ac Donatum cum ſequacibus, qui gladio armatam Homouſianorum factionem perdomuêre. Ponerem omnium ſequentium ſeculorum claſſibus non tantum ſingulos Doctores, ſed & in Conciliis congregatos veritatis teſtes tùm ſuperioribus, tùm poſt hac inventis erroribus contradicentes. Nec allegarem ſolùm proletarios illos Pelagios, Scotos, Samſones, Serlones, Bertramos, Berengarios, Petros de Bruis & Baillardos, Henricos, Arnoldos, Valdenſes (quibus certè ob ſingularem pietatis conſtantiam multùm res Chriſtiana debet) de quorum uno, nempe de Baillardo Bernardus Abbas ille Celeberrimus memoriæ ſcriptum reliquit: *Cum de Trinitate loquitur, ſapit Arium, cum de gratia, ſapit Pelagium, cum de perſona Chriſti, Neſtorium.* ep. 194. ac Baronius tria in eo notat, *quòd rationem fecerit judicem articulorum fidei: quòd in doctrina de Trinitate impegerit, & mortem Chriſti eſſe noſtram ſatisfactionem coram Deo negarit.* Annal. T. XI. Anno 2140.) Almaricos, Occamos, Alvaros, Tauleros, Viclefos, Huſſos, Weſſelos, Platinas, Savanarolas, & infinitos alios. Aurum enim eſt aurum in cujuscunque manibus deprehendatur, licet nondum ambuſta multiplici igne ſcoria purgatum, ſed collocarem & ipſos Cæſares videl. Philippos, Leones, Conſtantinos, Carolos & Othones Magnos, Ludovicos Pios, qui Pontificum vitia & corruptelas Eccleſiæ magno ſtudio correctum ivêre. Sed hoc in præſentia noſtri non eſt inſtituti. Aliàs cum Bono Deo non tantum ex ſcript. Sacræ adytis & Rationis ſobriæ penetralibus, ſed & ex Antiquitatis monumentis veritatem Primævam producemus. Quam puram mox poſt Apoſtolorum tempora deſiiſſe, non ſinè cauſa ex illis Apoſtoli Johannis de ultima hora appetente loquentis verbis quidam colligunt, cum res ipſa clarè loquatur eam è veſtigio, excedentibus Apoſtolis veluti receſſiſſe. Quod cum Egeſippus expreſsè doceat, tùm verò & alii multi teſtimoniis fide dignis, & evidenti veritati ſuffragantibus confirmant. Nicephor. l. 1. 41. c. 1. Neand. hiſt. Eccl. p. 522. Centur, Magdeb. 2. c. 1. & c. 3. tit. *Inclinatio doctrinæ* (quanquam ſæpius ibidem veritas pro errore, & alibi error pro veritate ducatur:) Daillæus l. 2. de vero uſu Patrum c. 6. & alii. Producunt quidam viri in putandis temporum rationibus accurati, Funccius & Alſtedius illam Euangelii munditiam paulò longius, ille quidem ad ann. à Chriſto Nato 190. hic vero ad 194. uterque ad tempora victoris Papæ. Quod etiam inſtituto noſtro multùm favet. Victor enim ille primus fuit, qui Antichriſtiano auſu diſſentientes, etiam totius Aſiæ Eccleſias levi de cauſa, anathemate ferire ſuſtinuit, quos inter & Theodotus Byzan-

Byzantinus Vir multæ doctrinæ fuit, Qui Christum à Deo divina potestate donatum, ante Matrem extitisse, multis id post tempora Apostolorum affirmare ausis, constanter negavit, quod & Artemas vel Artemon circa ead. tempora, magnâ fecit fiduciâ, & non exiguum sequacium numerum, scindente se in partes Ecclesia, habuit.

Quorum etiam protestatio Actis Historiæ Ecclesiastcæ Euseb. l. 5. c. ult. quamvis ab adversariis conscriptæ, inserta est, eos scil. ita de antiquitate hujus Sententiæ gloriatos fuisse, ut Majores omnes etiam ipsos Apostolos eadem sensisse ac docuisse, quæ illi, servatamque eam prædicationis veritatem usque ad tempora Victoris magno animo dixerint & asseruerint. Quos postea Paulus Samosathenus Antiochiæ circà ann. 270. & Photinus Syrmii Episcopi circà ann. 350. strenuè, etiam Episcopatibus relictis, secuti sunt, nec paucos fecêre discipulos, quos magis magisque crescens adversa factio, præsertim postquam metu persecutionis soluta gladium potestatis civilis ad se rapuit, oppressit. Hos omnes unius Dei Patris rerum Creatoris & ejus filii Jesu Christi, ab eo ut geniti, ita excitati & exaltati assertores, veritas toto script. S. Codice clariss. proposita & firmissimè munita, tuetur, & ipsæ adversantium Catholicæ huic veritati suffragantium consensus, nisi quod isti plura velint. Quis enim ad infallibilem scripturæ S. normam fidei & salutis opus componere volens non meritò ac libenter credat, Unum Deum, Deum Israëlis, summum rerum potenti verbo & voluntate Creatorem & benignum sapienti providentiâ, quæ circà homines, præcipuè fideles, paterna eluceat, conservatorem & Rectorem esse? Quis item non credat & agnoscat hunc Deum omnes ideò, misso ad prædicandum & divinis miraculis confirmandum Euangelium salutis Jesu Nazareno, filio suo unigenito, utpote quem Spiritus sui S. virtute in utero castissimæ virginis genitum eadem illa virtute admirabili instructum, perfectissimum voluntatis suæ Interpretem, & ad homines Internuncium ac sequestrum, postea & obita morte atrocissima Redemptorem mundi, & tandem à mortuis excitatum Dominum ac Regem cælestem, summum Pontificem & Judicem vivorum & mor-

mortuorum esse voluerit, ad pœnitentiam & fidem salutarem vocare. Quis item sibi & humano generi non gratuletur, eundem credentes eligere, & ob veram, quæ scil. per caritatem operetur, & bonis operibus animata sit, fidem justificare, justos pronunciare, justitiâ suâ eis per illam fidem imputatâ, ac porrò vitæ æternæ præmio donare? Quis porrò non credat, & plurimum mortalium genti gratulans non confiteatur eundem Clementissimum Patrem gratuitæ remissionis peccatorum pignus & auctoramentum sanguinem Filii dilectissimi dedisse? Quis non gaudeat eundem sacro lavacro in nomen Patris, Filii & Sp. S. ablutis, & confessione sua dignè se gerentibus, mortem Christi Servatoris, quem humano generi ut victimam piacularem, unico sacrifico peccata populi expiantem dederit, & memoriam tum fracti corporis fracto pane benedicto, tum sui sanguinis fuso vino cum debita Eucharistia celebrantibus, ac vitâ Sancta communionem cum capite suo & corpore ejus testantibus, arrhabonem futuræ illius hereditatis Spiritum suum S. qui ex eo sit & procedat, fidelium Magistrum & Paracletum dare. Quis non exsultet præ letitia ex præstanti hac cognitione conceptâ, hoc doctore & ductore cunctis, viam æternæ beatitatis calcantibus, & Sanctæ Ecclesiæ uni capiti Christo subjectæ, membris, uni Deo per Christum Mediatorem unicum puro corde serviendum esse? Quis si vel integra Biblia sacra, vel omnium, quotquot de religione unquam scripsêre, Commentarios, illos scil. quibus unius hominis non sufficit ætas, evolvens non agnoscat hisce paucis, ad salutem necessariis, propterea & clarissimè in scriptura ex positis & toties inculcatis, totam Christianam religionem, quod ad credenda & facienda attinet, absolvi, atque hanc non aliam, esse veritatis Catholicæ medullam, quæ licet adscititiis Commentorum humanorum putaminibus tecta latuerit, semper tamen in Ecclesia manserit? quis denique has utpote genuinas Ecclesiæ veræ notas, cuique ad salutem sufficere negare audeat, nisi qui commodæ & concinnæ vesti caudas non tantum non necessarias, sed indecoras & incommodas assuere velit? Satis constat talia posteriorum seculorum esse figmenta, non autem primævæ sim-

ſimplicitatis indicia : quæ longè minus ſubtilitatis & cerimoniarum , ſed tanto plus ſolidæ pietatis habuit.

CAPUT III.

Gradus corruptionis eccleſiaſticæ indicantur.

QUamvis plurima ſcripta ſub nominibus veterum Eccleſiæ Doctorum etiamnum invitâ veritate , & prudentiorum cenſura reclamante venditentur , multa etiam illis per vim & ſummam perfidiæ malitiam vel infarcta vel ablata ſint:ſatis tamen conſtat principalem fidei doctrinam de Deo ita ad Concilii Niceni tempora tradi , ut Patri Unius Dei prærogativa relinquatur , Filio exiſtentia & divinitas antè ſecula , ſive ab initio rerum (per quod Veteres Ario præſtruxiſſe viam nemo non videt, & multi adverſariorum fatentur) adſcribatur , Spiritûs autem S. perſonalitas à nullo eorum , ut nec ab ipſis Concilii Niceni Patribus , affirmetur. Poſthæc demum ſtabilito Trinitatis, præcipuè quale affictum (judicibus Magnis viris Camerario , Pelargo , Voſſio aliisque) Athanaſio Symbolum orbi Chriſtiano induxit , dogmate reliqui errores introducti. Mox enim illa commenta de neceſſitate baptiſmi , ideoque & Euchariſtiæ infantum , de Invocatione SS. de cælibatu, Cleri , de Romani Pontificis præſtantia dignitatis Oecumenicâ, quæ tandem in Antichriſtianam , ipſorum Antiquorum & celeberrimorum Romanæ Eccleſiæ Antiſtitum & Doctorum , Gregorii M. Epiſcopi Romani , Bernhardi Abbatis Claræ vallenſis (qui & inter SS. relati) Eberhardi Archiepiſcopi Salisburgenſis aliorumque judicio,ſuperbiam & tyrannidem , infinitorum errorum& abuſuum magiſtram & acerrimam patronam evaſit , aliaque demum plura impatiens primævæ ſimplicitatis curioſitas invexit. Cæterum de his quoque pluribus diſſerendi occaſio in Comm. de Verit. Primæva dabitur. Sufficiat hîc in præſentia , quibus gradibus tanta Eccleſiæ depravatio introducta ſit , indicaſſe. Nunc quibus gradibus Deus eam ex Eccleſiâ abſtulerit , videamus.

CA-

CAPUT IV.

Gradus Reformationis demonſtrantur.

QUia ſtatim poſt Apoſtolos ſpecioſo & impunius eoque faciliùs & felicius fallente religionis prætextu ambitio Pontificum , Romæ præſertim à Victore ſuprà nominato magis magisque creſcere & varios per orbem Chriſtianum errores ac abuſus , obtentu Apoſtolicæ auctoritatis diffundere cæpit , & tandem ad ſupremum interris divinitatis gradum graſſata , cuncta divina humanaque ſub ſua jura arroganter traxit : ac demum totam religionem Chriſtianam in Idololatriam & ſuperſtitionem ac operum meritoriorum , imò & ſupererogatoriorum,quæ vocantur,ſtultam confidentiam mutavit : ideò ab illa deprimenda & hâc caſtiganda Deus reformationem Eccleſiæ orſus eſt. Ac uſus quidem eſt hîc impetu ignei Lutheri. Adjunxit tamen ei Philippum Melanchthonem & Bucerum, quorum prudentia & moderatio magno ei fuit adjumento , Caroloſtadio quoque & Buckenhagio ſtrenuè ſe hîc gerentibus. Atque ſic Lutherus in primo veritatis gradu conſtituit homines , his legibus latis & ſancitis : Solam Scripturam Sacram eſſe credendi regulam ; traditiones ei contrarias nequaquam eſſe admittendas : ſolum Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ , & Papam qui ſe illud faciat,eſſe Antichriſtum;ſolum etiam Chriſtum eſſe Mediatorem, ideò ſanctos invocandos & imagines adorandas non eſſe:ſolo Chriſti ſacrificio unico peccata hominum eſſe expiata , ideò in Sacra Euchariſtia nullum eſſe ſacrificium , nec panem, qui in illa adhibetur , tranſubſtantiari ſeu converti in ipſum Chriſti corpus: liberam eſſe & Verbi Miniſtris matrimonialem copulam , & populo SS. Literarum Lectionem : duo Sacramenta tantum à Chriſto inſtituta eſſe , Baptiſmum Scil. & Euchariſtiam : nullum eſſe Purgatorium : opera bona non eſſe meritoria , in ſtrictiori ſignificatione. Et in hac quidem ardua materia Deus homines ab extremo ad medium revocare cupiens Luthe-

therum, in alterum de solâ fide extremum deflectere permisit. Sed non eo fine ut hujusmodi extremo adhærente crederent, bona opera nequaquam homini sive justificando sive justificato ad salutem necessaria esse, sufficere solam fidem & per eam meritoriæ Christi satisfactionis applicationem docendo. Hoc enim vel maximè Scripturæ Sacræ, quæ tota nil nisi bonorum operum studium & præceptorum Dei ab iis, qui servari cupiunt, observationem docet & inculcat, adversatur. At verò Deus illa Lutheri institutione id intendebat, ut omnes recti & cæli amantes ut in medio veritatis consisterent, fidem in opera bona exeuntem, sive cum iis, ut arborem cum fructibus, & corpus cum anima conjunctam, & per charitatem efficacem, ac in observatione mandatorum Dei consistentem servare, & per eam nobis Deum justitiam suam imputare. At qualibus? Scilicet tanti ejus beneficii, quod Unigeniti Filii sanguine peccata nostra delere, & ad ea abycienda nos allicere voluerit, gratis, & gratum nostrum animum ex officii ratione, non tantum recolenda solemni ritu Eucharistico mortis Christi memoria, sed & tota vita ex præscripto ejus agenda perpetuò testantibus. Verum enim verò per Lutherum nec arrogantia Ecclesiæ ministrorum satis coërcita fuerat, relictâ illis Confessione Auriculari & peccatorum remittendorum licentiâ satis quæstuosâ, ac proinde ad ambitionem & populo, ipsique Magistratui gravem potentiam viâ, ac Missæ memoriâ. Tùm & reliquiæ Romanenses in Consubstantiatione Eucharistica & tolerandis imaginibus aliisque permanserint. Ad hæc noxia dogmata de separandis à fide, sive excludendis à Justificationis negotio bonis operibus, aliaque irrepserant. Ideò emisit Deus Zwinglium, Oecolampadium, Calvinum & Petrum Martyrem, qui multum arrogantiæ Sacræ detraxerunt, imagines templo ejecerunt, Missæ quoque memoriam & alios non paucos, nec parvos abusus sustulerunt; bonis verò operibus nonnihil elogiorum, salva tamen Christi satisfactione attribuerunt, Consubstantiationem Eucharisticam, & realem præsentiam orali manducatione auctoratam, in spiritualem corporis & sanguinis præsentiam commutarunt. Horum autem nonnulli Zwinglii dogmate non contenti, tum novitatis tùm concor-

dia

diæ studio, Sacramentalem, suo tamen modo realem præsentiam manducatione spirituali velatam commenti, in latissimum Sacramenti (vocis Spiritui S. ignotæ, & ut militari potius, quàm Theologicæ, ita rixis & contentionibus obnoxiæ) campum eductis aciebus cum Lutheri asseclis usque adhuc acerrimè digladiantur. Illos reformationis gradus attingit vel indicat Andr. Fricius Modrevius Sylvæ 3. tract. 1. c. 8. Sic autem ille: *Regnabant olim in Ecclesia missarum nundinationes, purgatorii ignes, indulgentiarum mercatus, patronorum auxilia infinita, & artes variæ regni cælorum precio comparandi. Hæc a Luthero profligata, nemo non novit. Zwinglius missarum panopliam sustulit, atque evertit.* Postquam ita Deus homines in tenebricosum idololatriæ & variorum commentorum carcerem detrusos per certos gradus in admirabilem veritatis cælestis lucem reduceret, satis declarabat non tantum non esse retrocedendum (quod tamen & illi ubiquitate, & hi Sacramentali præsentia noviter inventa pravo fecêre consilio) sed ulterius assuetis paulatim tenuiori luci oculis progrediendum, & in apricum veritatis prodeundum esse. Egregio hîc exemplo lucent, quos vulgus modò iniquis Ebionitarum, Paulianorum, Samosathenianorum & Socinianorum, modò etiam invicem sibi repugnantibus Arianorum & Photinianorum appellationibus onerat, veritatis verò confessio Christianos constituit, agnoscit, & promulgat. Neque enim alium & Dei Filium & Mediatorem & Servatorem & Magistrum ac Dominum, quàm Jesum Christum ex Spiritu S. conceptum, ex Virgine natum, à Deo resuscitatum & glorificatum credunt & confitentur. Hæc pura & verè sola Catholica tùm clarissimis Scripturis Sacris passim prodita, quàm omnium Christianorum omnibus seculis & locis consensu confirmata veritas, quî in Polonia & provinciis ei adjacentibus initium sumpserit, jam est exponendum.

CA-

CAPUT V.

Quomodo reformatio præparamentis sub Sigismundo I. factis in Polonia cœperit ab Anno 1546. ad 1550. inclusivè Rege Augusto. Hujus res gestæ primò breviter memorantur.

SI rem ab ovo, ut dicitur, arcessere volumus, Regi Sigismundo 2. nomine & re Augusto, Principum Laudatissimo Deus Opt. Max. hanc felicitatis prærogativam tribuit, ut sub eo, utpote & rerum pace bellogue gestarum gloriâ & virtutum elogiis Clarissimo, tanque gestarum gloriâ & virtutum elogiis Clarissimo, tantum opus in gente generosa, quæque altos gerit spiritus, perageret, quo hac ratione Christus olim sub Augusto, in Judæa natus, sub Augusto, felici omine, in Polonia renatus, in corpore nempe Ecclesiæ cerneretur. Nam talem & tantum Principem hostes metuebant, mirabantur exteri, colebant vicini, venerabantur subjecti. Ille enim est, cujus auspiciis Nicolaus Sieniavius, unus ex Proceribus Regni, pulso Stephano Alexandrum Valachiæ Anno 1552. præfecit, qui Dantiscanos motus plebe contra Patres consurgente quiescere, & antiquis legibus vivere jussa eodem anno composuit. Ille Henricum Ducem Brunsvicensem affinem 1554. Prussiâ submovit. Ille istius provinciæ res deinceps fortiter curavit & composuit, dum 1566. missis Commissariis, Joan. Funccium celebrem illum Chronologum, aliosque factionum cum Joan. Alb. Duce Meckelenburgico initarum reos, ultimo supplicio affecit. Ille Guilhelmum Fürstenbergium Ordinis Theutonici in Livonia Magistrum 1557. in officium redegit, Livoniam Reip. adjunctam contra tyrannidem Joannis Basilidis Magni Ducis Moscoviæ provinciam illam 1558. invadentis, tuendam 1559. succepit, & mox anno sequenti ad Mariæburgum exercitum ejus per Ducem Alexandrum Polubinscium clade affecit. Ille Gothardum Ketlerum Ducem Curlandiæ 1562. creavit. Eodem Anno in Comitiis Petricoviensibus executionem jurium prudenter orsus legibus

gibus Remp. condidit. Ille anno sequenti duce Stanislao Lesniovolscio Castellano Czersensi ad Heveliam mille quingentis hastatis 40. millia Moscorum ita profudit, ut supra 8. millia eorum ceciderint. Ille paulo post Nicolao Radzivillio Palatino Vilnensi & supremo militiæ Lithuanicæ Præfecto ac Gregorio Chodkevicio exercitum 10. millium ducentibus, 20. millia Moscorum (Starovolicius hic liberalior, ibi 7. hîc 30. millia ponit, quanquam & alii hîc 25. millia putent) ad Vlam delevit: Ille Anno 1565. duce Stanislao Cikovio, tùm & Philone Cmita, sequentibus autem 1566. 67. & 68. annis per Cosacos Vitepicenses Moscoviam perdomuit. Inter hæc Duce Romano Sanguscovicio 8000. Moscorum fudit ac paulò post victoriæ præmium Vlam recuperatam tulit, per Sapiebam fortem 5000. armatorum ducem Vendam defendit, & 24. Moscorum atque Livonum millia, teste Starovolscio, unà acie prostravit. Ille Tartaros crebras in Poloniæ confinia, quandoque & interiora excursiones facere ac rapto vivere suetos, solo virtutis coërcuit metu; præsertim cum eos Albertus Laski Palatinus Siradiensis 1568. insigni ad Oczacoviam, quà se Borysthenes & Bohus in Pontum Euxinum exonerant. Ille affecisset clade Turcarum Imperatorem Solymannum, illum Ungariæ Victorem & terrorem orbis, toto imperii, quod annis prope 20. tyrannus se vivente obtinuit, tempore (annus nempe 1520. ætatis Augusti & imperii Solymanni fuit primus) & bellica laude & artibus pacis, solâque nominis reverentiâ ad colendam amicitiam impulit; ut & filium ejus Selymum, qui ad firmandam pacem & amicitiam 1569 Ibrahimum Bassam, natione Polonum, ad eam miserat; Hoc anno novus hic Salomon Joannem Scepusium electum Hungariæ Regem, sororis Isabellæ filium cum Maximil. 2. Imperatore; anno autem sequenti Joannem Sueciæ Regem alterius sororis Catharinæ maritum cum Friderico 2. Rege Daniæ, reconciliavit, & Moscum integro amplius decennio Victor, semper ad quiescendum coëgit. Ille est denique qui eodem illo 1569. anno, Deo pacis tempora Augusti oleâ & lauro coronante, in Comitiis Lublinensibus, in quibus & de Mosco toties victo,

cto, ac capta Vola, triumphum egit, difficillimo Litvanicæ cum regno conjunctionis negotio 1569. finem sapienter ac feliciter imposuit: Rempub. pacavit variis commissam dissidiis, & summâ cum laude Pietatis, Justitiæ, & ut Clementiæ ita & Patientiæ singularis ac Prudentiæ eandem rexit: Verbo, pace, bello, domi forisque Inclytus extitit, & tantis meritis veniam leviorum vitiorum, quibus non caruit, impetravit facilem. Hujus itaque Gloriosissimi & Optimi Regum temporibus, Deus reformationis initium in regno fieri voluit, ut nemini salvâ tanti Regis reverentiâ tantum opus impedire liceret. Ac primum quidem nonnulli Ecclesiastæ, nominatim Joan. Cosminus & Laur. Prasnisius, dictus Discordia in Aula Regis contrà compertos errores & corruptelas Ecclesiæ invehebantur. Sed & Cracoviæ post illam magnam pestem, quæ in urbe illa Anno 1543. 20. millia hominum hausi, locustarum multitudine, quæ nunquam impunè videtur, prænunciatam, veluti exercitis ad humilitatem & dispositis ad veritatem indagandam animis, quidam Concionatores idem, occultius tamen fecere. Inter hæc illustre exemplum Johannis à Lasco Deus Sacro præcipuè Ordini Anno 1540. proposuit. Ille enim illustris prosapiæ, & magnæ doctrinæ Vir cum Præpositus Gnesnensis & Lanciciensis, & in Episcopum Vesprinensem nominatus esset, veritatis principiis ex Institutione Lutheri, Zwinglii & Calvini haustis, & Sacrum Ordinem & Papatum & patriam anno indicato reliquit, ac in Belgium, dehinc in Angliam seconferens, uxorem duxit. Dum in exteris ageret in promovenda veritate, & componendo bello Sacramentario strenuè desudavit. Sed de hoc viro præstantissimo plura inferius dicturi, nunc in instituto sermone pergimus. Circa illa tempora exemplum Prussiæ reformari juxtà institutionem Lutheri cæptæ, & Confessionem Augustanam Anno 1530. Cæsari Carolo V. in Comitiis Imperii exhibitæ publicè & liberiùs post superatam, Rege Sigismundo I. Anno 1526. obortam difficultatem, Joanne Scholtz, ex Magistratu, & 13. aliis templa Pontificia audacter repurgare volentibus, fatalem, docentis, non paucis in regno reformationem amplectentibus animos addidit. Tantò magis

magis quòd & Albertus Dux Prussiæ Regis Sigismundi sorore natus multorum Principum & statuum Imperii exemplo Confessionem Augustanam subscripsisset, & polonorum illûc agentium vel illuc adventantium causâ suis sumptibus Regiomonti aleret, Concionatorem Polonicum Ioannem Seclucianum, qui ibi studio & sumptu suo procuravit editionem 4. Evangelistarum Polonicam & aliquot libellos lingua Polonica contrà invocationem SS. & alios abusus, publici juris fecit. Injecerat enim multis in regno terrorem triste Catharinæ Melchioris Vogelii Consulis Cracoviensis uxoris (Zalasoviam Stanislaus Budrinius in MS. rerum Polonicarum Commentario vernaculo c. 4. vocat) exemplum, cum enim illa Ecclesiæ Romanæ corruptelas, præcipuè circa hostiæ adorationem Idololatricam, perstringeret, ad rogum à Petro Gamrato Episcopo Cracov. Ao. 1539. (quo ipso Faustum Socinum, Virum illum Clarissimum, patre Alexandro, matre Agnete Petruccia, ita parentibus nobilissimis aliquot Pontifices Romanos & plures Italiæ Principes sanguine complexis, natum Senis, memoriâ proditum accepimus) damnata, tanquam ad nuptias ivit ad supplicium, & læta acerbam subiit mortem. Non dissimulo, invenisse me in Chronico Lucæ Gornici Præfecti Ticocinensis, suspectam eam Judaismi fuisse, quod Filium Dei, credo, ex essentia Patris ab æterno genitum, negârit. Episcopus ille singulari Reginæ Bonæ, matris Augusti favore & Episcopatum dictum annuo censu, & Archiepiscopum Gnesnensem primatus dignitate in Regno primum consecutus, & omnia pro libidine agens, quòd exquisitis cænarum ingeniis pinguem aqualiculum farciens, Epicuream vitam agere vulgò diceretur, impietatem cœlo (quod vitium & hodie proh dolor! frequens est) velare satagebat. In Archiepiscopatu Nicolaum Dirgovium, in Episcopatu Samuelem Macieovium habuit successores, qui veritati puriori in Poloniam introduci cæptæ acriter se opponebant. Ille præsertim. Nam Maciejavius & genio & ingenio melior, in dissentientes æquior erat, &, teste Orichovio, Annal. 3. *Lutheranæ factionis homines magis perterrefaciebat minis quam suppliciis afficiebat.* Quâ ex re nonnulli aluisse illum in Diæcesi hæresin

resin Lutheri affirmabant. Budzinius tamen hypocritam & tectum veritatis ejusque cultorum adversarii fuisse dicit & exemplis docet. Hunc sive moderatiorem Episcopum Cracovienses, sive magis occultum adversarium pii nacti, in veritatis inquisitione magis magisque proficiebant. Agebat tunc in urbe Joannes Tricessius Senior, vir & nobilitate generis, & Literis ac linguarum Hebr. Græcæ & Latinæ cognitione Clarissimus qui & instructissimam habebat Bibliothecam. Is semina, veritatis à magno Erasmo hausta unà cum socio studiorum Bernerdo Wojewodka honesto sive imò & Prætore ac typographo Cracoviensi spargebant apud Franciscum Lismaninum illum Corciræum. Iste licet Ephorus Monasteriorum de Francisci & claræ familia, Reginæ Bonæ à Confessionibus & Parosus Cchovensis fuerit, ex lectione tamen Concionum Bernardini Ochini Itali, Viri inter suos Romæ doctrinæ, eloquentiæ & pietatis Laudibus Clarissimi, & ob parrhesiam Româ profugi, à Regina Bona sibi dono oblaturum, totam religionem Romanam in suspicionem traxerat: sæpius autem illuc veniebat Jacobus Prilusius Notarius Castrensis Cracoviensis & Juris consultus Clarissimus, cujus statutum lingua Latina compositum habetur: & Andreas Fricius Modrevius Secretarius Regius, vir undequaquè Præstantissimus, cujus præclara ingenii monumenta etiamnum habemus: qui quid de rebus fidei senserit, non est difficile videre, iis qui cum judicio opera ejus legunt. Tantò magis quod & Prilusius Petro Kmitæ Palatino Cracoviensi & Mareschalco Regni percharus, veritatem puriorem ei & Aulæ ejus feliciter instillaverit; Cælibatum Cleri & alios abusus oppugnaverit, & Fricius cum per eruditionem ad magnos honores pervenire potuerit, mediocri fortuna cum veritatis cognitione contentus vixerit. Hæc quæ de illis retuli ao. 1545. 1546. & 1547. in dicto Budzinii Comment. gesta reperio. ut & singulare quippiam in domo Tricessii illius Ao. 1546. evenisse. Cum enim is Fricium, Prilusium, Wojewodkam & Virum quendam pium ac in Script. exercitatum, natione Belgam, cui nomen Spiritui, ad prandium invitasset

vitasset, referente ipso Fricio Sylvæ I. tractat. 2. p. 81. antequam ad capiendum cibum accederent, in Bibliothecam Convivatoris omni scriptorum genere refertam se conferentes, quisque hunc vel Illum librum arripiens, Belga ille in libellum quendam precationum Christianarum incidit. In quo (verba sunt Fricii) *cum reperisset precationes, unam ad Deum Patrem, aliam ad Deum Filium, tertiam ad Deum Spiritum S. Huj.* inquit, *nos compellando, Tres-ne vos habetis Deos, ô Boni? Cumque responderemus, Deum nos habere unum, qui in unitate essentiæ tres personas habeat. Atqui*, inquit ille, *Quod habet, & quod habetur, diversa sunt. Est igitur diversus Deus ille tres habens, ab istis tribus, qui ab illo habentur. Tu verò, inquibamus nos, sophistam agis, ô Spiritus. Simplex confessio nostra est, unum Deum esse essentia, trinum personis. Est igitur, inquit ille, Deus vobis & trinus, & unus. Certè, inquimus: sed alio & alio respectu. Tum ille, Si igitur iste trinus, unus est, cur diversis orationibus eos compellatis? Cur in his orationibus, diversa beneficia, quæ in genus mortalium conferant, ab illis petitis? Hæc tum inter nos ultrò citroque dicta fuêre. Cum enim rem omnium certissimam esse crederemus, ac religione prohiberemur de ea contentiones serere, sermonem ad res alias convertimus.* Eandem rem brevibus referens Budrinius c. 4. addit, *sermonem quidem aliorsum fuisse tunc conversum, interim tamen convivas hoc notasse, & quæstionem de Trinitate scil. in Polonia exorituram tulisse domum.* Nam & Fricius addit: *Verum ego rem postea diligentius expendens, tacitus mirabar, quî, fieret, ut, cum personarum actiones externæ omnes indivisæ esse censerentur, orationibus diversis eas appellaremus: separatim patrem orando; separatim filium, separatim Spiritum Sanctum: & deinde unâ oratione Trinitatis opem implorando. Non secus, quam, si quis distinctis precibus petat aliquid à Petro, Paulo. Andrea, Jacobo, Philippo; & deinde una prece ab Apostolis omnibus auxilium flagitet: quorum ut personæ, ita essentiæ distinctæ sunt. In vulgaribus libellis precationum extant ejusmodi orationes distinctæ ad tres personas. In quibus & res, quæ ab eis petuntur, distinctæ,* ni

ni fallor, numerantur. Quod haud ſcio an novo exemplo fiat. Ac pluribus id deinceps perſequitur. Solebat autem ſæpè illis conventibus & colloquiis piis intereſſe & Jacobus Uchanius, qui tùm nonniſi Canonicus Cracovienſis & Referendarius, ſive ſupplicum libellorum magiſter fuit poſtea autem per varios Epiſcopatus ad Primatialem Archiepiſcopatus Gneſnenſis dignitatem pervenit: nec non Adamus Drevicius, & Andreas Zebridovius itidem Canonici Cracovienſes, quorum hic Maciejovio illi in Epiſcopatu Cracovienſi poſtea ſucceſſit, &, ut videbimus, acerrimus veritatis cultorum perſecutor extitit, ut Similem impietatem, exemplo Gamrati pari cacozeliâ tegeret. Quod etiam de Uchanio perhibetur. Suſpectum eum, cum epiſcopatum Chelmenſem gereret, (ut & Joannem Drohojovium Epiſcopum Cujavienſem) hæreſeos, & eo nomine à Pontifice Romano Julio III. graviter admonitos, Bielſcius hiſt. Polon. l. 5. p. 599. & 608. memorat. Piaſecius verò licet & ipſe Epiſcopus, ita de eo ſcribit: *Jacobus Uchanski cùm ob ſuſpicionem hæreſis pro Epiſcopatu Uladiſlavienſi confirmationem Romæ obtinere non poſſet, præconis miniſterio poſſeſſionem illius Eccleſiæ invaſit: & notatus propterea à Summo Pontifice Romano anathemate, ipſe quoque in eum maledicta ſparſit.* Sed & de Petro Epiſcopo Kiovienſi Caſpar Cichocius Canonicus & parochus Sendomirienſis in Alloquiis Oſiecenſibus memoriæ prodit, eum Lutheranam potiùs quàm Catholicam religionem profiteri maluiſſe, Certè & Fricius dehinc eundem illum Uchanium non tantùm ut Primatem, ſed & veteri illa benevolentia ſibi conjunctum, & diſſentientibus cæteris æquiorem adque reſtaurandam concordiam pronum in præfat. Sylvæ, 4. compellat. Eraſmus Ovinovius gente Gryphius, vir pius & ſolers libelli de Heroibus Chriſtianis auctor. in Thomæ Falconii (qui Eccleſiæ Lublinenſis Cathedralis myſta & Concionator, ob agnitam veritatem in vincula cojectus, & ex illis liberatus harmoniam 4. Evangeliſtarum maternâ lingua compoſuit, & in agnita veritate conſtans permanſit:) vita memoriæ reliquit, Drohojovium illum Romano Pontifici ſe oppoſuiſſe, præcipuè

cipuè verò dictum Uchanſirum, jus confirmandorum Epiſcoporum Pontifici Romano eripere voluiſſe, citatum ab Inquiſitoribus fortiter reſtitiſſe, contrà bullam citationis, ſive dicacem dicam Româ ſibi impactam ſcripſiſſe, idque cenſuræ Eccleſiæ renaſcentis obtuliſſe, & propè rem eò deduxiſſe, ut Polonia proprio Patriarchæ ſubjecta eſſet. Cæterum Drevicius ille veritati conſtanter ad ultimum favit. Atque is unà cum Triceſſio & Wojewodha libros Lutheri, Zwinglii & Calvini aliorumque, Liſmanino ſuppeditabant, ex quibus materia quoque concionandi ad populum ſuppeditabatur Monachis è familia Franciſci, nominatim Franciſco Lithvano, ſtaniſlao Opoczno, Alberto Kozabovio itidem Lithvano, aliiſque, quorum nonnulli ut fautores veritatis mortui ſunt, aliis ut Budrinii verbis utar, ad vomitum redeuntibus, uti Opoczno & Joan. Szoldra. Illis addendus Joannes ille Coſminus Vir doctus & probatæ vitæ qui & apud Regem Sigiſmundum I. magnâ pollebat auctoritate, & apud omnes gratia, utpote cordatus, prudens, modeſtus. His ferè accenſendus Laurentius praſniſius, aliàs Diſcordia nomine & re, Coſmini æmulus, qui non pauca patrabat ſcandala, ideoque auribus & oculis Regiis ingratus: ita ut illo mortuo, hic in corde Regis nullum veritatis profectum facere potuerit, quia nec volebat, nec tàm ſancto miniſterio dignus erat. Impediebat veritatis in Regio corde progreſſum induſtria & vigilantia aſtutiaque Pontificum Romanorum, Latera Regia ſemper claudentium, aures ejus occupantium, inſignia Regni & cor Regis, cuſtodiam legum tenentium, oracula Regia edentium (: Maciejovius enim ille & Epiſcopus ſimul & Regni Cancellarius, licet contra avita inſtituta, ſicut & Paulò antè Petrus Tomicius, & Joannes Chornicius ejecti fuere) &, quod tum ferè maximè tempori & rebus eorum accommodum erat, matrimonium Regium cum Barbara Radzivillia, Staniſlai Gaoſoldi Palatini Trocenſis relicta vidua, fœmina ad invidiam pulcherrimâ initum, approbantium & defendentium. Nam cum multi etiam ex illis qui veritati & reformationi favere cœperant, connubium illud, utpote cum

cum privata & privatim, inconſulto Senatu, contractum deſtruerent, è contra Maciejovius ille, tùm Andreas Zebridovius Chelmenſis Joannes Drohojovius Cujavienſis ac Leonardus, Camenecenſis, Epiſcopi, aliique Primores Pontificii illud adſtruerent, factum eſt, ut Rex averſum ab illis animum ac favorem in hos converterit. Ita enim teſte Orichovio factum illud Rex in pleno Senatu aſſeriat, ut in hæc verba eruperit: *Non mihi vita charior eſt quàm Reſpub. Sed cum vobis Reſpub. fide mea ſtet ſalva, quonam modo ea fides firma vobis erit, ſi uxori juſſu veſtro fidem fregero? Non eſt quòd me vobis fidelem ſperetis fore Regem, ſi vir uxori fuero infidelis. Quare ut fidem jurejurando firmatam à me vobis præſtari vultis, ita non debetis velle, ut ejus fidei ſacramentum quod uxori Deo teſte dixi, vi fraudeve violem præſertim cum à Domino Jeſu palam dicatur, ac ita ſcriptum legatur*, tùm aperto recitavit illud ex libro: *Quid prodeſt homini, ſi totum mundum lucretur, animæ autem ſuæ detrimentum faciat? Quamobrem cum legitimum mihi ſit cum uxore connubium, vitam prius quàm uxorem deſeram.* Annal. 2. Itaque boni illi Viri, Veritatis fautores graviter in eo, quòd in hoc negotio Regi tanto conatu ſe oppoſuerint, erraverant: oſores verò ejus & adverſarii eorum contrariæ parti ſe applicantes Regis gratiam in ſe derivarunt. Adeò & hîc verum apparuit illud Chriſti oraculum: *filios tenebrarum prudentiores eſſe in generatione ſua quàm filios lucis.* Inter primos illos veritatis fautores poni meretur Conradus Crupca Przeclawsbi, vir natalium clarus, qui vigente adhuc Papatu & vix audita veritatis voce, Communionem primum ſub utraque ſpecie admiſit & adhibuit: qui quantum perſecutionis impetum fortiter ſuſtinuerit, infrà enatrabimus. Hîc etiam memorandus eſt Joannes Philipovius Regius Aulicus, Vir generis & antiquitate & ſplendore tùm & virtute nobiliſſimus, qui puriorem veritatem agnitam multis commendabat cum fructu, & contra indulgentiarum ac Miſſarum mercatus, contra alienæ ut fidei in pedobaptiſmo, ita & Communicationis corporis Chriſti in Euchariſtia applicationem inquam & Chriſti cum ignominia conjunctam, ac

ac animarum in igne purgatorio per tot ſecula carnificinam, & alios errores ac abuſus Pontificibus quæſtum, populo nullum commodum, præſertim ad ſalutem adferentes, graviter deteſtabatur, ſicut Orphinovius in vita ejus teſtatur. Qui etiam Triceſſium, veritatem Samueli Pinczovitæ, Coſmino illi ſupramemorato, & Leonardo Concionatoribus Regiis, tum Ilzio Profeſſori Collegii Cracovienſis (qui in Sileſiam ut & Staniſlaus Napagelanus & Franciſci familia ob veritatis profesſionem in Pruſſiam, ubi Regiomonti 1547. mortuus, fuga malevolorum manus evaſcit) aliisque inſtillaſſe, quanquam Leonardum illecebris ſeculi captum, & Epiſcopatu donatum, dona ſibi à Deo credita; & talentum cognitionis rerum divinarum in terra defodiſſe, cumque Eſavojus primogituræ, pro vili mundanarum deliciarum ferculo vendidiſſe, ſcribit. Hujus Triceſſii in promovendis illis piis colloquiis & ſpargenda veritate ſingulare &, Deo pios conatus ſemper contra mundi invidiam juvante, felix ſtudium enituit: præcipuè quòd Liſmanino puriorem inſtitutionem perſuaſerit. Hujus enim indulgentiâ & operâ nonnulli ex familia Franciſci ad veritatis cognitionem cæteris aptiores (qualis ille Alexius, qui poſtea Racoviæ egit, & Hieronymus, qui Italis Cracoviæ concionabatur & puriorem doctrinam ac pietatem inſtillabat) ex clauſtris Monaſticis evaſerunt, & Magiſtro viam paraverunt. Cum hoc Liſmanino & Opoczno familiarem amicitiam contraxerat vir nobilis Staniſlaus Iwan, aliàs Karninski, qui altero ab Urbe lapide Alexandrovicianum prædium poſſidens, ſæpè in Urbem commeabat, & ex illa converſatione veritatis notitiam ſibi comparaveret, ita ut de Communione ſub utraque ſpecie, & aliis in fide controverſiis contrà Podlodovium Canonicum Cracovienſem affinem ſuum, quî cum, more recepto lergius ſe invitabat, tùm & contrà Monachos Opoczni ſocios acriter diſputabat, ita ut & Liſmaninum & Opocznum in ſuſpicionem hæreſeos conjecerit. Et Opoczno quidem ſæpius Urbe excedere & latitare neceſſe habebat. Liſmaninum Maciejovius Epiſcopus quandoque benè potus, & ita vino tam pravum

vum acuente zelum, tùm audaciam excusante obtentu amicitiæ sæpius invisebat, re autem vera libros hæreticorum apud eum deprehendere studebat. Sed Lismaninus à Prilusſio illo, & Bojanovio Aulæ Episcopalis Præfecto (: viro diserto ac liberali, qui ambitionem & fastum successorum Petri per jocum perstringere, cum Petrus nullam Aulam, ideò nec ejus Mareschalcum habuerit, audientibus etiam illis, sæpè solebat) præmonitus, studiose sibi cavebat, & datâ operâ libros Scoti, Thomæ & alios hujus farinæ in Museo & conclavibus disponebat. Bojanovius verò hilaris anteambulo Heri hùc illùc conversis in Museo oculis, & libros Scholasticorum dispositos cernens, ac Heri curiositatem malevolam deridens dicebat: Scotus hic non Paulus M. K. (puto Mosciwi Kihaze, id est, Reverendissime Princeps) limina hosti servat. Annotat id Budzinius oculatus & auritus testis, qui tunc inter familiares Lismanini fuit, ac refert adveniente improviso Episcopo se libros Lutheri, Calvini & his similes, quorum lectioni Lismaninus incumbebat, & in promptu habere solebat, confestim abstulisse & in fornacem occultasse, Episcopo quidem cunctos angulos non tantum perlustrante sed & excutiente, divinâ tamen providentiâ, quæ circà fideles præcipue versatur & conspiciendam se præbet, dolos ejus eludente. Quæ & postea apparuit, cum iste Episcopus Lismaninum Venetias profectum, & indè à Bona Regina ad faciendam Julio 30. Montensi noviter tunc 1550. in Pontificem Maximum creato, gratulationem missum, in Aula Romana hæreseos suspectum reddiderat, & ut ob eam causam in carcerem conjiceretur, ne in Poloniam amplius rediret, author fuerat; interim Lismanino jam Româ profecto, & in Poloniam redeunte, cui in itinere Czamcovius, factus postea Posnaniensis Episcopus ab Aula gratulationis illius faciendæ causa Romam missus, & Lismanino favens hunc Episcopi astum, & simul mortem quæ in an. 1550. incidit, retulerat. Adeò ubique apparet Deum pro mirabili sua sapientia prava impiorum instituta confundere, & in bonum dirigere finem. Luculenta & memorabilia

memorabilia hujus rei in isto ipso Ivano viro nobilitate generis & pietate insigni habemus exempla indice Viro pariter nobilitatis & pietatis, tum & gravitatis ac eruditionis notæ Adamo Goslavio, gente Oxicio, qui & sanguine Ivano junctus & talium ut peritus ita & curiosus erat ac pagi illius Alexandroviciani conductum fundum habuerat. Frequenter ille in urbem commeans familiariter primario ædis cathedralis concionatore usus hominem probum errorum Pontificiorum, præsertim nefandæ idololatriæ convicerat. Hôc non contentus, eidem diu ac multum, ut est timida & ingeniosa ad nectendas excusationum casses caro, reluctanti sed tandem vi conscientiæ adacto & divinæ providentiæ confiso persuaserat, æternam salutem assequi eum non posse, nisi publicâ palinodiâ veritatem agnitam illustraret, & quos concionibus vel seduxerat vel seductos obfirmaverat, meliora docere niteretur, ac demum vale auditoribus dicto in domum suam equo submisso usus, se reciperet. Post habitam sacro die concionem, in maxima hominum frequentia, cum jam fidelem famulum cum equo ad portam templi ex condicto stare sciret, seorsum verba ad populum facere: vale ei dicere; ingressurum se mox iter indicare: de omnibus benevolentiæ & beneficentiæ officiis gratias auditoribus omnis ætatis & conditionis ac utriusque sexus agere: tandem fateri prava, imo falsa dogmata se docuisse cum primis de idololatria non admonuisse: ideò per gloriæ divinæ & propriæ salutis cunctos ad Legendas SS. Litteras, & verum invisibilem æternum Deum ex præscripto earum, abjectis hominum commentis, colendo graviter hortari: at populus dicta cum stupore excipere, ut maneat secum instanter orare: ille verò vale novum dicere, ac denuo de omnibus benefactis gratum animum & studium veræ pietatis testari ac seriò officii monere: tandem cathedra & æde sacra relicta, nulla impedimenta moratus, equum paratum conscendit & ad Ivanum pervenit. Assiduo viri istius consortio pleniorem veritatis hausit notitiam & inbutus pietate sumit ab hospitis intrepidi zelo flagrantis, & singulis diebus Dominicis, Mercurii & Veneris in urbem sacrorum caussa commeantis exemplo, robur animumque, ut primum

primum una cum Patrono, dein & ſolus illuc veniret, quin etiam diutius ibi commoraretur. Dedit hec res occaſionem Epiſcopo (de quo modò nobis habitus ſermo) ut pro cætera caeorelia conceptum intime dolorem in ultionem effanderet Captum abſente Patrono ſacerdotem in carcerem compingit & extrema minitans ad Papatum retrahere conatur. Fruſtra pro eo multis Procerum & Nobilium deprecantibus ſumit fiduciam Ivanus invictæ virtutis vir adeundi & compellandi Epiſcopum. Apud quem precibus minas interſpergens & auctoritate, quam ei genus, genius, olim militaris æquitas cauſæ ac temporum, pluribus etiam Magnatum & ſacerdotum, ut diximus, Papatum in Polonia ejurantibus & ardente bello ſacro Germaniâ, conditio comparaverat, dextrè & feliciter uſus, poſt multas controverſias ad ultimum, tale reſponſum obtinet liberum ſe hominem, licet non tantum Eccleſiæ catholicæ Romanæ, ſed & ſacri ordinis transfugam, & in quem ſibi plenum jus ſit, dimiſſurum, ſinhæreſin veritati Catholicæ præferens Ivano potius adhærere quàm adſe redire voluerit: retenturum, ſi ut accepit, facinus commiſſum doluerit & in viam redierit. Ivanus accipit conditionem, conſtantiæ Proſelyti ſui certus. Adducitur è vinculis, largiſſimis hinc promiſſis, illinc graviſſimis minis oneratus, & ſiſtitur Judici & Patrono. Ibi nomine Epiſcopi eum nonnemo compellare, veniam delicti offerre, præcipuè quod auditione acceperit, duci eum penitentia & de admiſſis dolere: inſtanter tamen deprecante Generoſo Domino Ivano optionem ei vel Patrono edhærendi vel ad Epiſcopum & Eccleſiam redeundi, dare: is auctoritate Epiſcopali ſed quod majus eſt, comminatione privatim facta, magis perculſos, quàm promiſſis ineſcatus, ad genua Epiſcopi procumbere, errorem fateri, veniam orare & accipere: Ivanum ſe & religionem ejus derelicturum pollicerè: at Ivanus indignatione pudori & dolori miſta permotus eum ut mendacem & impoſtorem graviter objurgare: Epiſcopo de juſta ſententia gratias agere, omnem culpam in bis transfugam derivare, aculeos in hunc jacere: Epiſcopus eum moderari; quod deſuſerit hiantem, cum aſſiſtentium grege lætari, Ivanum tamen humaniter, quod videret iratum. compellare, ad prandium invitare. Sed ille animo ægerrimus erupit potius quàm exceſſit è Palatio Epiſcopi, gratiis de hoſpita; litate oblata actis. Dimiſſo Ivano opiparum & lætiſſimum inſtruitur convivium, Pontificum potiore cænis Vino diffluens, Sacerdote inter medios applauſus animi pariter ægro ubi commiſſa liberius reputare, velut ad ſe rediens & conſcientiæ obediens, iſtius terrore magis magiſque obleptus cæperat. Itinerans Ivanus famulum dare ſibi chirotecas jubet. Is ſe eas illi conclave Epiſcopi ingreſſuro in manus tradidiſſe, affirmare: ibi ab eo relictas conjicere: ille reditum earum repetendarum cauſsâ imperare: is juſſa exſequi. Reverſus in palatium Epiſcopi famulus, alligato ad portam equo, repetitum Heri chirothecas Palatium luxu diffluens adſcendit. Re ad Epiſcopum delata cum chirothecas ſtudioſè quæſitas nemo poſſet invenire, jubet is unum ex cubiculi familiaribus quamprimum optimum par chirothecarum in taberna mercatoria emi. Sacerdos interim ab aliis in cubiculo quodam derelictus & mentis ancxiæ plenus, viſo noto Ivani famulo, & animadvertens eum palatium iniviſſe, cum à nemine cuſtodiretur proripuit ſe & conſcenſo famuli equo nemine animadvertente, Ivanum feſtinus ſequitur. Iterim per chirothecarum præſtantiſſimum ex foro in cænaculum Epiſcopi adfertur. Ubi ille in ſanitatem Generoſi Ivani pocula plena mero generoſiſſimo, præſente famulo exhauririſ curat, Chirothecas iſti poſt oblatum unum atque alterum vini calicem tradit, ſalutem plurimam hero à ſe dici poſtulat. Famulus Palatio egreſſus equo non invento ad Epiſcopum redit, equum ab omnibus viſum ſibi ad palatii ſui portam ablatum queritur, hunc ſibi reſtitui vel alium quamprimum dari, ſeveritatem heri metuens, inſtantiſſimè petit. Hìc Epiſcopus convivas compellare. Hoc verò majus eſt quàm chirothecarum damnum! Ecquod malum iſtum Dnum Ivanum ad me deduxit? tum imperare quæri equum abductum, tandem precibus & lachrymis famuli permotus ad adſtantes Aulæ familiares dicere. Quicunque veſtrum equum in promptu habet, det eum iſti famulo: cujus equus vel

vel forte domum repetiit, vel inveniri poteſt. Sin minus, ego damnum reparabo. Ita famulus cum æquo & donario novo dimittitur. Interim ſacerdos uno ab urbe lapide Ivanum aſſequitur. Qui primo Spectrum ſe videre putat. Tandem ab eo re ſibi plene expoſita hominem increpat, lætus tamen indignatione in gaudium verſâ excipit: præſertim poſt quàm rem ab ovo arceſſivit & qua ratione Epiſcopus & promittens reſtitutionem in priores & promotionem ad novas dignitates & extrema minitans, nec promiſſam liberæ dimiſſionis conditionem implere volens, ejus animum nondum benè obfirmatum expugnarit, retulit. Hinc Ivanus animo pacato de ſervando Proſelyto extemplo cogitat. Interim dubius animi quæ cauſa ſit tantæ in famulo moræ cogitat. Et ecce ille novo inſidens equo cum novo & præſtanti munere advolat. Ita vir pius transfugam famulum, equumque ſuos recipit inſuper alterum equum & novum par chirothecarum velut auctarii loco accipit. Epiſcopus poſthæc ipſe toties deluſus vehementiſſimè indignabundus doluit, præſertim cum ſciret technas ſuas à ſacerdote revelatas cunctis fuiſſe. Idem ille Ivanus injuria afficiebatur, ut fit à potente Vicino Severino Bonaro, Caſtellano Cracovienſi, etſi eidem religioni Evangelicæ addicto, imò & Eccleſiæ Cracovienſis Patrono. Apud quem cum nullæ deprecationes, ac perſuaſiones, ipſorum etiam verbi divini Miniſtrorum, valerent, imò iſtæ eum tanto audentiorem facerent, ut majori injuria vicinum imbellem, ſaltem imbecillem afficere aliquando pararet, cum facto compromiſſo magna amicorum & Clientum ſtipatus caterva in agrum controverſum veniſſet, tunc Ivanus injuria & zelo commotus ſublatis in cælum oculis exclamavit: O Deus qui odiſti mendacium injuriam & iniquitatem omnem, vides quanta injuria ab iſto potente vicino afficiar. Oſtende tuam magnificentiam, & adverſus potentiam iſtius viri effrenati ſibique præſidentis exere robur virtutis tuæ. Vix hæc fatus, juſtas querelas ſuas cælum expugnaſſe vidit. Ilico enim cælo licet ſudo, fulmen nubibus excuſſum proximos carpento Caſtellani equos cum auriga exanimavit, Caſtellanus perculſus injuriam apud Ivanum deprecatus, fundum ei reddidit, eumque in honore deinceps habuit: Idem ille Otphinovius in cenſum primorum reformationis motorum refert Simonem Zacium, virum in Lithvania pietate & purioris veritatis prædicatione celebrem, Martinum Opoczno Artium Magiſtrum, ab illo priori diverſum, virum & eruditione & multorum nobilium juvenum in domo Petri illius Cmitæ Viri ſuo ſeculo Magni, inſtitutione, & quod maximum eſt conſtanti ad extremum initialis veritatis agnitæ zelo clariſſimum. Accenſet eis & Socium ejus germanum Mart. Taurinum, qui pro ratione temporum prudenter veritatem viris probis in occulto proponebant & multos ſed mutos faciebant Chriſto diſcipulos, paulo poſt apertè veritatem elocuturos. His adnumerat & Nicolaum Curovienſem, quem meritò Martyrem nominat (de quo paulò poſt ex ſerie temporis dicturi ſumus) & Felicem Crucigerum Scebreſſinenſem, qui ſpretis & abjectis opimis Parœciis ac ſperatis meritò ſacris dignitatibus, & ipſe Romanam Eccleſiam deſeruit, & aliis poſtea eandem deſerendi auctor extitit, qui, mirum! à malevolo Pontifice ob ſuſpicionem hæreſeos in jus tractus & interrogatus, an Calvinum in concionibus ſequatur ducem, Calvinum, de quo nihil antè inaudiverat, legere & in veritatis cognitione proficere cæpit; manifeſtò indicio Deum ſæpè mala vertere in bonum. Cujus rei ſimile exemplum in traditis à Regina Ochini concionibus Liſmanino ſupra vidimus. In hoc ordine præſtantium virorum ponit poſtea Martinum Crovicium, quem ut & illos duos à ſingulari pietate & in divinam gloriam zelo commendat. Hunc gratiâ apud Herum ſuum (fuit is ille Cmita ſupramemoratus) & apud mundum polluiſſe, multos ad Chriſtum, licet Sacerdotem ageret, ſæviente tyrannide Pontificia, præveniſſe impurum cælibatum caſto conjugio refutaſſe, initiò corporis Chriſti in Euchariſtia realem præſentiam & imaginum uſum ex Lutheri diſciplina defendiſſe, poſtea tamen manu Dei gravi preſſum in veritatis notitia progreſſum, omnes, ne Deo reſiſtant, ſuo exemplo docuiſſe, libellum de Cruce Spirituali,

Spirituali, quàm primus tunc tulerit, tùm & opologiam fidei fortem contrà Andream illum Zebridovium Episcopum Cracov. conscripsisse, ab eo dolosè comprehensum & mox liberatum, ejusdem insidiis postea Cracoviæ frustra appetitum in concionibus habendis flagrantissimum fuisse, & sæpius verba illa Pauli, Væ mihi nisi Evangelium prædicavero, in ore habuisse: in pauperes quibus aliquando & indusia sua, reclamante, ne quicquam uxore, donarit munificum & ad ultimum constantem fuisse, compendio memorat. Hos ex ordine temporis cuncta persequamur. Illos tres viros, qui meritis in Ecclesiam inter primos sunt, conjungens Budzinius Martinum illum Curoviensem Petro Zborovio (: Castellano Voinicensi, an jam Palatino Cracoviensi, ignoro) à sacris concionibus, Felicem virum doctum & Prum, Crovicium insigne Dei instrumentum, ad conciones habendas delectos fuisse, contra imagines tantùm & invocationem SS.ut non tantùm ignota sed apertè contraria primævæ veritati docuisse, & multos à Papatu avulsisse, atque ita insigniter reformationis exordia ab Ao. 1546. ad 1550. perfecisse, abrogatâ Missâ Latinâ Polonicam cum minoribus ceremoniis instituisse dicit. De Crovicio Orichovius Ann. 3. hæc memoriæ reliquit: *Pulso ex Pinczovio Stancaro successerunt in illius locum fugitivi, quorum operâ illa secta ab Stancaro importata, latius serpendo in multas honestas familias propagata fuerat. Horum præcipuus fuit Martinus Crovicius, qui multis annis procurator bonorum Petri Comitæ Palatini fuit. Hic sacerdos cùm in Diœcesi Præmisliensi Ecclesiam Visnensem administraret, in Zurovicio rure apud stanislaum Orichovium hoc ipso tempore dum hæc Cracoviæ agebantur, uxorem duxerat Magdalenam Stanislai Pobiedrinshi filiam, ob quam rem pulsus à Joanne Driaduohi Episcopo, Pinczoviam profugit, & vagus ac exul cum esset, repudiata religione quam Visnæ oppido Russiæ colebat, Zuinglianas partes secutus, Sacramentariam Sectam Pinczovii Stancari instituto docebat.* Hîc mihi meritò memorandum venit fortissimum Nicolai Olesnicy gente Dembnii Pinctovii Domini, viri Magnanimi & verè Imcomparabilis Herois Christiani factum, æternâ memoriâ & laude

dignis-

dignissimum. Is enim è nobilitate primus fortiter facto in Romanam superstitionem impetu, impetum ejus defensorum fortissimè excepit. Venerat circà illa tempora in Poloniam Franciscus Stancarus natione Italus, vir non tantum Latinè, sed & Hebraicè ac Græcè doctissimus, qui reformationem Ecclesiarum editis libellis assertam ipso opere ex institutione Zuinglii præstans, à Samuele illo Maciejovio Episcopo Cracoviensi in carcerem munitæ Arcis Lipovecensis conjectus, & operà Stanislai Lassocii Lulxamerarii, verius (Magni Camerarii Lanciciensis, Andreæ Tricessii (filius is Joannis supra memorati fuit :) & Christophori Glinscii, per singularem Dei providentiam liberatus ac in tutum subductus erat. Hunc Olesnicius, iram Episcopi, & invidiam tot malevolorum non veritus in domum suam primùm recepit. Dehinc Monachos cœnobio, & imagines templo ejecit, quin & has frangi & comburi fecit. Ita rem insolentem ausus, exemplò à Pontificibus, quos ambitio & avaritia ad omnes abusus, etiam Idololatricos, licet inveteratos, primævæ tamen integritati ignotos, tuendos inducit, cum judicium eorum Olesnicius frequenti nobilitate stipatus elusisset & elisisset, instigatus Rex gravem dicam ei impegit, & ad suum Tribunal comparare jussit. Orichovius ita rem hanc describit accutatè, ut meritò hanc narrationem hîc inserere debeam:

Stancarus Pinczovii *cum se refecerat, cæpit errorem instaurare Zwinglii, in idque operam dare, ut abduceret Olesnicium à religione paterna & persuaderet illi religionem externam. Cujus ad præscriptum imagines è fano tolli, cœnam pro usitate peregrinam institui, Sacra quæ Monachi in ejus oppidi fano religionibus vetustis administrabant, explodi jubet. Erat hoc fanum cum adjuncta Monachorum domo, munificentiâ Sbignei Olesnicii operosè extructum ac liberaliter ditatum, quod profanare Stancarus properabat, cujus consilium cum Olesnicio videretur periculosum esse, ne quid inconsideratè faceret, vocat amicos ac in consilium adhibet, in quo, variatis sententiis, illa postremo vicit, ut imagines cum reliqua supellectili salvæ in fano manerent: Monachi etiam veteri instituto sacra facerent: quod nihil earum rerum mutari cùm posset impunè: adesse Regem in proximo, Episcopus etiam Cracoviâ nondum di-*

scesisse

scessisse, fore hisce rebus mutandis aliud tempus magis idoneum. In præsentia placere cœnam institui, idque fieret in Arce privatim non in fano publicè, quod in oppido subjectum est arci. Secundùm hanc sententiam permittunt Stancaro novæ cœnæ modum præscribere, at illius usum docere. Hactenus Orichovius.

Otphinovius addit, cum causam coràm Rege ageret, invictum illum Heroa, etsi à cane Regio atroci morsu vulneratus fuisset, sanguine madente nihilominus immotum perstitisse, egregio omine, eum à canibus mordentibus non illæsum, invictum tamen & immotum persistere, Dei assistente gratiâ, debuisse. Quis enim aliud in tàm præclaro credat facinore? Impleta certè tunc sunt in eximio illo viro & agnitæ veritatis confessore illa Christi Domini verba: *Virtus mea in infirmitate perficitur.* Is enim tunc primam glaciem, ut est in proverbio, fregisse, & cæteris omnibus ad adeunda & ineunda divinæ veritatis penetralia viam monstrante Deo præparasse & expedivisse dicendus est. Adeò tunc sicut & olim non tantùm Senatûs Sacri & Profani auctoritas, sed & Regia Majestas, veritatem non tantum vinci non posse, sed nonnisi vincere posse, vidit & experta est. Nam imbellis quidem illa, imò inermis est, sed tamen armis illis spiritualibus Deo potentibus, quæ Apostolus Paulus, ille Incomparabilis Christianus Heros, & inter populi Christi Duces facilè primus, celebrat & exemplo suo probat & commendat, instructa, & hæc sola semper & ubique expedit, *ad demolitionem munitionum, quibus consilia demolimur, & omnem celsitudinem, quæ extollitur adversus cognitionem Dei, * & captivam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Christo*, sicut ibidem Apostolus addit. Sed nos hâc panopliâ divinâ in transitu visâ, ad eum, qui tunc coram Augusto Rege & toto concilio non fortiter magis, quàm feliciter eam expedivit, redeamus. Perculsos tantâ viri constantia & fortitudine inimicos fuisse & Otphinovius testimonio fide digno nixus, prodit, & res ipsa loquitur. Singulare enim Viri illius non tantùm mentis sed & corporis robur celebratur. Adhæc ipse ætatis florentis vigor & familiæ non tantum antiquissimæ, sed & splendidissimæ ac Senatoriæ (quæ eadem cum Sieniniarum

rum est, ac insigni illo Sbignei Cardinalis gaudet ornamento) præstantiâ, tùm quod Potissimum hìc censeri debet, bonæ causæ conscientia tantam fiduciam & virtutem juveni ad præclara quæque nato indiderunt. Qui ideo victor & ovans à facie Regis recedens non tantùm à benè cæpto operè non destitit, sed potius in eo promovendo, & ad optatam metam perducendo intrepidus perrexit: quâ de re mox dicturi sumus. Addiderat ei animum & genius Regis, qui naturâ mitis & clemens erat. Ideò Legem Jagellonis Abavi sui Anno 1524. in hæreticos latam, utpote ab eo ipso, quod in historia civili, Deo volente, demonstrabimus, non obscurè abrogatam, tùm & edictum in causa Olesnicii factum (ut & posthac decretum Partzovii 1564, sancitum) in effectum non perduxerat, & crescentibus veritatis primordiis benignè tùm conniventia, tùm assensu annuebat. Idcircò & Olesnicius sumpto majori ad divinam veritatem propagandam animo Ecclesiam, purioris doctrinæ Confessoirbus constantem Anno 1550. fundavit, & reliquis omnibus veritatis studiosis ac Patronis palmam præripuit, & ut eximiam liberalitatem & hospitalitatem cæteris virtutibus adjunxerat, ita multos viros doctrinâ & virtute præcellentes in oppidum Pinczovianum, imò & in amorem sui traxerat.) Talis fuit Stancarus ille quem tamen postea Regiomontum dimittere consultum visum fuerat, ubi is Andream Osiandrum acrem expertus est adversarium. Is orsus est Anno 1551. novum de Justificatione dogma, justitiam nempè hominis esse ipsam Dei essentiam, cui paulo post, circà Annum 1559. Flaccius Illyricus, peccatum originis ipsam esse hominis essentiam è regione contrarium docuit. Tales fuêre & Joannes à Lasco, Georgius Blandrata, Franciscus Lismaninus, Martinus Crovicius, Petrus Statorius, Georgius Schomanus, Gregorius Pauli, Brelius, Tricessius aliique, ita ut tunc Pinczovia velut Athenæ Sarmaticæ celebrarentur. Atque ibi à Viris illis piis & doctis universa Biblia Sacra in Linguam vernaculam translata, sumptibus Nicolai Radzivilii Palatini Vilnensis Principis Magnificentissimi & Fortissimi renascentis veritatis vindicis impressa sunt Brestiæ Lithvanorum. Huic enim urbi Regiæ Præfectus datus

datus erat, in qua comparatam privato ære officinam typographicam condiderat, & illi Wojewodcæ Cracoviâ evocato commiserat. Ibidem exscriptus fuit liber Psalmorum & hymnorum aliique ejus notæ, quorum lectione populus à Romanis superstitionibus ad veram Dei colendi rationem revocabatur. Præibant verò populo in tàm laudabili & salutari instituto multi è præcipua nobilitate & non pauci Procerum, præsertim in Palatinatu Cracoviensi, & in hujus districtibus Prosloviensi & Xiansensi ad fluvium Sreniavam, gentilitium Lubomirsciæ, Rupnicoviæ, Vieisciæ, & aliarum præstantissimarum familiarum insigne, qui ideò à Pontificibus, Lutheranorum sive Lutherorum (hoc nomine in Polonia à Romanis & Græcis omnes dissentientes vulgo audiunt) fluvius appellatus est. Ut plurimum autem tunc temporis conatus Pontificum in opprimenda veritate, imò & vexandis ejus confessoribus, frustrà fuêre. Egregium hujus rei exemplum præbet Valentinus Parochus Krzczonoviensis, de quo ita ipse Piasecius: *Stanislaus Orzechovius Canonicus Przemisliensis* (Anno 1550) *uxorem duxit, & pertinaciter in ea retinenda perseveravit. Non multò ante Valentinus Sacerdos Parochus Krzconoviensis ob acceptam uxorem causam dicere jussus coram Episcopo Cracoviensi Samueli Maciejowski, publicè defendit errorem suum, sub Patrocinio Nicolai Olesnicki de Pinczow, Nicolai Rey, Remigii Chelmski, ut Episcopus veritus, ne contemneretur sua sententia, maluerit supersedere à tali judicio.* Sed & in oppugnando Orichovii conjugio Pontifices tunc temporis actum egêre, nobilitate jura sua contra Pontificiam arrogantiam acritèr tutante. Horum tamen assultibus Orichovius post decennium cessit, seculi illecebris captus. Exemplum Orichovii & in ejus quidem pago Martinus Crovicius uxore ductâ eodem illo 1550. anno secutus est, ut illum ipsum de eo supra loquentem audivimus. Cum temporis Bialobrzescios fratres, Abbates duos, alterum Mogilensem, alterum Andreoviensem, veterum Episcoporum more, conjugatos vidit. Inde mox Anno 1551. novo Conventûs Petricoviensis decreto cœlibatus clericorum firmatus. Circa illa tempora Martinus Zborovius Palatinus Calissiensis, in

in oppido Regio Stobrictza quod præfecti nomine administrabat, Stanislaus ille Lasocius Subcamerarius Lanciciensis, Vir nobilitate, pietate & meritis Magnus in Pelesniciano, & ei suppar Hieronymus Philipovius, germanum sociorum par in Crenciano, Stanislaus Stadnicius in Nedwedeciano, Nicolaus Dluski in Ivanoviciano, intra domesticos parietes puriorem doctrinam prædicari sibi curarunt. Idem in Majori Polonia, Andreas Gorcanus Castellanus Posnaniensis, & Majoris Poloniæ Generalis Præfectus, vir divitiis, auctoritate, & egregiis animi dotibus præpollens, Stanislaus & Jacobus Ostrorogii, in Palatinatu Cujaviensi, Lezinius Præfectus Radziejoviensis, Christophorus Lasocius (quem, ut & Ostrorogios Bielsc. Chron. 5. frustra Nicolaus Dzirgovius Archiepiscopus Gnesnensis, Joannes verò Dziaduski Episcopus Præmisliensis Stanislaum stadnicium, Andreas Zebrzidovius Cracoviensis Conradum Crupcam bruto fulmine paulò post illam Pericoviensem Synodum percusserant) in Breziniano, alii alibi fecêre. Nempe succrescebat sparsum hìc illìc veritatis semen, quod in herbis opprimere malevoli frustra conabantur, prohibente Deo & largam sementem rore & pluviâ benedictionum cœlestium fœcundante, & iniqua adversariorum veritatis studia confundente. Atque id tùm insigniter occasione jam nominati Orichovii, qui Ao. 1550. uxore ductâ, crabrones, quod dicitur, irritârat, concitatâ in se omnium Pontificum, & eis addictorum invidiâ fiebat, quod ipse in Annalibus describit. Cum autem Barbaræ illi Radziviliæ diadema ritu antiquo Ao. 1550. mense Dec. Bielscius l. 5. Chron. die 6. Aprilis accidisse testatur. Cracoviæ imponeretur, Stanislaus Lassocius zelo in divinam veritatem plenus, ideoque Pontificibus invisus & anathemate (quod tùm nondum brutum fulmen erat) percussus, cum inter Proceres Regi, solemnia Missæ audienti vel adspectanti potius, adstaret, exire templo à Marescalco Regni, ut summo Aulæ Regiæ Præfecto, jussus, parere primò noluit, allatâ in defensionem innocentiæ justâ ratione pudoris custode, non decere scil. Civem benè natum & virum honestum ac inculpatum cedere

cedere, præterquam Domino suo. Sed illo mandatum auctoritate Regiâ armatum repetente, Lassocius modestiâ generosâ in consilium advocatâ, cessit tandem, cum interea Pontifices, Heroa Christianum, tanquam Idololatricos ritus exprobrantem ægrè adspicientes, & qui tandem præsentiam ejus ferre non possent, solemnia Missæ suspendissent, latis apertè in oculis Regis & Aulæ, ut triumphatâ in justitia, ita triumphante veritate. Tanto magis cum posteà Lassocius in magna præstantium Virorum frequentia, mandatum inexpectatò datum fiduciâ innocentiæ detrectatum excusaret, ut non tàm propriam dilueret, quam iniqui Judicis in apertum modesta exprobratione produceret culpam. Atque id summo honori & singulari dandum laudi viri illius, quem flagranti in cœlestem veritatem zelò, indefesso & invicto in ea promovenda, ac fundanda Ecclesia conatu, eximio pietatis amore, precum fundendarum & colloquiorum piorum audiendorum & instituendorum assiduitate, liberali & provida in ministros Dei benevolentia, ebrietatis, luxûs omniumque vitiorum odio; contrà virtutum, quarum domicilium vivum dictus est, studio, nemo tunc æquasse scribitur; cujus rei & in sequentibus clara videbimus indicia. Ita hîc quoque Vir Magnanimus inter eos meritò ponendus est, qui primos Polonicarum Ecclesiarum Reformatores infracto robore adjuvarunt, & fundandæ Christi Ecclesiæ factis decenter præparatibus unicè intenti erant. Inter hos, sed in sacrò ordine, locandus Franciscus ille Lismaninus, & inter illos propagandæ veritatis & fundandæ Ecclesiæ præparatus ponenda singularis, quâ apud Regem, & matrem ejus Bonam, valuit gratia. Postquam enim ex illo itinere Italico Varsaviam, ubi Regina Bona agebat, feliciter 1550. rediit, & Legationis Romanæ rationem reddidit, paulò post literas à Rege, qui tunc Cracoviæ peractâ Reginæ Coronatione, accepit, quibus ei mandavit, ut Reginæ consorti suæ conciliaret favorem Matris suæ Reginæ Bonæ, cui cumprimis nuptiæ illæ filii Regis erant ingratæ & animum exasperarant satis naturâ malignum. Nam non temerè in eam quispiam lusit:

Qui

Qui tibi cunque Bonæ sacris dum tingeris undis
Imposuit nomen, omnibus imposuit.

Quo officio postquam susceptis Ao. 1551. m. Januar. Febr. & Martio Cracoviam tribus itineribus majori cum Regis quam Reginæ Bonæ gratia (publicè enim in templo arcis, & in magna Aulæ frequentia, imprudens tamen, Rege scil. id procurante, Legationem conciliationis Reginarum socrûs & nurûs peregit) perfunctus est, Rex ab eo tempore eum carum sibi habuit, & in testimonium grati ac gratiosi animi per Ociessium Cancellarium Majorem, qui in locum Maciejovii illius Episcopi subrogatus erat, primam quæ se offerret Episcopalem dignitatem ei promisit. Sed hîc velut in confinio Anni 1550 & 1551. hujus Paschalem solemnitatem narratione actorum Lismanini attingens, pedem figo, & deductis Reformationis ab Ao. 1545. ad 1550. inclusive initiis, tùm & demonstratis fundandæ Ecclesiæ paratibus, acta anni 1551. & sequentium ex ordine persequi pergo.

LIBER II.

Quomodo Reformatio ab A°. 1551. promota fuerit ad Annum 1562. inclusivè, quo Gregorius Pauli Cracoviæ Ecclesiam Christianorum Catholicorum fundavit.

CAPUT I.

Quomodo divinæ veritatis semina ex Italia in Poloniam per Lælium Socinum Anno 1551. allata fuerint.



Aximum & æterna grati animi memoria dignissimum beneficium Deus genti nostræ exhibuit, dum per multorum virorum doctorum & piorum non tantum ex vicina Germania, sed & ex remotioribus regionibus, Itali præsertim adventum, scripta, institutionis famam, veritatis notitiam ei instillavit. Ex Italia quidem præstantium ingeniorum officina, ubi tot errorum & superstitionum cellæ machinæ, meritò veritatis cælestis arma apud se conflata ad nos misit. Ex commentariis M.SS. Budzinii & vitæ Lælii Socini curriculo colligo circa annum 1546. in agro Veneto, Vicentiæ & in aliis urbibus non paucos veritati indagandæ operam dedisse &, huic fini collegia, & colloquia pia instituisse. Pertractabant hi præcipua fidei Christianæ capita. Unum scil. esse Deum altissimum, qui cuncta. ut crearit, potenti verbò & efficaci jussu suo, ita & sapienti ac benigna providentia suâ conservet. Filium ejus unigenitum esse Jesum Nazarenum hominem verum, at non simplicem, utpote virtute Spiritus S. in castâ virgine genitum. Hunc à Deo Patribus promissum tempore definito posteris eorum missum, mysterium Evangelii salutaris hominibus annunciasse, viam vitæ æternæ non indulgendo carni, sed pie vivendo consequendæ monstrasse, ex voluntate paterna vitam parandæ & sanciendæ peccatorum remissioni impendisse, ab eo resuscitatum & exaltatum esse, credentes in Christum eique morigeros à Deo justificari: ita pios homines immortalitatem in primo Adamo perditam in novissimo Adamo eandem recuperare: hunc solum populi sibi subjecti esse caput & dominum: hunc omnium vivorum & mortuorum constitutum judicem, in ultimo die ad nos venturum: interea regnum mille annorum recuperaturum & obtenturum; ad ultimum Deo Patri regnum traditurum, eique subjectum iri, ut Deus sit omnia in omnibus: Cæterum dogmata vulgo recepta de Trinitate, de Christo Dei, qui sit ipse Deus Creator, idem Deus qui Pater, de Spiritu Sancto Dei qui Deus pariter sit, de justificatione vel per opera meritoria, vel per fidem solam, meritum Christi sibi applicantem, aliaque his similia esse opiniones per Philosophos Græcos introductas. Quæ sanè præcipuam religionis Christianæ partem constituunt, & in lucem prolata totum Christianum orbem, ut excusso Vitiorum veterno evigilaret, concusserant. Erat ex hac pia societate Abbas quidam Bucali dictus, qui arcanis suis collegiis & studiis evulgatis, in præsentissimo cum versarentur discrimine salutis, una cum aliis 40. viris fuga se eripuit, & quam Christianus inter Christianos habere non poterat, apud Turcas quæsivit & invenit salutem. Thessalonicam isti concesserant: exceptis tribus, Julio Trevisano, Franco de Ruego & Jacobo de Chiar, quorum illi duo Venetiis suffocati, tertius iste morte naturali obiit. Et Abbas quidem Damasci vitam finivit. Qui verò ad Turcas se non contulerunt, silentio tempestivo tecti, nec tamen satis in patria tuti in Helvetia, Moravia, tandem & in nostra Polonia refugium invenerunt. Inter hos *Lælius Socinus* senensis fuit, vir non tantum natalium splendore utpotè vel sanguine vel affinitate Pontificibus & multis Italicis Principibus ut vidimus innexus, sed & eruditione ac singulari morum probitate clarissimus. Is itaque tùm illius periculi metu tùm compertis

pertis & fastiditis erroribus studio inquirendæ & confitendæ veritatis patriâ relicta A. C. 1547. In Helvetiam primum se contulerat. Dehinc ut Galliam, Britanniam & utramque Germaniam peragrarat; Ita & Poloniam Anno 1551. salutaverat, & semine pietatis in cordibus Lismanini & aliorum sparso, paulò post in Moraviam, indè in Helvetiam reverterat. In Moravia verò Paruta, Gentilis, Darius & Alciatus agentes in indagando vero solertèr se exercebant. Ita & Franc. Niger & Bernardinus Ochinus, quorum quidam in Polonia, alii alibi è vita exiverunt. Qui in Moravia degebant, subinde theses de Trinitate & ambiguis script. Sacræ phrasibus in Poloniam vicinam mittebant. Atque hæc seminaria veritatis ut suo loco videbimus, fuêre.

CAPUT II.

Qua ratione Lismaninus ad veritatis cognitionem & publicam professionem pervenerit quove successu.

POstquam sibi Lismaninus meritis suis gratiàm Augusti Regis singularem conciliaverat, & eandem ab illo conciliationis officio (licet Regina Barbara paulo post, scilicet 8. Idus May vitam cum morte, summo Regis mœrore commutavisset) Anno 1551. 1552 & 1553. experiretur constantem, non ea, ad alendam ambitionem vel avaritiam, secus quam vulgo fieri assolet, omnium malorum rivis ex hoc fonte in genus humanum promanantibus abusus, sed potius ad veritatem corde conceptam Regi Commendandam & propagandam usus est. Inter hæc Lælius ille in Poloniam, ut paulò ante vidimus, Anno 1551. venerat. Cum vero non tantùm Cracoviam, sed & in familiaritatem doctorum & proborum virorum, illorum scil. veritatis studiosorum venisset, Lismanino abjiciendi cuculli acerrimus auctor extitit, eundemque ad indagandam porrò veritatem & lustrandas Ecclesias Helveticas egregiè reformatas excitavit. Quæ veritatis semina in ingeniosum ad virtutem agrum cordis sparsa uberem fructum

ctum tempore attulerunt suo. Cum autem sæpius Rex cum Lismanino, utpote Reginæ Matris primario Ministro, qui ei non tantùm à secretis, sed & sacris confessionibus fuit, de tertiis nuptiis cum Catharina Caroli V. Nepte, Ferdinandi S. filia, à Francisco Gonzaga Duce Mantuano relicta vidua celebrandis ageret; Ille hâc occasione Regi assidua familiaritate conjunctus de religionis negotio cum eo egit, conspirantibus utriusque eorum in sacrum opus studiis. Quâ ratione factum, ut Rex ei mentis suæ, Ecclesiæ corruptelas aversantis aperuerit adyta, & Lismaninus diebus Mercurii & Veneris à prandio Institutiones Calvini (quô meliorem librum tunc non habebat) adferret & cum Rege de omnibus speciatim capitibus fidei liberè conferret, remotis arbitris, quod usque ad nuptias cum Catharina illa Austriaca Cracoviæ Anno 1553. celebratas duravit. Antè quas cum paulò antè uterque insperatò & gravi morbo Laboraret, communes curandæ valetudini adhibuerunt Medicos, qui à Rege digressi, jussu ejus Lismaninum conveniebant. Morbo illo liberati de negotio religionis amplius colloquentes, decreverunt, ut Lismaninus, Ministri Regii (factorem vulgo vocamus) nomine, Bibliothecam Regiam sumptibus ejus omni librorum genere instrueret, nec non viros doctos & pios adiret, Ecclesias varias, earum instituta & ritus ac regendi formas perlustraret, deque omnibus his à reditu suo Regem instrueret. Simile exemplum reperimus in scriniis Annalium Russiæ (quorum tamen potiora iniquitas temporis nobis invidit) de Volodimiro præpotenti Kioviæ Regulo. Is enim cum nondum luce Evangelii collustratus (quod demùm circà annum 983. ductâ in uxorem Basilii & Constantini Imperatorum Orientis sorore, factum est) in tenebris impietatis gentilis plus quàm illis Cimmeriis vulgò notis, ditioni suæ vicinis, ageret, circà annum 980. miserat Constantinopolin Joannem Smeram Polovecium, Medicum doctum & probum virum ad explorandas Ecclesiarum Christianarum in Græcia res. Hicce ad Principem literas Alexandria dedit, cumque certiorem reddidit de multis cultoribus veritatis, & sectatoribus religionis ab idololatria repurgatæ, qui & receptis vulgò erroribus ac

corruptelis se opposuerint& multa acerba à Græcis passi fuerint, nobis per omnia conformes: ubi & prædictiones de ruina Græcorum Idololatriæ, hypocrisi, superbiæ, discordiæ, crudelitati in conscientias humanas ob cælibatum & ciborum delectum Romano more sævienti, & aliis vitiis deditorum: de conjunctione cum illis confessoribus veritatis novissimæ gentis Slavonicæ, id est nostræ Ecclesiæ, & cum hac reliquiarum populi Judaici ad verum Messiam Dei Israëlis conversi, continentur. Ità enim & Lismaninus Regi per Literas postea totum negotium exposuit, contrà ejus tamen mentem, qui reditum ejus & narrationem vivæ vocis non literas & mutam narrationem expectabat. Ac primùm quidem Venetiis semestre exegerat. Postea Patavium invisit. Inde Mediolanum concessit, ubi à Monachis in suspicionem hæreseos tractus, & ad præfectum Urbis & arcis celeberrimæ delatus, excussis reculis, exhibitis literis salvi passûs à Rege datis, dimissus, in Helvetiam pervenit. Tiguri primùm Sacræ Eucharistiæ rationem à falso illo & prorsus idololatrico Dei cultu Pontificio multùm diversam nunquam antehac visam, lætus vidit, & viros doctos, qui in illa Helvetiæ metropoli tunc floruerunt, Rudolphum Gualtherum Conr. Pellicanum, Henricum Bullingerum, Theodorum Bibliandrum, Leonem Judæ, Conr. Gesnerum aliosque compellavit. Mox Bernam, inde Genevam, tùm Lugdunum, tandem Lutetiam Parisiorum perrexit, ut tot gentium mores & instituta sacra perlustraret, & simul supellectilem librariam compararet, atque ita mandatum Regis exequeretur. Quod tamen paulò post neglexit, postquam Genevam reversus, ne cum horrido cucullo in Poloniam rediret, uxorem duxisset, auctore Calvino & Lælio Socino (qui paulò postquam Cracoviæ sementem veritatis jecisset, Genevam eodem anno redierat, quâ tamen mox, Calvini ingenium vel non ferens vel metuens, relictâ, Tiguri sedem fixerat) sed contradicente Budzinio, ministro suo, & ob oculos ponente Regis indignationem, qui eum sumtibus suis in exteras regiones ad omnia perlustranda & exploranda ablegarit, & tantorum conatuum alium eventum quàm Ablegati sui, ejusque

ejusque Monachi, nuptias expectet, fide etiam promissi sibi data, tum & successum ejusmodi Matrimonii, quod magis ædificata subruere, quam aliquid ædificare possit, in faustum, quod etiam reipsâ evenisse suo loco videbimus. Sed surdo cecinit. Namque Monachus cælibatum, & Spiritu & carne meritò illum damnante, perosus, & ad castas, intempestivas tamen, nuptias properans, quod instituit, effectum dedit, & accepta uxore, Genevæ mansit. Quod ejus factum Rex molestè ferens ab incæpto de explorandâ religione resiluit, quamvis credibile sit, animum ejus à compertis Romanis erroribus permansisse (quod & Piasecius indicat & notat) alienum, & ab interno ac firmo assensu abductum, prælucente magnorum exemplorum, & quidem quæ vel Monachi vel alii Pontifices, etiam majoris notæ, ex se præbuerint, face, quæ certè multorum, etiam Principum illius ævi, animos perculerat. Nam non sola Germania, Gallia, Italia, Lutheros, Melanchthones, Buckhenhagios, Carolstadios, Zwinglios, Oecolampadios, Calvinos, Martyres, Brentios, Buceros, Bullingeros, Marloratos, Bezas, Ochinos, Paulos Vergerios, & alia celebria nomina, sed & Polonia nostra plures ejusmodi viros præstantes & cordatos è mediis Papatus & claustrorum Monasticorum vel adytorum tenebris, ad præferendam veritatis lucem produxit. Hîc unâ serie, nomina eorum seræ commendo posteritati. Fuêre scil. isti: *Joannes à Lasco*, Præsul dignissimus, *Aloisius* natione Italus, Concionator Regius Cracoviensis, *Cosminus* Concionator Regius, *Stanislaus Napaleganus*, *Simon Zacius*, *Felix Cruciger*, *Stanislaus Orichovius*, *Martinus Crovicius*, *Thomas Falconius*, *Stanislaus Lutomirscius*, *Valentinus Krzczonoviensis*, *Andreas Dudithius*, ille Magnus, notus in Concilio Tridentino, & in Aulis trium Impp. Orator ac Episcopus Tiniensis, post Chanadiensis, tandem quinque Ecclesiensis: tùm verò & iste, de quo nobis sermo est, *Lismaninus*. Qui tamen promissi à se dati, & beneficii à Rege accepti memor, ut se gratum præstaret, peregrinationis suæ, tùm verò & facti sui rationem Regi reddidit, libros jussu & impensis Regiis coëmtos

coëmtos biennio postquam duxerat uxorem ad eum subinde misit, nec non literas, quas celeberrimi in Helvetia viri ad eum scripsêre: quarum autographa 30. annis à morte Regis in manus Budzinii pervenerunt, ita ut ejus industriæ conservationem illorum debeamus. Horum apographa hîc omitto cum hæc jam dudum lucem viderint. Moneo tamen amantes veri ex officio viri Christiani & fidelis scriptoris, ut qua ratione in legendis celebrium Auctorum scriptis, circumspectos eos esse oporteat, videant, non bona fide in edendis illis epistolarum gravium apographis ab infestis veritati hominibus actum esse. Nam ne quid dissimulem:

Epistola, quam ad Regem Augustum Calvinus Nonis Decembr. CIↃ IↃ LIV. *dederat, satis cordate contra Pontificiam arrogantiam scripta, extat quidem inter epistolas Calvini p. 139. sed Lismanini nomen initio epistolæ parum candidè agens editor ejus omisit. Propterea tamen eam cum sit prolixa, inserere hîc minus necessarium judicavi. Hanc tamen posteriorem & breviorem insero, quòd impressum exemplar cuncta ista, quæ videbis, de Lismanino omiserit.*

„ETsi non miror Præstantissime Rex, nec dubito quo „tempore Majestas Vestra Conventum Ordinum re„gni sui agebat, in tanta negotiorum mole summis & „variis curis fuisse distractam, ut ne perlegendæ meæ co„hortationi otium suppeteret: tamen ex quo plus otii da„tum fuisset, confido aliquid vacui & soluti temporis „sumpsisse, ut meus labor tandem non fuerit inutilis. „Nam ex literis quas Majestas vestra mittere dignata est, „intelligo meam sedulitatem gratam fuisse, nec fastidio „vel contemptu rejectum fuisse meum illud scriptum, in „quo breviter ostendere conatus fueram, quænam vera „esset reformandæ Ecclesiæ ratio, & quis commodis„simus ingressus. Imò quia Majestas Vestra illud se hu„maniter excepisse ac libenter se inspexisse testatur, & ubi „liberius otium contigerit, sibi in animo esse attentius „singulas ejus partes meditari, plus indè fiduciæ ad ite„randum scribendi officium offerre visum est. Itaque si nunc

„nunc rursus Majestatem Vestram cohortari audeo, non vi„detur esse mihi de venia petenda laborandum, ac ne lon„gior quidem excusatio necessaria est. Non sum equidem „nescius vel immemor, quantum à celsitudine in qua „Magnum Regem Deus locavit, distet humilis mea & ab„jecta conditio: sed quia probè tenet Majestas Vestra „quid valeat illud cœleste edictum, quo jubentur omnes „terræ Reges Filium Dei osculari, nec ignorat externo „osculi ritu notari fidei obsequium, quod reverenter San„ctas admonitiones à Christi ore & spiritu profectas am„plectitur, mihi videtur eximi omnis metus & dubita„tio. Ego igitur quem summus Rex Evangelii sui præco„nem & Ecclesiæ suæ Ministrum constituit, ejus nomine „Majestatem vestram appello: quum jam in Polonia ex fu„nestis tenebris Papatus emergere cœperit vera religio, cùm „multi pii & cordati homines abjectis impiis superstitio„nibus ad purum Dei cultùm ultrò aspirent, ut curam „hanc aliis omnibus præferat. Et certè quantò æterna „Dei gloria umbratilem & caducum hujus mundi statum „præcellit, ita ad tuendam vel asserendam pietatis doctri„nam, posthabitis aliis omnibus præcipua nostra studia „conferre decet. Quòd hactenus Polonia Papatus corru„ptelis fœdata & vitiata perversoque Dei cultu post huma„na figmenta vagata est, quòd denique sub errorum col„luvie demersa, cælestis lucis aspectu caruit, triste ac mi„serum fuit spectaculum. Nunc verò quum illa commu„ni amentia & stupore, quo percussus fuit totus orbis, „cum Dominus liberare incipiat, summos quosque & in„fimos à suo torpore expergefieri necesse est. An igitur „Regibus cessandum, quos ideò in sublime Deus extulit, „ut inde gentibus universis præluceant. Jam verò quanti „nobis esse debeat sincera religio, per quam Christo inter „nos tribunal erigitur, quanti etiam legitimus Dei cultus, „in quo Symbolum præsentiæ ejus vivaque imago relucet, „Majestas Vestra me tacente satis intelligit. Et sanè nisi „ad nos hac in parte animandos vel unum Davidis exem„plum sufficit, minimè excusabilis est nostra segnities „Quum enim tunc nonnisi sub obscuris figuris in terrestri „Sanctuario Deum colerent Patres, refertur tamen solenne

„ ne quod concepit jus jurandum, quod non daturus esset „ somnum oculis suis, nec palpebris dormitationem, „ nec ingressurus postes domus suæ, donec invenisset lo- „ cum Domino, tabernaculum Deo Jacob. Si Regem il- „ lum pia sollicitudo Legalis cultûs quiescere passa non est, „ quin noctes & dies ad quærendam Arcæ fœderis statio- „ nem non minus anxiè quam assiduè intentus foret: quan- „ to magis nunc Christiani Regis studium ad se rapere de- „ bet spiritualis Dei cultus, omnesque ejus conatus ac cu- „ ras accendere ad obeundum hoc tam honorificum & „ præclarum munus, ut Christus emineat? Accedit etiam „ quòd David quamvis extruendi templi honore privatus „ esset, non tamen cessavit toto vitæ suæ cursu lapides, „ materiam, argentum & aurum congerere, quò succes- „ sor Solomo copiis omnibus instructus, statim sinè mo- „ ra ad opus sealacrius accingeret. Quo animosius Chri- „ stianum Regem vires omnes suas ad restituendum Dei „ templum colligere ac summoperè eniti decet, ne diutius „ inter deformes ruinas cultus Dei obsoletus jaceat? Etsi „ autem nunquam desunt obstacula, quæ pium hoc stu- „ dium morentur, longè tamen Majestati Vestræ expedi- „ tior quàm olim piis Regibus Ezechiæ & Josiæ, quibus „ arduum & durum, promptum & alacre ad suscipien- „ dam Christi fidem obsequium offerat. Quo adjumento „ sic expergefieri cordatum Regem decet, ut non minus „ strenuâ manum ipse vicissim porrigat? Nec verò his „ blanditiis dandæ sunt aures, quibus Satan per homines „ profanos lethale frigus aspergens, ignavo sopore mul- „ torum sensus perfundit. Quin potiùs excusso omni tor- „ pore manibus & pedibus in tàm præclaro opere insisten- „ dum est, ac præsertim ubi apparet agendi maturitas, ne „ si oblata divinitùs occasio negligatur, frustra deinde „ standum sit ad clausam januam. Equidem optimo viro „ & fideli servo Christi Franc. Lismanino, quum à me „ consilium peteret, auctor esse non dubitavi, ut isthùc „ statim concederet, si quis fortè opera ejus usus fuerit, „ saltem pio ejus desiderio libenter subscripsi: nec veritus „ sum ne ejus profectio quasi intempestiva Majestati Ve- „ stræ displiceat, cujus præsentiam multis modis utilem „ expe-

„ experientia ipsa ostendet. Quòd si palam à Rege ipsum „ proferri mox à primo ingressu nondum commodum „ videbitur, mihi tamen per sacrum Christi nomen rogan- „ da suppliciter & obtestanda est V. M. ut rectè currenti „ saltem aliunde patefactam viam curet. Interea assiduis „ votis precabimur, ut Dominus pro sua incredibili poten- „ tia opus quod cæpit feliciter absolvat, Majestatem Vestram „ heroico spiritu instruat, & in statu prospero incolumem „ tueatur. Genevæ pridie Natalis Domini, quem cupio „ sicuti summo imperio à Patre donatus est, ita reveren- „ ter in palatium verum excipi, ut jure suo ab omnibus co- „ latur. 1555. & 24 Decembris.

Majestatis Vestræ addictissimus

JOHANNES CALVINUS.

Serenissimo Poloniæ Regi,

Domino meo Clementissimo.

Alias etiam dedit ad Regem literas Calvinus V. Id. Februar. 1555. ut & H. Bullingerus 12. Novemb. ejusdem anni, sed quas jam dudum editas omittimus.

CAPUT III.

De his quæ factum Lismanini in Polonia secuta, & aliàs, in negotio religionis gesta sunt.

INter hæc, cum Lismaninus peregrè esset, Ecclesiæ Polonicæ insigniter crescebant, vires subinde majores per provinciam Cracoviensem, sed & per totam Minorem Majoremque Poloniam & Lithvaniam acquirente Evangelio, & nobilitate juribus suis confisa, ut Ministri verbi, qui & Parochi Evangelicorum vulgò vocabantur, quietè agerent, magno animo & felici conatu pertendente. Sed cum nondum veritati in Metropoli Cracoviensi paratum esset domicilium, Vola Decii Justi Prædium suburbanum illum primum excepit, accito il- luc

luc viro pio & erudito Gregorio Pauli Breffinenfi, qui rem divinam ibi faciebat, ut & in Chelmiano, Remigiani Chelmii Viri generofi prædio itidem Urbi vicino. Quapropter multi Cracovienfium civium utriufque fexûs concurrere ad audiendas conciones folebant, licet & iter illud crebrò fatis fuerit incommodum, & malevoli, curante id Epifcopo Cracovienfi illo Andreâ Zebridovio, convitiis & variis moleftiis ac obftaculis impedire eos fæpè conarentur. Sed vincebat hæc omnia ardens in divinam gloriam & propriam falutem zelus, fecundante & tutante pios conatus divinâ providentia, quod & Regius Pfaltes olim celebravit: *Beatus homo cui facultas est in te, femitas tuas infiftendi ex animi fui fententia. Qui tranfeuntes per vallem mori fontem conftituunt eum, quos etiam benedictionum operit pluvia. Qui pergunt ab acie ad aciem comparituram apud Deum Tzione* Pfal. 84. 6. 7. 8. fignificans fideles Dei cultores ad dilecta ejus tabernacula properantes fuperare avia, deferta & omnia incommoda ac obftacula, ut perveniant in Domum Domini, qui fuis propitius fingulari favore eos compleat. Ita enim profectò tunc evenit, cum & Staniflaus Laflocius, Matthæus Stadnicius, & Joannes Bonar Magnus Procurator arcis Cracovienfis & Caftellanus Biecenfis, Viri Illuftres in Aulas fuas Miniftros ad conciones habendas adducerent. Et Bonarus quidem in horto fuo ad ipfa urbis mœnia ante portam ædi Nicolaitanæ vicinam, & ab ea cognominatam cœtui facro colligendo locum affignavit. Atque ibi poftea Gregorius ille docuit magna hominum frequentia, ut ad novas res fieri folet, confluente. Chelmius vero in fuo prædio fepulturæ locum dedit, quem Pontificia iniquitas Montem Caninum vocaverat. Sed & Ivanovicianum tertio ab Urbe lapide diffitum pagum (quem cum Vir nobilis Dluflii poffideret, libertate multâ ufus, jufferat imagines templo ejici) eadem fini adire folebant. Egregium hâc occafione occurrit exemplum, memoratu dignum de quadam honeftâ matronâ, Joannis Jeleni Civis Cracovienfis conjuge. Quæ cum formâ fed & pudicitia, præftaret, non fecuta eft veftigia aliarum fœminarum, quæ in illa urbe non infrequenter

ter

ter fidem conjugalem à Pontificibus (quibus obtentu religionis omnia funt pervia & licere putantur) temerari finunt. Cum enim Andreas Zebridovius Urbis illius Epifcopus in omnem luxuriam folutus, à fuo Archidiacono ejufdem ollæ miniftro accepiffet, fœminam illam formâ pulcherrimam in platea, quæ à fraternitate commentorum Francifci æmula Bratska vulgo dicitur, propè Palatium fuum habitare, eam ad fe citari, quòd ad audiendas conciones Lutheranas (hoc nomine in Polonia omnes à Romanenfibus diffidentes venire jam ante monuimus) cum marito, qui potius, non fœmina, citari propterea debuit, fi potior religionis vel juftitiæ quàm libidinis ratio habita fuiffet, Chelmianum vel Ivanovicianum adiret. Quæ cum coram Pontifice comparuiffet, oculos & cor ejus, fed fruftrà, in fe convertit

Nam videt hanc, vifamque cupit,

Sed non potitur cupitâ, licet retia libidinis capiendæ prædæ pandens, adftante Archidiacono & frequenti Aulicorum coronâ eam compellarit: *Tune es, ô Lutheri fequax, quæ licet ædi D. Francifco facræ vicinus habites, eam tamen non adis, fed ad unum & alterum milliare ftudio concionum Lutheranarum audiendarum extra urbem excurris. Adimam ego tibi propenfum in Lutheri fectam affectum. Si nolis colum domi tractare & templum frequentare, faxo ut brevi in arcem Lipovecianam* (arx eft Epifcopalis, urbi vicina) *deducaris.* Ad quam propofitionem, religiofæ fimulationis plenam, mulier in Aulis olim educata, & inter fales pudorem tueri docta, lepide refpondit: *Reverendiffime Princeps Aliquis bonus vir* (is revera erat Archidiaconus lateri Epifcopali proximus) *cum non haberet quod ageret, voluit gratum Reverendiffimæ Ceffitud. Veftræ præftare officium, me de Lutheranifmo accufans, qui ad eum nequaquam pertinet. Nam ut ego non obfervo, quorfum ille ire foleat, ita dubito ut ifte delator pietate motus, quorfum ego eam, obfervaverit. Verumtamen fi digna effem carcere, is non in Lipoveciano, qui pro Sacerdotibus folis extructus eft, fed in Promnicenfi arce, qui fœminis deftinatus eft, fubeundus mihi foret.* Senfit Pontifex falem, quo mulier

fe &

se & sibi similes perfricuit, & subridentibus, affatim auditoribus, Archidiaconum dicere ad hos, *Spectatum admissi risum teneatis amici*, ad illum verò.

Heu bone vir, curasti probè, volens, aspiciens, una cum eo obmutuit. Mulier verò benè sibi conscia & constans beneque morata, genu flexo, domum recessit spectatoribus Comœdiæ in sinu vetus illud repetentibus:

Egregiam verò laudem & spolia ampla refertis!

Prætereundum hîc non est, id quod Budzinius annotat Episcopum istum amari & malevoli zeli plenum, interim ventri deditum, ac veræ pietatis expertem fuisse. Totam enim de resurrectione fidem & universam Christi religionem fabulam ducebat, maledico ore Christum Servatorem lacessens, & impiam vocem de tribus impostoribus (de quibus an liber aliquis habeatur, ignoro, sed Bernardino Ochino injuriâ imputari, benè scio) proferens. Harum blasphemiarum testem Budzinius adducit Andream Patritilem, olim suum Præceptorem, postea verò Episcopi istius Secretarium. Is enim hæc & alia plura ei pro veteris amicitiæ fide, retulit, ut & aliquando se cum Hero illo suo carpento vectum in pratum delatum fuisse, eumque ad se dixisse: *Vides, Andrea, hoc pratum. Felicius id me est. Nam gramen, quod ea falce resectum jacet, redibit. Ego autem semel falce mortis demessus non amplius resurgam.* Tum & dicere eundem solitum fuisse: *Crede & in hircum, si velis, dummodo mihi decimas pendas.* Sed talem vitam & animi improbitatem zelo simulato & persecutionibus piorum velare juvat. Itaque aggressus primò est Conradum illum Crupcam Przeclawski, Virum Nobilem, cui ob diversam de fide sententiam & decimas ad tribunal suum Pontificium (ad quod ante peractam reformationem & partam Spiritui corporique justam libertatem nobiles olim cum discrimine honoris & vitæ trahebantur) adesse jussit. Qui jugo illo Pontificiæ jurisdictionis cervices nobilitatis premente comparuit, sed cum caterva Nobilium; præcipuè verò innocentiam ejus juvit Martini Zborovii Palatini Calissiensis Viri Illustris & Præpotentis, ac propè Audacis (testatur id Dux Vishovecius, ob raptam Ducem Ostrogianam in media Bohemia captus & trucidatus) virtus. Is enim pro more suo, imbecilliorem à fortiore opprimi ægre ferens, cum familiarium & sequacium manu in Aula, (quam ædi Francisco sacræ & Palatio Episcopali vicinam habuit, præsto fuit. Quod cum Episcopus cognovisset, Palatium claudi, portam obserari, muniri & aliquot majores machinas bellicas ignivomas præparari præcepit, exiguâ tamen januâ apertâ relictâ. Palatinus itaque cum convenire volens, misit ad eum, jubeat recludi portam, se indignorum ritu per foramen in palatium non ingressurum; quoniam in Senatum non per foramen, sicut ille in Episcopatum, sed per apertam virtutis Portam ingressus fuerit, ac proinde per apertam portam & in Palatium Episcopale intrare sit dignus, ut Episcopum cum Amicis conveniat. Budzinius refert nil amplius inter eos fuisse tunc actum. Orphinovius verò Palatinum illuc quasi quid rerum ageretur ignarum venisse, iniquitatem Jurisdictionis Episcopalis demonstrasse, liberationem ab hac servitute brevi fore prædixisse, & auctoritatis suæ reverentia ulteriorem Episcopi furorem coërcuisse. Ita tunc Episcopus anathematis fulmen, brutum tamen, contra virum illum nobilem, zelo veritatis flagrantem, vibravit. Audiendus hîc est Piasecius: *Cum*, inquit, *Andreas Zebrydovius Cracoviensis Episcopus de hæresi Lutheri accusatum Crupca Przeclawski judicaret, eumque propterea infamiâ pœnariâ notaret; æque Catholici atque hæretici equestres adeò insurrexerant contra eandem potestatem Ecclesiasticam, ut in Comitiis Petricoviæ A. 1552. nullum negotium publicum tractari permiserint, nisi prius illam Judicii Episcopalis sententia quoad pœnam infamiæ judicialis abrogaret. Ac exinde omnium Judicii Ecclesiastici contra Equestres decretorum executio fuit suspensa ad compositionem inter Status; cum eousque contra excommunicatum, si intra unum annum absolutionem non obtinuisset, consueverit Cancellaria Regia dare ad Præfectos locorum Regios mandata executionis, qualia dari solent contrà proscriptos à Rege vel Judicibus Terrarum*

Equestribus. Idem ille Episcopus cum ictus Crupcæ intentatus elusus vel elisus fuisset, aliorsum impotentiam mentis convertit. Mortuo illo Dluscio Ivanoviciani hærede convenêre vicini & Amici, ut ei justa persolverent. Quod in vicinia Urbis cum fieri Episcopus audivisset, misit illuc unum ex familiaribus, quô ritu exequiæ peragerentur, & quis totius funebris ceremoniæ dux & moderator esset, exploratum. Is cum rediisset, & exequiis magnâ frequentiâ nobiles adfuisse, missam idiomate Polonico celebratam, cereum tantum unum accensum, nec alia solemnia servata, funebris vero actûs directorem Andream Tricessium Joannis illius filium fuisse, retulisset, ita exarsit irâ, ut cibo abstinuerit, & Tricessio rogum minitari sustinuerit. Sed & ibi vana fuit sinè viribus ira. Quæ tamen aliquo successu paulò post in simili actu funebri non caruit, uti mox dicetur. Crescente confessorum veritatis & Ecclesiarum numero, ac nobilium, qui non solùm in pagis, sed & in ipsâ Urbe Cracoviensi in oculis Episcopi rem divinam fieri curabant, libertate, crescebat in dies Episcopi indignatio, cui ilia ideò rumpebantur, quòd omnes impios conatus suos frustra esse videret. Minis tamen, sed & aliis malitiosis artibus non abstinuit, ut se juratum pietatis hostem ostenderet. Cum Hieronymus ille Philipovius, qui jam tùm in Crzcentziano numerosam tuebatur Ecclesiam, Cracoviam cum uxore, quam à Viro Magnifico Hiemsta relictam viduam duxerat, venisset, Episcopus maximæ campanæ, quæ à Sigismundo I. nomen habet, in arce signum quasi ad extinguendum commune incendium, triduò edi mandat. Tùm anathematum fulmina non tantum in hæreticos, sed & in populum torquet, solemnibus Missæ interdicit, ut imperitum & superstitione captum vulgus ad invidiam, & ita ad seditionem persecutioni in Philipovium & alios veritatis fautores ciendæ opportunam concitaret. Sed cum & hæc apertæ insectationis via non successisset, aliam, eamque tectam & speciosam, calumniarum scil. ingressus est, benè doctus, Leoninam & vulpinam pellem alterius esse assuendam. Calumniæ

lumniæ occasionem præbuit Philipovianæ puerperium. Hanc monstrum horrendum, draconem tricipitem aliquot caudis armatum enixam esse, impudentia per urbem spargit, licet enixa fuerit infantem masculum, cui paternum nomen inditum, qui postea blanditias seculi secutus, avitâ generis nobilitate & Coniecpoliorum, quibuscum communia arma gentilitia gerebat, consanguinitate juvante, Regis Stephani dilectus vulgò dictus est, quod Magnus dapum Regiarum Incisor per regnum, Supremus Cubiculi Regii præfectus, Mareschalcus Curiæ, Striensis, Nurensis, Ostrelloviensis & Ostrolencensis Capitaneus factus, & Legatione ad Turcarum Imperatorem perfunctus fuerit, cum vix tricesimum annum excessisset. Sed extemplo, ut solet, non minus imprudenter, quàm impudenter instructa fraus, ut ignis in lucerna Punica transparuit & Pontificem cum grege suo in contemptum deduxit. Atque hæc res etiam populum hinc impias fraudes perosum & grave Pontificum jugum jam olim ægreferentem, illinc novitatis avidum, ideoque ad credenda accipiendaque omnia nova facilem, haud leviter ad audiendas conciones Lutheranas (hîc quoque vulgatam illam veritatis Sectatorum appellationem retinere placet) invitavit & incitavit. Tantò magis quòd has in Urbe tutò haberi & audiri posse videret, Concionatores ex pagis adducentibus Equitibus. Quos inter Lassocium & Philippovium conjunctissimum sociorum par, maximè Episcopi petebat invidia, quoquomodo utrique nocere studentis. Et huic quoque ut molestiam crearet, occasionem quam, ut & causam, qui malefacere volunt, nunquam non inveniunt, invenit, cum funus uxoris puerperio illo examinatæ, honestè cum amicis ex urbe efferret. Tunc enim excitâ studiosorum, quorum illic non minor licentia & animi impotentia, quàm virium potentia est, & aliorum ad quidvis audendum promptorum turbâ in seditionem gladiis, telis & audaciâ armatâ, funus ducenti Philipovio in medio foro prorumpens è turba Vrovecius, generis nobilitatem & studiorum famam, infami petulantiâ contaminans, alapam impegit. Quam injuriam cum ulcisci, & non tantum hunc Juvenem, sed & universam illam malefe-

riatorum turbam vi repellere Amici & familiares vellent, Philipovius & patientiæ Christianæ, & amoris conjugalis memor, & ipse injuriam modestè, scintillas magnum incendium daturas Viro cordato & prudenti sputo exstinguenti similis, tulit, & amicos ac clientes arma expedientes ritè & providenter cohibuit. Optimo certe consilio. Hoc enim Pontifices & cæteri malevoli quærebant studio, ut Evangelicæ veritatis Confessores de tumultu quopiam accusare possent, & criminari, pravum & maleficum hominum genus paci puplicæ inimicum, seditionem non religionem inchoare. Ideoque Philipovius insigni exemplo, qui ferant, qui verò inferant injuriam, seditionis fomentum, omnes docuit. Et profectò benè sibi tunc modestia, & contra malè consuluit ferocia. Illa enim laudibus afficiebatur, hæc vituperio proscindebatur publice: & tantum Evangelicorum crescebant successus, quantùm Pontificum decrescebat fides & probitatis opinio. Cum & hic Episcopus malitiæ sperato fructu excidisset, auctâ & in suam partem suspicione, & in adversam existimatione, plebejæ conditionis homines, quos sola innocentia & modestia injuriæ patens tueri contrà effrænem impietatem non poterat, aggressus est. Luculentum sacræ tyrannidis exemplum in Martino illo Curoviensi, Ministro verbi divini, Viro per omnia pio & innocente, paulò ante, anno scil 1550. quo in locum Samuelis Macieovii in Episcopum Cracov. creatus erat, statuit. Hunc enim captum & carcere Bozentino mancipatum inediâ peremit, quod non tantum Chrysippus non faceret,

--- nec mite Thaletis
Ingenium, dulcique senex nutritus Hymetto.
Qui partem acceptæ sæva inter pocula cicutæ
Accusatori nollet dare.

Sed & naturæ potius quàm Dei cultor Plinius detestaretur, diceretque, *diræ famis mortem, terræ meritis alienissimam, lenta nos consumere tabe.* l. 2. c. 63. Cum enim Vir ille Pius & Sanctus Jesu Christi Martyr nihil penes se quàm Sacrum Codicem & paulum butyri haberet, hoc unà cum libro (ut quem mente & memoriâ devoraverat ac in succum & sanguinem converterat, ore quoque devoraret & cum eo in terra conderetur) durâ fame stimulante consumpto, semianimis præsente Episcopo, qui Antonianâ, plusquam Neroniana sævitiâ supplicia spectavit, jussisse non contentus, veritatis confessioni immortuus est, fæminâ quadam, Pontificum necdum morte ejus ex satiatorum, & cadaver sanguine fœdatum innoxio intuentium, & ultrà mortem ac barbariem sævientium, nuditatem & sanguinem suffocati indusio dato tegente. Adeò Pontifices & olim Samaritanus, hæreticus Judæis & alienigena, & hic fæmina viros, plebeja dignitatibus eminentes, misericordiâ in miseros exercitâ superavit!

CAPUT IV.

De proscriptione absentis Lismanini, & persecutione ulteriori Confessorum veritatis per Andream Zebrydovium Cracoviensem Episcopum facta.

UT solet impietas semper ruere præceps in pejus, ita & hic tot piorum persecutionibus, imo & illo innoxio sanguine plusquam adamantina corda emolliri & in humanitatem flecti non poterant. Urebat malevolos Lismanini exemplum, sed & missæ virorum Præstantium Conradi Gesneri, Henrici Bullingeri, tùm Joan. Calvini ad Regem litteræ, quæ & ad Proceres Regni ac Equites veritatis Evangelicæ sectatores scriptæ per ora & manus plurium ferebantur, ità ut talia latere non possent malevolos, qui in persecutionum occasiones investigandas plusquam lyncei & emunctæ naris esse solent, in iisdem vero exsequendis impigri & ingeniosi, adeò ut meritò ex verbis Servatoris penitius in animum admittendis optare liceat: *Utinam filii lucis non sint filii hujus seculi prudentia inferiores in genere vel ordine suo!* ut nempe norint occasiones rei benè gerendæ investigare, captare, arripere, exsequi, atque ita præsidia

ſidia vitæ melioris parare. Tum quidem & hi & illi prudentiâ & induſtriâ certarunt. Nam Evangelicæ veritatis confeſſores de ea propaganda, oſores verò de eadem eradicanda quoquomodo, cogitabant. Et illi quidem indictâ ad Cal. May 1555. Synodus Pinczov. Pinczoviam Synodo, frequentem eam celebrarunt. Atque hæc prima fuit Evangelicorum in Polonia Synodus: quam Coſminecenſis in Majori Polonia eodem anno m. Aug. habita ſecuta eſt. In illa ſancitum eſt explorandos eſſe animos fratrum *Moravorum*, qui & *Valdenſes* & *Pauperes de Lugduno* & *Albigenſes* & *Picardi* vulgo vocantur, cum quibus non pauci fratrum Polonorum, ſingulari diſciplinæ Eccleſiaſticæ & pietatis ſtudio eorum invitati conſilia ſociabant. Hi (ut aliquid de iſtis quoque hâc occaſione dicamus) medio duodecimo à Chriſti nativitate ſeculo magno animo contra Romanæ Eccleſiæ corruptelas, præcipuè de Romani Pontificis totiuſque adeo Cleri tyrannide; de mercatu indulgentiarum, de nundinatione miſſæ, de multiplici Idololatria, & quæ his adnexa ſunt, detonare incipientes, longè lateque doctrinam, quæ ſecundum pietatem eſt propagarunt. Auctor illis fuit Petrus Valdus Civis Lugdunenſis Vir, ut ex factis videre eſt, pius & prudens, quem inſperatus & horrendus unius ex divitibus, qui fallendi temporis cauſâ convenerant, repentè mortui caſus, ad agendam cum ſuis & prædicandam ſeriò pænitentiam ac morum integritatem cum divitiarum & ſeculi contemtu conjunctam, inſolito quodam accenſum zelo impulit. Hanc inſtitutionem puriorem circa annum 1370. Joannes Viclefus in Anglia reſtauravit, de quo ſingulare refertur, quod & Biblia in linguam vernaculam tranſtulerit & 200. libros quaſi (redeunte Valdi intrà annorum 200. periodum zelo) contra Papam ſcripſerit. Horum veſtigiis intrà 30. annos 150. ſcil. ineunte ſeculo, Joannes Hus & Hieronymus Pragenſis fortiter & uſque ad atrocem mortem, quâ pluſquam impium illud (nam & impietatem gentilium excedens) dogma, *hæreticis non eſſe habendam fidem*, ſancitum eſt, inſtiterunt. Dehinc intra centum annos, ſicut Hus prædixiſſe ſcribitur, Martinus Lutherus Iſlebienſis

bienſis Theologiæ Doctor è familia Auguſtini, ex occaſione mercatûs indulgentiarum, quem auctoritate Leonis. X. Pontificis Romani, præ cæteris Joan. Tecelius è Dominici familia in Germania cum pudore verecundiorum, indignatione nobiliorum, dolore probiorum exercebat, in tam effrænam & ipſis quoque melioribus Pontificiis Polyd. de inventor. rer. l. 8. c. 4. p. 622. Thuan. l. 1. hiſtor. Laur. Surius Comment. p. 92, 93. improbatam licentiam ſurrexit, eique editas Wittebergæ theſes oppoſuit. Fecit quidem in eo Viri Chriſtiani & cordati officium, magnos rei per ſe falſæ & à Pontificibus proprii commodi cauſſa confictæ, utpote peccatorum ſcilicet remiſſionis, omnibus veram pænitentiam agentibus ſanguine Chriſti Redemtoris partæ, & ab Eccleſia ore Epiſcopi ſive paſtoris declarandæ facultate à tota Eccleſia in ſe ſolos tranſlata, corruptelas demonſtrando & arguendo. Sed cum ulcus tangeret, minimè faventes ſibi Pontifices expertus eſt. Invenit tamen & melior cauſſa patronos, cumprimis Fridericum Saxoniæ Electorem, Principem Magnanimum, qui Lutherum & ſuſceptum ab eo negotium contra furentes Pontifices tueri ſuſtinuit. Cui ſe paulò poſt alii Principes, ſed & urbes Imperii liberæ adjunxerunt. Tantò magis quòd ex mente Lutheri, ſed & ipſius veritatis ambitio & arrogantia Pontificum, & immenſi eorum reditus annui coercerentur, & opes eis non tantum non convenientes, ſed & noxiæ, in uſum Principum & Reip. converterentur. Sed hæc aliis cum curâ deſcripta, relinquamus, & ad noſtra vertamur. Exempla præclara Principum & Statuum vicinæ Germaniæ, quorum generoſo incaluerat pectus honeſto, ut certatim ad tollendas in fide & moribus, inveteratas licet, Eccleſiæ corruptelas concurrerent, noſtros quoque homines valde accendebant. Tantò magis quod bonis inſtitutis ac conatibus reſpondentes proſperi ſucceſſus meliora ingenia magis magiſque incitarent, invitarentque. Ex Synodo Pintzovienſi, cujus paulò ante mentionem fecimus, datæ ad Liſmaninum apud Helvetios degentem à Nobilibus Eccleſiarum Patronis & verbi Miniſtris litteræ

ræ, quibus cum in Poloniam rediret, uno animo invitabant. Oppoſuit quidem ſe eis *Staniſlaus Sarnicius*, Eccleſiæ Niedvedenſis Paſtor vir nobilitate præſtans, & ut acri ingenio, ita & elato animo, qui jam tunc ad primatum per ruinam concordiæ Eccleſiarum, quæ paulo poſt, Ao. ſcil. 1565. ut infra dicemus, hoc incentore inducta eſt, graſſabatur. Pervicit tamen auctoritas plurium æquiori cauſſæ patrocinium commodans. Adeoque litteræ illæ ad Liſmaninum per Budzinium miniſtrum ejus miſſæ fuere, qui & litteras Regias quibus Geſnero, Calvino & Bullingero reſpondit, ad eos pertulit. Quod verò tunc temporis liber orationum & hymnorum ex Bohemia in Poloniam fuerit allatus, malevoli arrepta hac occaſione Evangelicos exoſi *Picardorum* nominis invidiâ gravabant. Hâc tamen ſuperior fuit piorum, veritatis purioris propagandæ ſtudio flagrantium virtus. Qui ideò in Synodo illa de introducendo in Eccleſias magis magiſque divino favore creſcentes recto ordine maſculè &, quod omnium primum eſt, in tempore egerunt. Peſſimè hoc Zebridovium Epiſcopum Cracovienſem habebat. Ideo Cancellarium ſuum cum numeroſo equitatu quem Herodi quàm Petro magis per omnia ſimilis, alebat, Pintzoviam ad turbandum pium illum conventum miſit: Sed iniquos & audaces conatus Deus deſtituit, nec permiſit locum illum ſingularis providentiæ ſuæ documentis & fama honeſtarum occupationum celebrem, violari molitionibus Epiſcopi, hominis ut fama veri certa ferebat, carni prorſus dediti adeoque impii & in loco mali ominis, licet boni nominis degentis. Erat is pagus Dobrowoda, quaſi bonam aquam dixeris, unico lapide à Wiſlicia, à qua Pintzovia quarto diſtat lapide, diſſitus, in quo Zebridovii quondam anteceſſor, Zaviſſa de Kurozvanski Ao. 1382. ad perpetrandam cum puella in edito loco dormiente ſcortationem per ſcalas adſcendens fracta cervice expiravit, ſicuti patriæ hiſtoriæ monumenta teſtantur. Præmonitus de molitionibus Zebridovii Epiſcopi Oleſnicius Pintzoviæ Dominus, tanto majori cautione & prudentia in illis eludendis uſus eſt. Cum enim Cancellarius Epiſcopi, cum armatis equitibus ad portam oppidi venisset, ut juſſu heri vel aliquem ex Miniſtris verbi, ſi forte poſſet, captivum adduceret; ſin minus, cum Nobilibus ageret, eoſque ad ſolvendum conventum induceret, non eſt intromiſſus niſi cum tribus Comitibus, & quidem ideò quòd diceret ſe mandatum Regium litteris conſignatum ferre. Nobiles congregati relictis in cænobio, unde paulò antè Oleſnicius monachos ejecerat, Miniſtris verbi, ſoli cum Cancellario Epiſcopi in cœmiterio egerunt. Res ſic acta eſt. Exhibuit ille mandatum Regium ab Joanne Przerembſcio, qui nuper Procpiſcopus Cracovienſis fruſtra eundem Oleſnicium ad Regis tribunal ob eandem cauſam traxerat, tunc jam minore Regni Cancellario conſcriptum. Id Nobiles cum in manus accepiſſent & à quo eſſet conſcriptum vidiſſent, adhibitis ex more, præmuniendæ contra calumniam innocentiæ causâ, teſtibus nobilibus & præcone publico (miniſterialem regni generalem nos vocamus) ſe quidem ſigillum Regium debita cum reverentia ſuſcipere, at non ipſum mandatum utpotè clam Rege à Pontificibus conſcriptum. Scire enim ſe quid Regi, ut Domino debeant, & hunc noſſe, quid illis imperare debeat nec ne: injuriam ſibi in eo fieri, quòd Pontifices conventicula ſe agere criminentur: hæc nempè peragi ab illis, qui clam molitionum pravarum & proditionis cauſsâ conveniant: tales ipſos Pontifices eſſe, qui omnia ſecreta, etiam maxima Principum Romano Pontifici ſe revelaturos fide jurata ſpondeant, & nuper Lovicii tale conventiculum celebrârint: & tempus mox patefacturum, annon ipſi Pontifices potius ſeditioſa & perfida conſilia agitent. Cum hoc reſponſo dimiſſus eſt Epiſcopi Cancellarius, qui ſe ſatis modeſte apud nobiles excuſavit, ſe ut delegatum juſſa heri ſui illis expoſuiſſe, eique reſponſum eorum relaturum eſſe. Dabant autem ſedulo operam Pontifices, ut mandatis & privilegiis Regiis & Evangelicorum libertatem, innoxiam licet & æquam, opprimerent, & ſuas decimas, aliaque jura, quantumvis reſpectu ſaltem eorum; qui ab eorum inſtitutione & cura receſſerunt, injuſta ſtabilirent. Ejus generis inſtrumentum illa tempeſtas vidit, quod Regi, uxorem ſuam ſecundam Barbaram Radzivilliam, diademate cum conconſenſu Pontificum & ab his ipſis ornari cupienti inſciis ſenatoribus Regni ex Ordine Politico & Nobilibus omni

omni pietati contrarium iidem extorserant. Cujus exemplum Nicolaus Lutomirsci Castellanus Zavichostensis nactus, nobilitati Cracoviensi in conventu Proslovicensi congregatæ exhibuit, &, quos angues sinu suo foveant, Pontifices scil. qui cum inter Senatores Regni reputentur, jugulum communis libertatis & Reip. petant, demonstravit. Exemplum ejus & ego hic pono:

Ad perpetuam rei memoriam. Quoniam humana „omnia vana sunt & inutilia prorsus nisi legibus divi- „nis earumque metu & observantia in officio retineantur, „ac religionis inprimis integritate & unione obfirmen- „tur. Proinde nos Sigismundus Augustus Dei gratia Rex „Poloniæ manifestum & confessum esse volumus universis „& singulis quorum interest & interesse poterit, quod cum „ex nostris utriusque status Consilariis intelleximus, varias in Regno nostro passim pullulare hæreses, novaque in reli- „gione dogmata & ritus non solum adferri huc aliunde, „verum etiam temerarios quosdam subditos nostros pa- „lam profiteri atque instituere eam. Nos vestigiis Ma- „jorum Nostrorum insistendo, quorum præcipua cura „& studium semper fuit, Sacro Sanctam fidem Chri- „stianam propagare & adjuvare, & omnem occasionem „inter subditos nostros dissidii, ac omnis in Republi- „ca perturbationis (quæ dissensionum in religione in- „dubitatus solet esse comes) amputare, idque proprie „ad officium Regum & Principum Christianorum per- „tinere existimamus, nostris hisce literis testatum faci- „mus & pollicemur nos pro nostra pietate erga rem Chri- „stianam & Ecclesiam S. studio & amore, veritatem inpri- „mis doctrinæ Ecclesiasticæ fideique Christianæ Catholicæ „& Apostolicæ synceritatem quam S. Romana profitetur „Ecclesia, & quam majores nostri jam inde ab initio su scipi- „entes, ad hæc usque tempora constanter professi sunt, se pro- „fessuros ac in tegrè inviolateque pro viribus ubiquè in Regno „ac dominiis nostris conservaturos, hostes verò ejus non „solum Ethnicos, qui à Christiano nomine ex professo „se esse alienos volunt, sed etiam hæreticos, qui sub „specie Christiani nominis & falsa verbi Dei usurpatio- „ne omnem prorsus doctrinam Christianam tollunt & „evertunt, seque alienos esse testantur ab ea fide & re-

„ligione

„ligione quam inde ab Apostolis traditam ad hæc usque „tempora sola Romana ac universalis profitetur Ecclesia, „oppugnaturos & regno nostro propulsaturos in Consi- lium & Senatum nostrum Regium eos qui aliqua hæresi „essent infecti (quod nos sciamus) nunquam asserctu- „ros, dignitates nullas aut præfecturas eis commissu- „ros, imo si qui ad nos delati fuerint, effecturos (Deo „Optimo Maximo auspice) ut statuta Regni nostri „contra eos extendantur, ac summa diligentia exequan- „tur, quo semper inglorii, infames, extorres & exu- „les à patria permaneant, nisi in gremium S. matris „Ecclesiæ redire, eique reconciliari studuerint. Eccle- „siasticas item personas earumque jura, immunitates ac „privilegia publica & privata defensuros & conservatu- „ros, & quoad fieri poterit propugnaturos, Officiali- „bus etiam ac præfectis nostris quibuslibet ne remissi „aut negligentes essent in eis exequendis, ac manu te- „nendis cum grandi & seria indignationis nostræ com- „minatione mandamus, alioqui si qui ad nos delati „fuerint, qui cùm officio suo, tùm vero mandatis „nostris satisfacere nollent, nos id impune non fere- „mus. Quæ quidem supra scripta omnia Reverendo in „Christo Patri Domino Nicolao Dzierzgowsfei Archi- „episcopo Gnesnensi D. & aliis Episcopis suis cæte- „risque Consiliariis nostris nos pro officio suo admo- „nentibus, facturos esse nos verbo nostro Regio polli- „citi sumus, & firmiter sub juramento fidei nostræ Re- „giæ subditis nostris per nos inauguratione nostra præ- „stito observare volumus. In cujus rei fidem præsenti- „bus ibidem &c. Datum Cracoviæ feria sexta Concept. „B. M. Ao. 1550. regni vero nostri 21. Budzin. c. XI. Hoc privilegium libertati nobilium nocivum, imò illam perimens magnas postea in Comitiis dedit turbas. Pontifices enim jure hoc sibi concesso privari nulla ratione volebant: contra nobilitas tendebat. Laudatur ejusdem illius Lutomirscii vox prudenti Senatore digna, lege publica in Comitio cavendum esse, ut qui alteri hæresin objicere ausus fuerit, subjaceat pœnæ quam lex de turpiloquio & læsione bonæ famæ sanxerit: non enim

levem

levem esse contumeliam, si quis alicui hæreseos crimen objecerit, quod difficulter probari possit: non hunc esse hæreticum, qui Pontifici Romano morem gerere nolit, sed qui præfractè veræ doctrinæ ex verbo Dei depromtæ se opponat & mandata divina conculcet, novas sententias eis apertè contrarias proferat vel sequatur (*decret.part.2.caus.24.quæst.3.c. hæreticus*) idque alicujus temporalis commodi & maximé vanæ gloriæ principatusque sui gratiâ, ut ipsum jus Canonicum definit. Et certè tunc temporis nobiles, cum quos cuniculos Pontifices ad subruendam libertatem communem foderent, animadverterent, pravis eorum molitionibus & ausibus fortiter restiterunt, adeò ut Pontifices de sua arrogantia remittere necesse habuerint. Post rem eo quo diximus modo Pintzoviæ peractam Episcopus Cracoviensis nihilo melior factus, nec de suo furore quidquam remittens, eodem illo anno iracundiæ plenus vindictam totus spirabat, modesto, & cordato & libero nobilium responso offensus. Obtulit se ei commoda & hoc facinore digna occasio rei perficiendæ per Monachum, qui cæteris ejectis solus in cænobio unâ cum Alexandro Vitrelino verbi Ministro degebat. Hunc mandatis instruit ut hunc suum contubernalem & Martinum Crovicium verbi pariter Ministrum in arce habitantem ad prandium invitaret, interim submissi ab Episcopo ministri Crovicium caperent. Hunc enim, qui, ut supra vidimus, paulò ante Ecclesiæ parochus primitivâ libertate usus uxorem duxerat & ab Episcopo Præmisliensi pulsus Pintzoviam confugerat, & singulari zelo flagrans ore & scriptis Romanæ Ecclesiæ corruptelas & Pontificum artes perstringebat, maximè appetiit. Successit res ex compacto instructa absente ab oppido hærede (cujus, utpote Viri singulari non tantum animi sed & corporis fortitudine præditi præsentia talia in oppido tentare non permisisset) & aliquo successu non caruit dolus viris simplicibus præparatus, qui ex suo candore alienam versutiam æstimarunt haud memores, metuendos esse *Danaos & dona ferentes.* Nempe superveniente sub tempus prandii Masovicio quodam Episcopi Ministro cum aliquot famulis Crovi-

Crovicius captus & vinctus & currui quali ad devehendas in horrea fruges uti solemus, facie in infima ligna obversa injectus stramine tectus & aliquot barbaræ crudelitatis administris super insidentibus pressus, ocyssime abducebatur. Ita per saxa & radices arborum vectus vultu miserè contuso ægre Spiritum trahebat. Sed singulari Dei providentia opportune accurrens Balthaser Lucovius Vir nobilis & provinciæ Sendominensis Judex cum suo & Olesnicii famulo, qui solus fugientes persequebatur, clamore in sylva sublato Masovicium & famulos ejus ita perculit, ut curru relicto terga Lucovio, libertatem & vitam Crovicio dederint, paulò post ipso advolante Olesnicio. Ita Episcopi Zebridovii conatus tunc quoque frustra fuit, nec ei exiguo quietis, existimationis & equorum abductorum impendio constitit. Ille tamen obstinato ad omnem crudelitatem animo, hac impietatis infamiam celare, imò zeli famam sibi conciliare studebat. Nam iterum novum mandatum à Rege, accusante ejusdem farinæ viro, Przerembscio Cancellario Minore, obtinuit, quo jubebatur omnes Ministros verbi è domibus nobilium ad Episcopos abduci. Id autem potissimum fecit, ut ictum pararet Hieronymo Philipovio, in diœcesi sua habitanti, qui ut ex præcipua nobilitate ita & ex præcipuis exorientis Ecclesiæ Patronis fuit. Ejusdem germano amico & fidissimo studiis indefessis & vitæ integritate in opere Domini promovendo socio Stanislao Lasocio & illi Crovicio simul, idem Episcopus haud levem ictum intentavit. Cum enim Crovicius verbum Dei in Aula Lasocii Cracoviæ prædicaret, hanc violenter aggredi & Crovicium in vincula conjicere volebat. Crevit ei audacia favente partibus ejus Joanne Ociessio majore Regni Cancellario & urbis præfecto. Is enim Vir alioqui egregiis genii & ingenii dotibus prædictus, sed Pontificibus addictior, Lasocium, ut à cogendo cœtu in urbe regni primaria abstineret, & Ministrum ablegaret, missis ad eum duobus nobilibus, Secignievio Propræfecto suo & Cmitâ, severè monuit. Sed hi visâ Lasocii invictâ, imo imperterrita virtute, eandem admirati non sine verecundia recesserunt. Ita & hic

& hic ictus Episcopi à Lasocio masculè fuit retusus. Ex his paucis cognoscere licet, quàm acriter & adversarii veritatis confessores ejus tunc fuerint persecuti, & hi pravis eorum molitionibus & ausis restiterint, Deo quandoque illis ut atrocia patrarent permittente, hos verò adversis exercitos invictâ dexterâ semper protegente. Crescebant inter tot obstacula, prisco suo more, Ecclesiæ Christi, tam in Polonia Majori & Minori quam in Litvania. In hac sed & in propaganda veritate pro ratione illius temporis, Nicolaus Dux Radzivilius Palatinus Vilnensis primas tenuit. Nam agente Vilnæ, urbe Litvaniæ principali, Aulâ Regiâ, in qua multos veritatis cognoscendæ studio ardere videbat, Ecclesiam Lusciscis pago urbi vicino, fundavit. Quod facinus Magnanimi Principis non parum fidei Pontificibus apud Regem & populum detraxit, & de auctoritate Przerembscii Cancellarii Minoris qui crebra mandata nomine Regis ad Nobiles veritatis amantes emittebat, decerpsit. Adeò tunc Aula & tota Resp. Polona multos veritatis confessores & testes vidit! Hos Deus ad gentem nostram, utpotè libertatis singularis donis ornatam, dotatam, ad se convertendam mittebat & in ea Rege Augusto renasci Christi veritatem, sicut & Christus, qui & ipse veritas est, sub Cæsare Augusto natus erat, cupiebat. Inter primos veritatis primævæ restauratores Lismaninum supra posuimus. Hic antequam in patriam ipse redijsset, suasit & omni conatu egit ut Joannes à Lasco tam opportuno tempore in Patriam reverteretur. Nempe ut sic, si fortè ipse à Pontificibus ex patria pelleretur, tantus vir, cui præter eruditionem eximiam & morum severitatem, splendor natalium & illustres necessitudines auctoritatem conciliabant, in concussa veritatis ore assertæ documenta sui loco relinqueret, & velut firmam istius columnam poneret. Fuit olim Ivan à Lasco Præpositus Ecclesiæ Gnesnensis & Lenciciensis ac nominatus Episcopus Vesprinensis, qui Ecclesiæ Romanæ corruptelas animadvertens quum eas nec tollere nec tolerare posset, in Belgium, hinc in Angliam se contulit, atque ibi uxorem duxit, & cum multis viris doctis viva voce & scripto de rebus fidei contulit.

tulit. Reditum Lasci omni conatu Stanislaus Myscovius, Præfectus Mariæburgensis, Joannes Bonar, Ostrorogii, Albertus à Lasco frater Lasocius, Philipovius, & alii Illustres ac Nobiles viri curabant. Nec res effectu caruit. Lismaninus Anno 1556. at Lascus ineunte 1557. in Poloniam revertit. Lismaninus maximè adversa Pontificum studia erga se expertus, ita ut mandato Regio ex regno proscriptus fuerit. Mansit tamen ille in Regno, & per septem hebdomadas in Ivanoviciano apud nobilem & piam matronam Agnetem Dluscianam ex consilio Fratrum latuit. Interim & Fratres & ille ipse apud Senatores regni id agebant, ut ab illa proscriptione liberari innocens Regis gratia posset. Et certe Rex, Princeps benignus & qui nuper Lismaninum percarum habuit, in ejus proscriptionem non consensit. Sed Pontifices id fecerunt, qui sigillum regni minus in manu habebant. Quo animo in Lismaninum Senatores fuerint, Senatus Politici Princeps Joannes Comes à Tarnoio, Castellanus & Præfectus Cracoviensis & supremus Dux exercituum Regni litteris suis mense Julio ejusdem anni ad eum datis testatus est. Harum exemplum hic oppono.

Ternas jam, ita ut Dominatio Tua scribit, ex quo „ipsa huc in Poloniam rediit, ab ea accepi literas. Ad „primas quidem jam tùm statim cum mihi redditæ fuerant, per eum qui nobis eas reddiderat, Dominationis Tuæ servitorem rescripsi. Ad secundas vero quod „hucusque nihil responderim nulla alia de causa istud „accidisse Dominatio Tua existimet velim, quàm quod „futurum sperabam, interim cum Dominatione Tua conveniendi vel in Conventione Regni, vel ubicunque „tùm cum aliqua mihi occasio se offerret, ita ut „cum præsente longe etiam melius ac commodius „quàm per litteras quibusvis de rebus colloqui & agere possem. Quod quidem non evenisse doleo. Jam „vero ad postremas, quas mihi Dominus Lasoclei nomine ipsius reddidit, hic respondebo: quibus quod „Dominatio Tua statum præsentem rerum suarum mihi explicat atque simul præter ipsius & meam etiam „animi opinionem atque spem omnem, rem eò cecidisse

„disse indicat, ut proscriptionem è regno hoc ex decre„to Majestatis Regiæ sufferre cogatur. In eo vicem „ipsius, tanquam amici plurimum certè ut debeo, do„leo. Sed cum plæraque alia temerè & inconsultis „Regni Senatoribus nunc gerantur, non miror & istud „etiam aliquorum tantùm opera effici potuisse. Non „dubium enim est eorum qui se spiritualium nomine „jactant, aliquorum cura & industria, qui & magna „apud Majestatem Regiam existimatione & auctoritate „pollent, & calamum atque sigillum Majestatis Regiæ „in sua potestate habent, istud effectum esse eamque „invidiam Dominationi Tuæ conflatam, nec mea unquam „nec aliorum ut arbitror Senatorum Regni sententia ac„cessit: & in ipso etiam præscriptionis decreto, cujus „exemplar Dominatio Tua ad me misit, nonnulla ma„jori cum vehementia vel odii significatione scripta esse „apparent, quæ vel in animum ipsi majestati Regiæ ve„nisse non putandum est, licet autem nec id futurum „Dominatio Tua speraverat, nec alioquin ut fieret id „promeruerit, non dubito tamen tanquam virum mul„tarum rerum experientiam habentem, jam pridem „istud in animum induxisse, ut ea omnia mala & ad„versa quæcunque gloriæ divinæ propagandæ gratia in„cidere & evenire posse existimat, forti & patienti ani„mo sibi ferendum ducat, ac constitutum apud se ha„beat. Ego autem si quid modo ope aut opera etiam „mea subsidii & auxilii per me præstari commodè pos„sit, libenter profectò illi succurrere velim, & meam „quam jam non paucis annis erga illam retineo bene„volentiam, illi testari, prout reliqua etiam copiosius „Dominatio Tua ex relatione Domini Lasoclei intelli„get. Commisi enim ipsi nonnulla, quæ is nomine „meo Dominationi Tuæ significare debeat. Bene va„leat.

Idem litteræ Nicolai illius Lutomirscii Crechoviensis tunc Castellani d. 11. Julii, Stanislai & Jacobi Ostrorogiorum d. 9. Augusti, Stanislai Tarnovii Castellani Zavichostensis d. 10. Sept. Spytconis Jordani Palatini Sendomiriensis d. 12. Sept. & Nicolai Myscovii Castellani Voynicensis d. 25. Sept. datæ testantur. Juvat à quibusdam senatoribus litterarum ad Regem in hac caussa magno animo, summâ fide, eximiâ prudentiâ exaratarum nec à quoquam, quod sciam, posteritatis memoriæ, ut par erat, commendatarum, exempla subjicere. Ita igitur Myscovius:

Sacra Regia Majestas Princeps & Domine Clementissime.

„Accepi Literas & confessionem à Doctore Lismani„no viro pio ac erudito, una cum copia illius manda„ti, quo jussu sacræ Regiæ Majestatis Vestræ ex hoc re„gno proscriptus est. Quibus literis hoc maximè agit „apud me. Primùm expostulat delationem calumniosam „apud Sacram Regiam Majestatem Vestram suum Cle„mentissimum Principem, & injuriam hanc in eo regno „sibi contra omne jus allatam, quod ille apud exteras „gentes, justitiæ, humanitatis & aliarum nobilissima„rum virtutum nomine deprædicabat. Deinde horta„tur & rogat ut Sacram Regiam Majestatem Vestram „meis literis una cum aliis Senatoribus Regni com„pellarem, ut Sacra Regia Majestas Vestra dignetur eum „ab hac proscriptione liberum facere, quæ non juridicè sed „clanculariè ab adversariis illius contra eum extorta „fuit. Ac vehementer miror & doleo, quod Sacra Re„gia Majestas Vestra mala informatione potuit ad eam „rem adduci, ut virum illum, quem tantopere in Mo„nachatu adhuc existentem observabat, & judicium ho„minis cum multarum rerum experientia sæpius com„mendabat, nunc pro homine vago & Sacramentario „ex hoc regno proscribere passa est. Certè si propter „hoc quod aliud vitæ genus instituerit, ad eam rem „Sacra Regia Majestas vestra se adduci permisit, non „possum credere, præsertim quum ipso hoc facto suo „non mediocrè virtutis suæ specimen omnibus nobis „declararit, quod noluit sub specie simulatæ religionis „Sacram Regiam Majestatem Vestram & multos alios „decipere, sed potius exemplum vivum perfectionis cu„jusdam vitæ omnibus esse voluit, etiamsi hoc sit cum „minori longè suo commodo aut etiam laude apud ho-

 „mines

,, mines hujus mundi, qui bonam fidem multa commo-
,, ditate metiuntur. Verùm non hoc adhuc illi nocuiſſe
,, apud Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram arbitror, ſed
,, potius calumnioſas adverſariorum informationes. O-
,, mnibus enim manifeſtum eſt Liſmaninum non eſſe ho-
,, minem vagum, ſed apud multos Principes, inprimis
,, autem apud Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram cla-
,, ræ & optimæ converſationis Virum, qui etiam non
,, ita præſumptuoſè, ſicut aliquis homo vagus huc ad
,, nos appulerit, ſed deſideratus, imò verò vocatus le-
,, gitimè à multis, & miſſus etiam ab illis ſummis Vi-
,, ris ad petitionem noſtrorum hominum, ut videlicet eis
,, talis eſſe poſſit, cujus conſilio in rebus dubiis uti poſ-
,, ſent. Profectò divina quadam ordinatione factum eſt,
,, ut talem Doctorem elegerint ſibi noſtri homines, qui Sa-
,, cræ Regiæ Majeſtati Veſtræ ſtudioſiſſimus eſſet. Quod
,, etiam pro Sacramentario coram Sacra Regia Majeſtate
,, Veſtra accuſatus eſt, meras calumnias adverſariorum
,, illius fuiſſe apparet ex ipſius confeſſione, in qua ſatis
,, clarè fidem ſuam de Cæna Domini explicat. Cum
,, qua etiam mandatum proſcriptionis tanquam ex an-
,, titheſi quadàm repugnat. Cum itaque Sacra Regia
,, Majeſtas Veſtra tùm ex confeſſione ipſius fidei, tùm
,, etiam ex teſtimonio conſiliariorum ſuorum ſatis abundè
,, & manifeſtè innocentiam hujus pii viri agnoſcat, rogo
,, ſi pro homine innocente rogare licet, ut jam demùm
,, Sacra Regia Majeſtas Veſtra informata nunc melius à
,, ſuis conſiliariis de fide, vita, innocentiaque hujus Vi-
,, ri, proſcriptionem contra eum evulgatam, ab eo de-
,, ponat, & liberum eum eſſe ab illa pronunciet. Non
,, enim ipſi ſoli tantum, ſed omnibus illis ſummis viris,
,, à quibus huc nobis iſte miſſus eſt, injuria illata eſt
,, hoc modo, apud quos etiam ſæpius contigit homines
,, noſtros ſtudiorum vel viſendæ regionis & doctorum
,, virorum gratia peregrinari. Itaque cavendum eſt, ne
,, infames propter injuſtitiam apud exteras illas gentes
,, reddamur, quod procul dubio propter hunc Virum
,, facilè fieret. Qui ut ex illorum ſummorum virorum
,, literis apparet, magnæ æſtimationis & auctoritatis eſt
apud

,, apud eos. Non dubito igitur Sacram Regiam Maje-
,, ſtatem Veſtram illud libenter facturam; quod pro ho-
,, neſtate Reipublicæ noſtræ utilius eſſe exiſtimaverit,
,, ne videlicet apud alios injuſtitiæ nomine accuſemur. Do-
,, minus Deus Sacram Regiam Majeſtatem Veſtram per
,, ſuum Filium benedicat, & quam diutiſſime & felicis-
,, ſime eam nobis conſervet. Cujus gratiæ me humil-
,, limè commendo Dat. ex Zator 15. Septemb. 1556.

Ejuſdem Veſtræ Sacræ Majeſtatis obſequentiſſimus ſervitor. Nicolaus Myszkowski à Mirous Caſtellanus Voinicenſis &c.

Sacræ Regiæ Majeſtati Principi ac Domino Clementiſſimo.

Joannes vero Bonar Caſtellanus Biecenſis has dedit.

Sacra & Sereniſſima Regia Majeſtas Domine Domine mi Clementiſſimè.

,, SAcram Regiam Majeſtatem Veſtram ab ineunte jam
,, ætate ſumma cura venerari atque colere, ac ipſius
,, Legibus & edictis reverenter obſequi magna cum diligen-
,, tia ſemper ſtudui, atque id propenſius jam facio, quòd
,, maturior ætas, ratio & judicium acceſſerit. Cujus rei
,, cum mihi benè ſim conſcius, eo liberius interceſſioris
,, munus ſuſcipiam apud Sacram Regiam Majeſtatem Ve-
,, ſtram Doctoris Liſmanini Viri Doctiſſimi & honeſtiſſi-
,, mi nomine, his potiſſimum rationibus adductus, nem-
,, pè ut officio meo erga Majeſtatem Veſtram fungar, &
,, amicum innocentem honeſtis rationibus (ſi poſſim)
,, adjuvem, cum apud Sacram Regiam Majeſtatem Ve-
,, ſtram nunquam clementiæ locus innocentibus deeſſe
,, poſſit. Quamobrem Sacra Regia Majeſtas Veſtra mi-
,, hi veniam dabit, ſi humili prece atque animo ſincero
,, ab ipſa petam, ut edictum proſcriptionis novo edicto re-
,, vocet, atque aboleat, præſertim cum hæc mea ſuppli-
 catio

,, catio Majestatis Vestræ priori edicto nulla ratione con-
,, tradicat. Itaque intercessionem istam mihi nequaquam
,, fraudi fore confido, Majestatis Vestræ clementia fretus,
,, ad quam supplex confugio, suscepti negotii rationem
,, paucis redditurus. A multis annis maxima inter me &
,, Doctorem Lismaninum familiaritas atque amicitia inter-
,, cessit, quem affirmare possum Sacram Regiam Maje-
,, statem Vestram & omnes hujus Regni Proceres, non
,, vulgari semper honore affecisse. Eum in Poloniam re-
,, versum in meas ædes excepi, ut amicitiam veterem ei
,, testarer. Quo quidem benevolentiæ officio, nihil vi-
,, ro bono indignum me fecisse arbitror. Cæterum dum
,, meis ædibus amicus fruitur, ecce a Sacra Regia Majesta-
,, te Vestra Mandatum advenisse rumor exortus est, quo
,, Lismaninum ex hoc regno proscribi videbatur: quod
,, quidem à plerisque in dubium vocabatur, sed o-
,, mnem dubitationis spem & occasionem sustulit Majesta-
,, tis Vestræ titulus, à cujus imperio edictum illud adver-
,, sus Lismaninum prodiisse ferebatur. Hic quamvis mihi
,, grave esset, ab amico non vulgari hoc pacto divelli,
,, idque pietati Christianæ ac legibus repugnaret: tamen
,, hunc mærorem vicit Majestatis Vestræ imperium, quod
,, salva numinis reverentia, nulla unquam occasione trans-
,, gredi velim, non si capitis dispendio id fieri debeat.
,, Causa vera quod nunc ad Majestatem Vestram scribo,
,, hæc est: Allatæ mihi sunt literæ illius, quibus gravissi-
,, mè queritur, se indicta causa fuisse damnatum, cujus
,, rei fama cum jam ad exteras gentes pervenerit, à me
,, petit, ut Majestatem Vestram rogem, quo pro sua Re-
,, gia Clementia & justitia cum a proscriptione liberet,
,, cum cupiat & paratus sit, in Regno & præsentia Maje-
,, statis Vestræ si opus fuerit, rationem innocentiæ suæ ac
,, fidei reddere, (cujus confessionem in vulgus jam emisit)
,, ac malevolorum calumnias diluere. Obnixe itaque oro;
,, ne Majestas Vestra hunc hominem in sua causa inaudi-
,, tum condemnet, quod Majestati Vestræ maximè ho-
,, norificum erit, hominique innocenti pernecessarium.
,, Cujus beneficii me quoque participem fatebor, prout
,, decet veri amici officium. Insuper Majestatem Vestram
,, non precibus meis sed pro summa sua justitia, benigni-
,, tate, atque innata in omnes pietate & clementia obse-
,, cro, ut virum pium ac religiosum, à proscriptionis
,, edicto liberet, quod uti spero, ita Deum Optimum
,, Maximum precor. Quam Deus Optimus Maximus,
,, sanam felicem diutissimèque regnantem servet. Datum
,, Baliciis 16. Sept. Anno 1556.

Sacræ Majestatis Vestræ deditissimus servitor,

Johannes Bonar de Balicze Castellanus Biecensis &c.

Sacratissimæ & Serenissimæ Regiæ Majestati Poloniæ &c.
Domino Domino mihi Clementissimo.

JUvat ex hac occasione & litterarum ejusdem argu-
menti ad Regem à quodam Verbi divini Ministro
Felice Crucigero Scebressinio cordatè datarum ex-
emplum adjicere, & exemplum Christianæ fortitudinis
apud Regem potissimum bonam causam animo intrepi-
do tuentis, proponere.

Serenissime Rex ac Domine noster
Clementissime.

PHarisæi aliquot nuper à mendacii patre excitati gra-
vibus calumniis apud Sacram Majestatem Tuam nos
,, impudenter obruere conati sunt. Quo fit ut hisce lite-
,, ris nostram erga Sacram Majestatem tuam Princi-
,, pem Dominumque nostrum Clementissimum obser-
,, vantiam, reverentiam omnia deniquè veræ sanctæque
,, obedientiæ studia testari & exhibere cogamur. Porrò
,, istorum in nos odii causas diligenti studio quærentibus,
,, sese protinus nobis offert Christianæ fidei synceritas,
,, quam dùm rejectis Antichristi imposturis sequi atque
,, asserere studemus, innocentiam nostram furoris sui ful-
,, mine atterere conantur. Quod ubi nullo pacto fieri
,, posse vident, Sacræ Majestatis Tuæ clementiâ ad suam
,, injustitiam abuti non erubescunt. Testari ergo atque
affir-

„ affirmare non dubitamus; Clementissime Rex, idque „ in conspectu Dei altissimi, cui perspecta sunt omnia „ consilia, nos eorum criminum minime nobis esse con- „ scios, quorum apud Sacram Majestatem Tuam accu- „ samur. Quamobrem ab ejus clementia petimus ut de „ nostro cœtu ita sentiat sibique persuadeat, omnium vo- „ ta eò spectare, ut Sacræ Majestatis Tuæ regnique to- „ tius salutem atque incolumitatem quærant, ac ubi „ Sacræ Majestati suæ visum fuerit, non solùm fortunas „ omnes, sed etiam vitam ipsam sanguinemque liben- „ tissimè profundant. Ante annos aliquot Deus Opt. Max. „ Spiritus sui radiis mentes nostras densissimis tenebris „ immersas illustravit, ut dolos atque imposturas agno- „ sceremus, quibus Romanæ sedis chimæra hominum „ conscientias velut arctissimis vinculis irretitas multis „ jam seculis oppressit. Crescente igitur in cordibus no- „ stris Evangelii luce, talentum nobis à cœlesti Patre cre- „ ditum negligere noluimus, pigri utique servi calami- „ tosâ edocti socordiâ. Precibus ergo ad Dominum ad- „ hibitis atque inter nos agitatis consiliis quærere cœpi- „ mus, num quâ ratione florentissimum Sacræ Majesta- „ tis Tuæ regnum ab Antichristi præstigiis atque tyran- „ nide liberari, corruptusque Ecclesiæ status paulatim „ restaurari posset. Neque vero tanta temeritate sumus „ abrepti, ut arduum hoc opus absque doctorum con- „ siliis aggrederemur. Inprimis vero Clarissimi viri D. „ Franc. Lismanini, quem quod in hac Palæstra mini- „ mè novitium tuæque Sacræ Majestati addictissimum & „ clarissimum esse non dubitaremus, meritò sese nobis ob- „ tulit qui primus omnium ad sanctissimum opus hoc vo- „ caretur. Absit autem ut illius opera & consilio uti un- „ quam voluerimus, nisi quantum nobis per Sacræ Ma- „ jestatis Tuæ clementiam licuisset. Verum ecce dum literas „ ad Sacram Majestatem Tuam paramus, ut ipsi no- „ stra consilia innotescerent, Pharisæorum cohors virum „ innocentissimum gravissima proscriptione damnat. Atrox „ sanè hæc injuria, Clementissimè Rex, qua non tan- „ tum integerrimus Dei cultor affectus est, sed etiam „ omnes, quotquot ut à remotissimis Germaniæ par- tibus

„ tibus veniret, censuerunt. Falsa autem & commen- „ titia esse, quorum ab istis vir innocens insimulatur, „ nòn dubitamus, quin Sacra Tua Majestas cum ex ejus „ fidei confessione nuper edita, tùm ex multorum ejus- „ dem Sacræ Majestatis Tuæ consiliariorum literis ac ser- „ monibus intelligat. Quamobrem Sacram Majestatem „ Tuam oramus (si pro innocente deprecari licet,) ut „ proscriptionis edictum pro sua Clementia tollere atque „ abolere velit, virumque pium ab eo liberum pronun- „ ciet. Quo quidem facto exteræ gentes Sacræ Majestatis „ Tuæ clementiam & justitiam summis laudibus celebra- „ bunt, nosque obsequentissimi Sacræ Majestatis Tuæ „ subditi immortales ipsi ex animo gratias agemus. Li- „ cet autem istorum studia in hoc tota esse manifestum est, „ ut hujusmodi artibus animos nostros vicissim à Sacra „ Majestate Tua alienare possint (quod nec ipsi, neque „ Satan dissidii pater unquam efficiet) tamen Sacræ Maje- „ stati Tuæ tantam æquitatem esse confidimus, ut nos „ indicta causa damnare nolit, tantam esse animi mode- „ rationem, ut nos prius benignè audiat, quàm adver- „ sariorum criminibus fidem sit habitura. Quare Cle- „ mentissime Rex, Sacram Majestatem Tuam obsecra- „ mus, ut si quam de nobis sinistram ex horum delatio- „ nibus suspicionem concepit, eam tollere ac penitus delere „ dignetur, sibique de nostra in se observantia idem quod „ de fidelissimis atque amantissimis suis subditis persua- „ deat. Rex ille Regum Sacræ Majestatis Tuæ mentem „ Spiritus Sancti lumine in veritatis suæ agnitionem illu- „ stret, thronum ejus cœlesti sapientia stabiliat, justitia „ & æquitate confirmet, eamque cum regno florentissimo „ diutissimè conservet incolumem. Datum Secemini &c. „ 15. Septemb. Anno 1556.

Ejusdem Sacræ & Serenissimæ Majestatis Vestræ fidelissimi & obsequentissimi subditi.

Felix Cruciger Scebressinius renascentis Ecclesiæ Christi in Minori Polonia Superintendens, omnium Ministrorum & nobilium in fide Jesu Christi conjunctorum nomine.

Sacræ Regiæ Majestati Principi & Domino nostro Clementissimo.

Dum

DUm ita probi & illustres Viri Lismanino apud Regem naturâ benignum patrocinarentur, malevolorum molitiones optatum eventum non sunt consecutæ. A reditu illius Viri ardua de Sacramento corporis & sanguinis Domini controversia orta est. Ille enim non tantùm ex libris, sed & ex familiaritate Calvini & aliorum virorum præstantium, qui tunc temporis apud Helvetios degebant, hausta veriore de S. Eucharistia sententia, acriter Ecclesiæ Romanæ detestandum de panis à Pontifice consecrati in ipsum Deum creatorem conversione, vel ut plusquam barbarè solent loqui *transubstantiatione & transelementatione* dogma impugnabat, illumque panem ut & Vinum benedictum nil nisi Sacramenta corporis & sanguinis Domini esse propugnabat. Retinuerunt nimirum tunc temporis Viri pii in reformanda Ecclesia occupati Sacramentorum vocem, licet Scripturæ S. & primæ antiquitati incognitam, & castris magis quam Ecclesiæ convenientem. Cum tamen & hæc duce cælesti Christo Regum Rege in his terris militans vitam in castris & excubias contra hostem salutis assiduo agat, vox illa hactenus retineri potest, quatenus & nos dum baptizamur Sacramento Christi rogamur, adigimur imbuimur & obligamur ac per totam vitam tenemur. Tanto magis quod veteribus sacramenta nil aliud quam sacra signa sive symbola fuerint. [*Vide inter alia August. ep. 23. ad Bonifacium & contra Maximin. lib. 3. cap. 22. disti. 2. de consecrat. C. Sacrificium. Chrysost. homil. 83. in Matth. Theodoret. dial. 1.*] Prudenter itaque in illis præsertim initiis captui rudiorum pii illi Viri consuluerunt, dum vocem commodam remoto ejus pravo sensu reique usum sublato abusu retinuerunt. Dixerunt itaque & affirmarunt dogma illud Pontificium non tantum Scripturæ Canonicæ & toti antiquitati ignotum ac demum 13. post Christum seculo ab Innocentio 3. Pontifice Rom. stabilitum, sed & vocum sono barbarum & abusu magis magisque invalescente ad plus quam gentilem idololatriam, quæ numina in hortis Ægyptiorum nata risit & Deum manducari nefas duxit, productum esse. Sacram Eucharistiam, quod & ipsa vox indicat, ad agendas Deo per Christum solemnes de maximo remissionis peccatorum Beneficio gratias, & memoriam corporis Christi fracti per fractionem panis, ac fusi ejus sanguinis per fusionem vini celebrandam institutam esse: adeoque panem & vinum signa esse repræsentativa & memorialia & figuram corporis & sanguinis Domini cum Scriptura (quæ ut de plurimis rebus, ita & de agno Paschali, typo Christi, Pascha sive transitum eum vocans sic loquitur) & tota antiquitate asseruerunt, adeoque in receptos vulgo errores acriter invecti sunt. Sed hæc institutio gravem Pontificum invidiam eis conciliavit. Hæc enim est præcipua eorum officina, in qua tot non tantum opes & dignitates, sed integra imperia procuderunt, ac obtentu religionis semet Creatores Creatoris sui, imò Patres & factores (horreo talia referens) Christi [*Joan. Euseb. Nierenberg. Jesuita in histor. Panegyr. de tribus martyribus* pag. 521.] si nullus in cælo & in terra existeret, pronunciarunt: hinc omni legi & magistratu se subduxerunt, nec hoc contenti; ad ultimum Dominos & Rectores omnium semet effecerunt. Ideò Evangelii præcones & veræ sententiæ assertores populo sibi mancipato exosos reddere volentes, Sacramentarios, quasi Sacramenti hostes dixerunt. Atque hac arte non parum invidiæ ipsis apud populum rudem, superstitione captum & cuncta effectu magis & impetu quam judicio agentem conciliarunt, omni conatu in id incumbentes, ut sua dogmata falsa & jura arroganter usurpata tuerentur. Quod ut majori cum auctoritate & efficacia agerent, non tantum Regem, natura, ut diximus, clementem in suas partes pertrahere conabantur, sed &, cum hunc à crudelitate alienum viderent, Pontificis Maximi opem implorarunt. Datis itaque ad eum litteris, Nuncium à latere suo in Poloniam expediat, eodemque ut in Imperio, Gallia, Hispania & in aliis Rebuspublicis Christianis suam suorumque rem agat, orarunt. Auctor & promotor hujus consilii *Franciscus Crassinius* unus ex ordine Sacro, Episcopus Cracoviensis post hæc creatus, fuit. Quod cum Nobilitati innotuisset, dedit hæc Nunciis suis Terrestribus

bus ad Conventum Regni generalem (Comitia vulgò vocamus, nec immerito, prævalente apud nos populo) ituris in mandatis, ut de hac re consultarent & ne quid detrimenti Resp. caperet, providerent. Quid ea de re in Comitiis actum fuerit, tomo 2. cum Bono Deo dicemus. Pervicit Pontificum audax & contumax arrogantia apud facilem Regem, Senatum Populumque Polonum, ut Nuncius Pontificis Maximi, vel, ut loqui amant Apostolicus, more in aliis Rebusp. Christianis recepto, in regnum & Regiam admitteretur. Primus id officii apud nos gessit *Aloysius Lipomanus* Venetus, homo, ut facta testantur, pervicax & crudelis. Quod tanto minus mirandum, quanto

Asperius nihil est humili cum surgit in altum.

Dicebatur enim eum incerto patre fuisse natum. Hunc quamprimum Nuncii Terrarum in Comitio viderent, extemplo eum compellarunt: *Salve progenies viperarum* Talem se reipsa fuisse Lipomanus probavit. Videns enim dogma eorum de Sanctissimo, ut vocant, Sacramento in magno versari discrimine, coacto Loviciam Pontificum omnis generis conventu, è re sua judicarunt exemplum severitatis vel potius feritatis, ad incutiendum populo sibi parenti metum, & dissentientibus horrorem in aliquo ex infima vulgi fece ideoque impunius statui. Cum autem scirent pecuniæ obedire omnia &

Aurum per medios ire satellites,

ipsa quoque saxa perrumpere potentius ferro, adeoque paucos esse qui hastis argenteis pugnantium impetum sustinere queant, Boreum Præfectum Sochatzoviæ vicino Soviciæ oppido Regali, largitione corruperunt & in suas partes pertraxerunt. Hinc impetu in Judæos quàm odio publico laborantes, tam innocentiæ præsidiis defectos, facto, tres è grege eorum & fæminam quandam Dorotheam Laziciam in vincula conjecerunt. Capita accusationis hæc fuerunt: Laziciam cum de more solenni ante Paschatos festum ad Sacram communionem accederet, occultatam in ore hostiam Judæis vendidisse: hos acubus eam confixisse: inde ampullam sanguinis, quoad sanandum infantium circumcisorum vulnus opus habeant, collegisse. Cum autem homines, licet

licet superstitioni addicti, rem tamen creditu arduam in dubium vocantes documentum accusationis sanguine plenam ampullam videre cuperent, Pontifices hanc à Judæis versipellibus occultatam esse respondentes, credulitati simpliciorum illuserunt. Regi tunc Vilnæ agenti & prandenti, Przerembscius ille Regni Cancellarius Minor nuncium hunc, Budzinio teste oculato, qui tunc Stanislao Myscovio Regi à poculis per regnum, ministrabat, adnotante, dolorem vultu simulans, attulit. Subridente Myscovio, cui instructus miseris dolus suboluerat, in gratia Regis valido, utpotè Viro non tantum magnanimo, sed & industrio, cordato & faceto, Przerembscius confidentia plenus dicere: *Itane, Myscovii, rem maximo dolore & summa indignatione excipiendam, risu excipis? Hæccine est pietas & Sacratissimæ rei reverentia? Sed quid mirer? Non est tibi insolens Deum & sacra irridere.* Ad hæc ille, ut erat cordatus, respondere: *Ego verò, Przeremsci, nequaquam Deum irrideo, sed vestras calumnias & fabulas, ac nuncia vanitatis plena, quæ spargitis & ad aures Regias defertis, nec divinam, nec Regiam Majestatem reveriti, & ad omnem fraudem exuto non tantum Dei metu, sed & pudore, projecti. Deum ego metuo & vereor, & quis sit, scio, ac certus sum eum, cum sit Spiritus qui nullis sensibus attingi possit; tanto minus acubus vel manibus configi posse.* Rex in hoc negotio medium se præstitit, & patulas utrique aures præbens æquum judicem egit: neutri quidquam respondens. Acrius res postridie facta. Hinc Przerembscius elato brachio minari: Myscovius è contrario respondere; *Nisi hoc, Przerembsci, in oculis Regis faceres, hac ego dextra ad vitæ & honoris defensionem semper parata tuam minacem amputarem.* Tunc Rex tàm acri colloquio auctoritate sua intercedere, silentium utrique imperare: Myscovium etiam remotis arbitris monere: omitteret Pontificem, Regis quoque præsentis rationem haberet, & ulterioris litis ansam præcideret: ac dicere: sibi hos dolos esse perspectos, fidem se ejusmodi vanis & anilibus fabulis non commodare. Inter hæc Judæi Sochatzovienses vinctorum necef-

necessarii & socii, Regem adire, eique de gravi injuria parario Myscovio queri: Rex miseris succurrere, Borco Præfecto, vinctos dimitteret, severè imperare, cum his mandatis Aulæ familiarem mittere. Sed permittente Deo, instructum dolum effectum dedit ad omne nefas projecta audacia. Przerembscius enim cum cæteris ejusdem ollæ, mandata nomine Regio ad Borcum per dispositos equites misêre, ut Judæos ex mente Legati Apostolici & Spiritus S. (scilicet) concilium Lovicense regentis ad rogum damnaret. Lata in Judæos sententia. Hi ad
„ rogum deducti palam liberè dicere: Nunquam nos ho-
„ stiam emimus vel acubus confiximus: Nos enim ne-
„ quaquam credimus hostiæ inesse Dei corpus: Imò sci-
„ mus Deo nullum corpus, sanguinemve esse: & more
„ Majorum credimus, Messiam non futurum fuisse ipsum
„ Deum, sed ejus unctum & Legatum: Compertum quo-
„ que habemus farinæ nil inesse sanguinis. Testamur ad
„ ultimum nos nullo sanguine opus habere. His auditis crudelitatis Lipomanianæ & Pontificiæ administri picem ardentem ori miserorum infuderunt. Tàm horrendum omni ex parte facinus monumentis Romanis insertum & pro miraculo vulgatum, Regis nomine, ad conciliandam rei fictæ fidem, adposito. Id scripti à Myscovio traditum Regi, indignationem & iram ejus excivit, animumque à *Lipomano* avertit. *HuicRex in os dicere non erubuit:* se facinus illud immane detestari:&nequaquam adeò mente captum esse, ut hostiæ isti sanguinem inesse credat. Posthæc Lipomanus literas ad Nicolaum Ducem Radzivilium Palatinum Vilnensem, Virum cordatum & excelsi animi, ac singulari zelo divinæ veritatis restituendæ flagrantem dedit. Per has eum spe gratiæ Pontificiæ facta ad Papatum retrahere studebat. Sed Principem generosum ad talia immotum reperit. Is enim se ex ecclesia Dei ad speluncam latronum & idololatrarum domicilium regredi nolle aperte professus est. Inter hæc Joannes à Lasco, quem diximus, in Poloniam reversus litteras ad Regem dedit, quas Myscovio illi, suo avunculo in Regias manus tradendas commendavit. Suboluit hoc Przerembscio & sociis ejus; Itaque omni conatu eas intercipere; Rex contra

contra tempus ad eas cum Myscovio perlegendas quærere. Id tamen per multa impedimenta à Przerembscio objecta effectum aliquanto tempore dari non potuit. Imò forte fortuna litteræ hæ à Rege in scamno positæ, cum in terram decidissent, à cane Regio laceratæ, à Fabiano Cubiculi Regii familiari cani ereptæ, & collectis frustris Myscovio traditæ, à ministro ejus Budzinio aptè conglutinatæ & descriptæ fuêre, quarum exemplum meritò hîc pono: Budzin. Chron. c. 16.

Sacra Majestas Regia & Domine Domine Clementissime.

Perpetuam fidei observantiæque ac subjectionis meæ commendationem.

FAcere non potui, pro fide observantiáque in te mea (Rex Serenissime) quin te de meo in patriam reditu prima quaque occasione certiorem redderem. Etsi enim de tua in me clementia nihil dubitem omnino, occurrendum tamen hic linguis quorundam mihi esse apud Tuam Majestatem existimavi, cum nihil ferè usquè à malevolorum calumniis, inprimis verò à temporum nostrorum Pharisæis, tutum esse videamus. Referunt nimirum adhuc Majorum suorum ingenium, etiamsi pilos (quod de vulpe dicitur) mutasse videri volunt. Et quemadmodum Majores ipsorum missis à Domino, Prophetis atque Apostolis, ipsique adeò Christo Domino, mendacibus suis calumniis parcere haudquaquam potuerunt: ita eorum nunc quoque progenies, neque vult neque potest etiam parcere cuique, quem modo appareat, ullo modo sequi velle doctrinam Christi Domini & Apostolorum illius, alioqui de generem se declaratura, nisi id (pro Magistri sui more) perpetuo faceret. Atque inprimis proponendam mihi apud te esse putavi reditûs jam huc mei rationem (Rex Clementissime) ne quid inde calumniarum per istos forte struatur: Deindè verò implorandam suppliciter etiam auctoritatem tuam Regiam, Christiani videlicet Principis, adversum insidiosos morsus Pharisaicorum istiusmodi sycophantarum. Primum autem non dubito, probè te

te adhuc memorem esse (Rex inclyte) cum meum apud Te nuntium verè profectò haberem, atque is obiter sciscitaretur per Illustrissimum Principem D. Vilnen. Palatinum, num meum huc reditum ferre posses, si quidem se hic fortè mihi legitima ulla Christianaque (juxta verbum Dei) vocatio offerret; hoc mihi abs Te responsum fuisse datum, nempè meum mihi in Patriam reditum abs Te neque imperari, ne illius auctor dici posses: Sed neque prohiberi etiam, quasi me hic ferre nolis. Sed si venire omnino vellem, te (pro tua in me clementia) suadere, ne ante Bartholomæi venirem tunc enim spes erat habenda esse Comitia, in quibus certi aliquid de ipsa etiam religione statui debuisset & id inprimis curarem etiam, quantum omnino possem: ut à me omnem dissensionis à Confessione Augustana suspicionem (in causa potissimum cœnæ Dominicæ) publico aliquo testimonio depellerem. Porro in eo ipso nuncii illius cum tali responso reditu, dederunt ad me literas suas plerique regni hujus, iidemque non postremi proceres: quibus alii mihi reditum huc meum precabantur, alii verò me ad illum hortabantur etiam. Hocque ipsum faciebant præterea ex meis necessariis plurimi, qui mihi sunt partim cognationis, partim vero etiam affinitatis vinculo conjuncti. Sed omnium maxime reditum huc meum flagitabant plurimi Equestris Ordinis viri doctrinæ alioquin Evangelicæ studiosi: qui collecta cum plerisque Ecclesiasticorum Ministris Synodo, unanimiter me omnes ad se, literis suis, per eundem ipsum nuntium meum, vocarunt: & mecum ut huic tali ipsorum vocationi parerem, multis sanè & magnis rationibus egerunt. Cum igitur meus ille nuncius, tale ad me Majestatis Tuæ, (ut jam dixi) responsum, & tot ac tales item aliorum postulationes, denique talem etiam præterea vocationem ad me retulisset: eam mihi ego horum omnium rationem ineundam esse judicavi, ut neque meam mihi operam, quam peregrè aliis impendebam, patriæ meæ (ita præsertim vocatus) denegandam esse existimarem: ut tuæ interim etiam Majestatis consilium omninò sequerer, statui igitur huc redire, ut vocationi parerem: sed non ante autumnum, ut voluntati Majestatis Tuæ

satisfacerem: etiamsi patriæ jam tùm revisendæ, (sub tali potissimum vocatione) incredibili sanè desiderio tenerer. Deinde nihil prætermisi eorum (quantum in me quidem erat) quod ad consopiendam de Cœna Domini controversiam, pertinere ullo modo intelligebam. Ego cum Principibus non paucis, neque postremis, susceptis ad illos itineribus, non sine valetudinis etiam meæ periculo, ne quid de sumtibus dicam, tentavi num ratio ulla inveniri posset instituendi super ea re alicujus colloquium, ad quod Doctissimi quique à parte utrâque vocarentur. Cujus equidem rei mihi testes erunt Principes illi ipsi quibus adfui, si ita res postulet. Et cum tempora adhuc ad eam rem parum commoda esse multis viderentur, resque in longum traheretur, scripsi ego ipse Apologeticam Doctrinæ nostræ confessionem, quanto potui compendio, adversus omnes, qui nos ab Augustana confessione (præter nostrum meritum) dissentire clamant. Eamque à Calvino primum & suis; fortè enim tunc ad nos Francofurtum venerat, deinde ab omnibus Francofurti peregrinorum Ecclesiis, moxque item à præcipuis in Helvetia Ecclesiarum Ministris, postremo autem Witembergæ à Domino Philippo Melanthone lectam, & consentienter approbatam, edendam pridem curavi, & quoniam sub prelo adhuc hæret, exemplum illius manu descriptum, (ut haberi nunc ita repente potuit) Tuæ Majestati in me quidem erat, prætermittere voluisse. Confectis verò (ut fieri potuit) rebus hisce omnibus, cum rursus regni Comitia in medium hic Septembrem rejecta esse audirem: sub finem quoquè Octobris, ego iter huc meum distuli, ne quid præter voluntatem Majestatis Tuæ agerem, ut sub fine Novembris huc venire possem, sperabamque interea aut Comitia ipsa aut certe religionis tractationem in illis absolvi posse. Sic igitur huc jam veni, (Rex Clementissime) secutus vocationem meam, & Majestatis tuæ pietate ac Clementiâ, denique & consilio tuo fretus. Accepi autem in ipso mox adventu meo eos qui me huc vocarunt, in multas & graves suspiciones (præter meritum omne ipsorum) vocari: quæ res cum ad me etiam (ut ab illis

illis videlicet vocatum) nonnihil pertinere, atque iisdem me suspicionibus quoquè, per obtrectatorum calumnias involvere posse videntur: paucis hic sane mihi attingenda etiam erunt, & oranda suppliciter Majestas tua Regia, ut susurrones istos, qui nonnisi clam accusare alios solent, & nomen suum interim prodere ægrè ferunt (pro Christiani Principis officio) ne audiantur omninò, sed potius tibi sequendum esse statuas Davidis Regis sanctissimi exemplum: qui in sua œconomia non solum nihil firmi apud se fore clancularii istiusmodi delatoribus: sed ne locum quidem ullum Domi suæ illos habituros esse profitetur. Quodquè ad me inprimis attinet, equidem ita sum versatus semper ubi hactenus fui (gratia sit Domino) in meo ministerio, ut apud Dominum Deum meum accusare me ipsemet potiùs modis omnibus, quam excusare malim. Sed in civili apud homines judicio ita mihi sum benè conscius: ut non putem esse quenquam qui meum ministerium fidemque ac dignitatem illius in dubium vocare verè possit. Meæ autem in te fidei ac observantiæ meiquè item studii neminem alium & testem & judicem facio, quàm te ipsum, Rex Serenissime, & Deum inprimis Optimum Maximum qui novit & intuetur omnia. Nunc igitur, qui peregrè versans tuæ semper dignitatis tuendæ studiosus fui; nunc inquam, in mea demum Patria, iis me adjungerem scilicet, qui dignitatem auctoritatemque Majestatis Tuæ in meo Ministerio, (si id Pharisaicis istis detractoribus ita placeat,) labefactare conarentur? Absit hoc à me quam longissimè & meis omnibus. Atquè sanè tantum id à me iisquè qui me vocarunt omnibus abest, & aberit semper, per Dei gratiam, ut non modo nihil hujus ne per somnium quidem cogitemus, sed neque ferre quenquam ejusmodi inter nos ullo modo queamus, deniquè & primi eum, quisquis is omnino esset, non equidem clandestinis injuriis traducere, sed palam re alioqui benè comperta accusare velimus. Sed nostri forte delatores ex sese nos quoquè volunt metiri atque æstimare, & quod sibi ipsimet, pro admirabili sua in Papam Creatorem suum fide atque observantia, etiam

etiam contra Majestatem tuam facilè alioqui permissuri essent, ad constabiliendam quoquo modo suam tyrannidem, cujus sanè rei exempla non pauca Literis etiam mandata habemus, id si Diis placet, aliis præse imputari pro sua sanctitate volunt. At verò nos præclaram adversus clancularias talium delationes Christi Domini censuram habemus: Nempè eos qui lucem oderunt, quiquè in nocturnis potissimum tenebris sua consilia premi volunt, malorum patratores, deniquè & fures & latrones esse. Hanc ergò sibi laudem habeant, dum in lucem non prodeunt, clancularii nostri obtrectatores omnes: atquè habeant sanè non à nobis, qui nostris his verbis nihil loquimur; sed ab ipsomet Christo Domino, cujus hæc censura est & mentiri non potest. Ad hanc nos censuram (bene nobis conscii) provocamus: & te oramus (Rex invictissimè) ut illam tibi ob oculos tuos positam, ad Christi Domini gloriam habere velis. Si benè sibi conscii esse (in nobis traducendis) delatores nostri ullo modo videntur. Si vero tantum, quam nusquam non jactant fidem suam, & tuæ Majestati, & Regno universo (pro eo ac debeant) approbare volunt: palam id faciant, atquè in lucem publicam, & ipsimet veniant, & suas criminationes (ne dicam calumnias) producant. Nullius enim mala opera, in verbi potissimum Divini luce, palliari ita possunt: ut non tantò magis etiam sesé prodant, quantò majore quis hypocrisi celari illa velit. Ego sanè, ut & qui me huc vocarunt omnes, optimè alioqui nobis de fide observantiaque nostra in tuam Majestatem conscii (sit Deo gratia) nullam omninò lucem neque refugimus, neque formidamus: Sed palam cupimus, & accusari, & respondere omnibus, qui nos ullo prorsus nomine, legitimè accusare volent. Id porrò si recusant adversarii nostri, nostraquè interim omnia clandestinis suis obtrectationibus arrodere non cessant: Nos Christi Domini censuram æternam atque immutabilem appellamus, eamque & à Tua Majestate Regia, & à piis ubilibet omnibus, approbatum iri non dubitamus, quæ illis omnem alioqui quantumvis speciosæ hypocriseos larvam detrahit, eosque aliud nihil quam φαῦλα πράσσοντες, hoc est iniquitatis operarios, fu-

furesque ac latrones esse diserte testatur. Cæterum est & aliud (Rex potentissime) quod mihi etiam silentio hic prætereundum non esse putavi. Nempe de Aloisio Lipomano indigno quidem revera (ut ipsemet fatetur) sed longe dignissimo atque appositissimo Apostatica Papæ Romani Cathedra legato: qui me in sua ad Illustrissimum Principem Dominum Wilnens. Palatinum, &c. se planè digna epistola, hæreticum hominem esse scribit. Et si enim Illustrissimus Princeps ille, (pro pietate virtuteque sua insigni) hominis impudentiam abunde retuderit sua responsione luculentissima, ut ad illam nihil fere addi possit: etsi item plus satis cognita sit toto orbe Christiano Lipomani improba hypocrisis, & hypocritica quædam civilitas, ut quisquis ab ipso laudetur, merito bonis omnibus suspectus esse, quisquis vero traducatur, pro optimo integerrimoque homine censeri possit: tamen & ego mutus hic omnino esse non potui, in depellenda à me nimis effrontis calumnia & criminatione, facit verò ingeniosè, ne dicam callidè ac fraudulenter, quod nulla producta hæresi, hæreticum me interim esse fingit, ut nihil illum videlicet, probare oporteat, sed ei liceat scilicet comminisci adhuc quæ velit, (si quidem urgeatur) aut vesparum instar, infixò aculeo fugere. Præclarus profectò & accusator simul & judex! Quodsi eorum culpam in me quoque transfert, quorum nomine Dominum Vilnens. Palatinum sugillat: equidem ut ad me pertinere ea omnia (pro mea tenuitate) non possunt: ita quæ in me cadere ullo modo possunt, ea sanè facile patiar ad me pertinere: imò verò optarim ad me posse pertinere omnia: modo & præpostera vocum suarum usurpatio, (qua bonus vir ille magnopere delectari videtur,) aut tollatur, aut corrigatur. Nam etsi ea agnoscam omnia, quatenus quidem rem ipsam per se, non autem detorta hominis verba spectamus: adeò sanè nihil mihi metuo in Dei judicio illorum omnium nomine, ut multò magis mihi metuendum esse credam, nisi ea agnoscerem. Sed videat Lipomanus me, dum se (Papæ sui auctoritate) hæreticorum accusatorem pariter ac judicem esse somniat, gravissimis ipsemet, (cum suo Papa, & universa schola ipsius) hæresibus

hæresibus immersus, æternis gehennæ cruciatibus, (in Dei judicio) tradatur: non enim ibi agetur, de Papæ primatu approbando, deque larvis ac pupis, præstigiisque item omnibus Antichristiani Sacerdotii ipsius, & ejus Creaturarum omnium; sed agetur de violata conculcataque per Papas & gregem ipsorum omni dignitate atque auctoritate unigeniti Filii Dei, & Domini nostri Jesu Christi; sive personam ipsius, sive etiam functionem universam in ejus Ecclesiam consideremus. Hæc sane graviora multò erunt coram illo judice; ad cujus Tribunal olim, & Papas ipsos, & Legatos ipsius omnes, atque adeò omnes illorum Patronos, atque asseclas stare oportebit. Videat igitur Lipomanus cum suis symmystis, ut se illic expediat. Quin & tu quoque videas (Rex clementissime) ne te talium sodalitio, assensu, Patrocinioque tuo quoquo modo adjungas. Nihil dubito, multa & varia ad te deferri, quæ animum tuum variè etiam afficiant: non dubito item te offendi multis, quæ in nobis adhuc conspiciuntur, neque dubito te absterreri multis quæ tibi quoque impendere videntur, in utramlibet partem inclines. Sed in omnibus illis, & multis & variis, meminisse te oportet cælestis illius ab ipsomet Patre Deo proditi oraculi, HUNC AUDITE, HUNC AUDITE: ut in quibus Christi Domini vocem sonare omnino audies, (quam te una alioqui supra alias omnes audire oporteat,) ea tibi quamlibet sint multa & varia, denique & speciosa, abjicienda omnia esse statuas, ut Christum Dominum (juxta cæleste illud Patris Dei oraculum) audire possis: cum ille solus verax sit, ipsaque adeò veritas: omnis autem præterea homo mendax, sine ulla aut Papæ ullius, aut ejus qualiumcunque Creaturarum exceptione. In his verò quæ te in nobis fortè adhuc offendunt, intueri debes (Rex optimè) non tàm nos ipsos, qui homines esse non desiimus, & (quod in nobis est) peccati nos mancipia adhuc esse, (cum ultroneà semper nostri accusatione,) libenter profitemur: quam potius admirabilem Divini (hac in parte) consilii providentiam qua ille (etiamsi nos sibi in filios suos dilectos per suam gratuitam misericordiam in Christo Domino adoptavit) horribiles tamen adhuc pec-

cati reliquias voluit extare: tam ut Tartareæ illius viperæ superbiam in nostrorum adhuc peccatorum infirmitatem ad gloriam Divini nominis sui retundat, per assiduam ac seriam nostri ipsorum apud thronum suæ gratiæ accusationem & supplicem ac perpetuam opis suæ & gratiæ divinæ (propter Christum) placationem, tùm ut nos etiam per peccati adhuc nostri agnitionem in nostro gradu nostroque officio contineat, ne videlicet gratiæ nobis delatæ nomine vel ipsi in nobis nimium placeamus, animisque nostris efferamur, vel alios præ nobis ipsis, (quod in nobis quidem est) contemnamus; sed ut agnita omnes pariter nostra adhuc infirmitate in nobis ac miseria, non equidem alii aliis insultemus, aliique aliorum lapsus ad causæ totius infamiam detorqueamus; sed ut nos pariter etiam omnes potius sub potenti manu Dei humiliemus, fidemque nostram assiduis semper verbi Dei admonitionibus, exhortationibus ac reprehensionibus invicem in Christiana lenitate ac modestia, additis etiam consolationibus promissionis exerceamus. Quare dum alii in aliis offendimur, Rex serenissimè, non equidem alii aliorum lapsus ac vitia exaggerare, quasi nos ipsi illis careamus: non item ad causæ totius præjudicium rapere (hoc enim Satanæ consilium est, qui ad perturbationem ac confusionem religionis trahere semper omnia conatur) sed Dei Optimi Maximi consilium potius sequi debemus, nempè ut aliorum vitia, lapsus & errata, quibus alioqui nos ipsi etiam obnoxii sumus, nostra ipsorum vitia, nostros lapsus, nostraque errata esse statuamus. Et quemadmodum nostra ipsorum vitia, nostros lapsus, nostraque errata, non equidem exaggerari hostiliter in nostræ infamiæ finem, contumeliam, sed corrigi amanter emendarique potius ad nostram resipiscentiam optamus: ita hoc ipsum in aliis præstare etiam per charitatem hauddubiè debemus: præterquam si ea quibus offendimur, vel callidè excusari, vel etiam pertinaciter defendi in Dei ipsius contumeliam videmus: tam enim graviter sunt insectanda pro tuenda Dei gloria: quæ pertinaciter denique & per tyrannidem contra divini verbi leges defendi propugnarique constat. Sic & nos igitur nostra

stra vitia, nostros lapsus, nostraque errata, corrigi, emendari, reprehendi, denique & puniri optamus, (si quidem hic commeruimus,) modo ut nobis ex verbo Dei commonstrentur. Atque optamus id sane fieri, non tantùm per Majestatem tuam Regiam, Dominum meum clementissimum, sed per omnes omnino, qui nos modo eorum quibus offenduntur (ex verbo Dei) in veritate convincere ad Dei gloriam possent. Quod si id quoque à Papistis per tuam Majestatem obtineri posset, nempè ut ea pertinaciter ac per tyrannidem ne propugnarent, quæ cum doctrina ac dignitate Christi Domini manifeste pugnare, negare ipsimet non possunt: finem protinus omnis controversiæ cum illis haberemus, neque multis ad eam rem mediatoribus opus esset. Jam quod ad pericula attinet, quæ tibi essent metuenda in utramcunque partem inclines: multa hic sanè dici possent, quæ longum esset recensere. Unum dicam tantum; si propter religionis instaurationem, quam isti novationem vocant, pericula sunt metuenda: quas nobis novationes (obsecro) proferent, in Judæa, Ægypto, Syria, Assyria, Armenia, & universa minore Asia: quæ quidem Regna amplissima, omnia horribili Turcarum Tyrannidi subjecta esse videmus? nisi si id novationem esse interpretentur, quod cum longo tempore antea recusassent, ad extremum se tandem Papismo Romanensi subjicere, ejusque doctrinam sequi cæperunt. Nam ubi id fecerunt, tùm demum sanè etiam interire cæperunt. Si verò ita fuit exitialis Regnis omnibus illis, hæc talis novatio: quo pacto (quæso) tuæ Majestati & Regno huic universo, exitiale non erit, eam novationem hic retinere & tueri (quod absit) quàm tot tantisque Regnis ac Imperiis exitialem fuisse constat? Proferunt contrà isti turbarum nunc Germanicarum, interitusque Ungarici exempla, quæ nostris scilicet novationibus imputari volunt. At verò inique id faciunt. Non tàm enim cæptæ illic constitui veræ religioni, quàm publicæ potius incuriæ ac negligentiæ in restituenda (sub tanta jam luce Evangelii) vera Religione, & abolendis notis ac reliquiis Antichristianæ impietatis hæc omnia imputari debent. Ac metuo, Rex Clementissime, ne eadem aut etiam gravio-

ra Tuæ Majeſtati Regnoque toti huic immineant, ſi exortam & hic doctrinæ Evangelicæ lucem, vel repellatis, vel etiam negligenter amplecti velitis. Quod ſi conſilium adverſus pericula quærimus: apud eum quæramus, qui illa ſolus & immittere, & moderari & arcere poteſt, is verò jam olim nobis ſaluberrimum ad eam rem conſilium, per Samuelem Prophetam ſuum dedit: adjecta diſerta, indubitata, liberationis noſtræ promiſſione, ſi ipſum audiamus. Edebat Iſraël publicè reſipiſcentiæ ſuæ ſigna, poſt acceptam plures jam à Palæſtinis cladem, propter præpoſterum Arcæ cultum: quam tùm Palæſtini reſtituerant, Anathemata de ſuo quædam aurea adhibuerunt. Hic igitur Samuel ex ore Domini primum Anathemata illa Palæſtinorum Arcæ Dominicæ appenſa, pro Diis alienis reputat, & inter idola numerat. Deinde ad Iſraelem ita jam afflictum (de ipſius à Palæſtinis liberatione,) ait: ſi toto corde veſtro (inquit,) revertemini ad Dominum Deum, AUFERTE Deos alienos è MEDIO VESTRI: & præparetis cor veſtrum ad Dominum, & Ei ſoli ſerviatis. Et tùm demum liberabit nos è manu Palæſtinorum. Juxta hoc conſilium à Spiritu Dei ipſius profectum ergò, Rex Sereniſſime, ſi & tu tibi Regnoque tuo metuis, ad Dominum tibi inprimis recurrendum, & quidem non dimidiato, ſed planè toto corde tuo recurrendum eſſe cogitabis. Utque id te verè & ſine hypocryſi facere teſteris, fac id quod hic Prophetam præcipere vides. Sic enim te, quod facere debes, verè & ex animo facere declarabis. Si autem non facias, dicere profectò non poteris coram oculis Dei Ex TOTO CORDE tuo ad Deum reverti, juxta Prophetæ ſcriptum. Fac igitur, Optime Rex, cum tuis proceribus, quod Dominus mandavit. Aufer Deos alienos è medio Regni tui: inprimis verò Deum illum Regni Papiſtici præſidiarium, quem noſtri Parentes (Prophetæ videlicet & Apoſtoli) nunquam alioqui cognoverunt, circumtonſum (inquam) Deum illum MAYZIM, in quo ſolum ſitum & poſitum omne robur ac præſidium impietatis Antichriſtianæ: & ſoli Deo ſervias, in cultus veri divini perfecti reſtitutione. Tum demùm & teipſum, & Regnum

Regnum tuum, liberabit procul dubio Dominus, ab omnibus mundi hujus Palæſtinis. Sed niſi id facias, cave, ne unde tibi liberationem ipſe fortè polliceris, inde potiſſimum tibi & Regno Tuo exitium accerſas. Non eſt conſilium adverſus Dominum: & miſerrimum eſt ſuffugia Divini judicii (extra Chriſtum ſolum) quærere. Quis eſt enim, qui ſe abſcondat ab ira illius? Ad hunc igitur tibi & quidem TOTO CORDE tuo accurrendum eſſe ſtatue; ſi à noſtri ſeculi Palæſtinis undiquaque nobis imminentibus, debeas liberari. Oramus nos quidem aſſiduè, ut Dominus tibi adſit, conſiliaque tua omnia, & omnes tuas actiones, Spiritu Sancto ſuo regat ac fortunet. Sed & tibi quoque ipſi præſtandum eſt, ne noſtræ pro te preces, vanæ atque inanes in conſpectu Domini Dei noſtri fiant. Proindè & te ſupplices oramus, (Rex Clementiſſime) ad ea ut animum tuum, in timore Domini, toto corde tuo, jam ſemel aliquando adjicere velis, quæ Dominum Deum tuum abs te in præcellenti iſta vocatione Regia requirere non ignoras. Vides quænam ſint tempora, qui mores, quæ hominum ingenia: Hæc te ſanè omnia meritò ſui officii Regii commune facere deberent. Ignorantiam quæ Majores' utcunque noſtros excuſat, obtendere tu jam profectò hoc præſertim tempore mihi non poſſe videris, coram Judice Deo. Lucem in mundum veluti poſtliminio rediiſſe, juxta ipſiusmet Chriſti Domini vaticinium negare omnino in corde ipſe tuo non potes: toties præſertim id & à tantis etiam viris Dei admonitus. Quæ alioqui ita jam affulſit (Gratia ſit Domino Deo noſtro) ut nulla totius mundi vi ac potentia, amplius excludi ullo modo poſſit. Tuum erit cavere igitur, ne ſub fuco ignorantiæ tenebras magis, quam lucem dilexiſſe, apud tribunal Chriſti olim reperiaris: quam equidem ſolam omnis noſtræ condemnationis cauſam eſſe; Chriſtus ipſemet Dominus ore ſuo Divino teſtatur. Dabis hîc veniam libertati noſtræ, à ſumma alioqui fide atque obſervantia in te mea profectæ, pro Regia tua Clementia. Si enim mihi cordi non eſſet, tua dignitas Regia, cum ſalute alioqui animæ tuæ conjuncta: ſi mea item in te fides,

des, atque observantia à me id non exigeret, facilè profecto & alibi essem adhuc, quemadmodum (Divino beneficio) hactenus fui: & hic me alioqui etiam in silentio continerem. Sed quia summam alioqui Dei in regno hoc potestatem: atque imaginem reverenter agnosco, summaque cum observantia veneror: & tibi ut ordinato à Domino patriæ nostræ Patri, in omni subjectione, (ut debeo) benèvolo: facere equidem non possum, quin te reverenter etiam, (ut æquum est) eorum admoneam, pro tenuitate mea: quæ ad tuum officium Regium, tuamque pariter salutem, intelligo pertinere. Blandiantur tibi alii, ut volent: loquantur placentia, quæ volent: ego tecum loqui malim, ex ore Domini. Quem etiam supplex oro, ut quæ ad legitimam dignitatem tuam Regiam, cum salute æterna tua conjuncta, faciunt, ea illa cordi tuo infigere, atque insculpere per Spiritum Sanctum suum dignetur, omnis videlicet veritatis Doctorem. Amen. Longus sum video: sed fidem nescit mea in te fides, atque observantia, quæ mihi hæc omnia nescio quomodo extrudit. Sed finem facio. Commendo me omni subjectione ac obedientia Christiana clementiæ tuæ Regiæ Domino meo Clementissimo, unaque & eos omnes, qui me huc in patriam revocarunt, & te suppliciter oro, ut de omnibus nobis certissimo id tibi persuasum habeas, nos omnes & bonorum omnium & vitæ etiam nostræ dispendium multo libentius subire velle, quàm ut unquam nostræ in te fidei, subjectionis, atque observantiæ Christianæ quicquam, in nobis omnino desiderari patiamur, Christianæ inquam, hoc est quæ neque spe premiorum mundi hujus, neque item pœnarum momentanearum metu, sed propter Deum ipsum, qui eam nobis præcipit, & propter nostras ipsorum conscientias præstatur. Hæc enim sola est demum vera fides subjectioque ac observantia subditorum erga Dominos, quæ nullis fortunæ procellis concutitur, neque ullis periculis labefactatur. Et quæ non est talis, nec vera quidem esse potest, nimirum neque diuturna; sed ad quemvis fortunæ ventum nutans, & quæ non tam equidem te, dignitatemque tuam, quàm potius

potius opes tuas honoresque (quos abs te expectant omnes) intuetur. Philippus Melanthon tuæ Majestatis studiosissimus, cum nuper apud ipsum Witebergæ essem, & multis cum illo familiariter, de tua etiam Majestate colloquerer: hasce mihi litteras, quas meis ecce adnixas mitto) ad Majestatem tuam dedit, petitque officiosissimè Tuæ Majestati commendari: optarim & ipse videre faciem Tuæ Majestatis, tam longo alioqui jam tempore expectatam, si quomodo id mihi per tuam Majestatem liceat. Sed nihil mihi & hic fine voluntate ac mandato tuæ Majestatis permittere volo. Exspectabo igitur ut de animo tuæ Majestatis certior reddar. Deus Optimus Maximus servet Majestatem tuam, repellatque abs te omnes, qui non tàm sanè Dei tuamque ipsius gloriam ac dignitatem amant: quam suas potius opes, suum quæstum, & suos apud te honores venantur ac quærunt; consiliaque tua omnia gubernet, ac dirigat, ad nominis sui adorandi gloriam & incrementa assidua, suæ hic sub te Ecclesiæ, & ad tuam Regnique hujus tui totius salutem. Amen, Baliczïæ 28. Decembris Anno Domini 1556.

Sacræ Majestatis Tuæ

Regiæ addictissimus JOANNES à LASKO.

Sub idem tempus Philippus Melanchton Vir non minus morum quam ingenii bonitate præstantissimus ejusdem argumenti literas ad Regem dedit, quarum exemplum meritò hic adpono.

Inclyte Rex & Clementissime Domine.

„Nihil dubium est societatem generis humani, quatenus conservatur, à Deo conservari, & sapientiâ Dei ad hanc utilitatem Monarchias & cætera Regna, „quæ generi humano proferunt constituta esse. Nam „Turcicum, vastatio est orbis terrarum, & tantum „horribilis pæna, non Regnum. De his tantis rebus „consilium Dei considerandum est, & propter regna sa- „luta-

„ lutaria Deo gratiæ agendæ sunt. Fuit autem Regnum
„ Polonicum præcipuè salutare reliquæ Europæ, annis jam
„ quingentis, quia murus fuit adversus Tartaros, nec
„ bella nobis intulit. Cætera Regna Germanicum & Gal-
„ licum, dum inter sese de possessione Italiæ dimicant,
„ publicæ saluti defuerunt. Cum igitur Regno Poloni-
„ co benè merito de tota Europa, singularis gratitudo
„ debeatur. Oro Deum ut servet Regnum tuum & tuam
„ Majestatem. Opto etiam, ut cum salutaria regna sint
„ opera Dei, & lucere in eis agnitionem Dei maximè
„ oporteat, ut & in tuo Regno Deus rectè agnoscatur, &
„ invocetur. Nec verò negari potest magnos in Ecclesiis
„ abusus esse, quos emendari Regum Sapientia, Deus
„ præcepit, cum ait: Et nunc Reges intelligite. Quare
„ quod Regia Majestas tua hanc curam suscipit, piè fa-
„ cit; Nullum Deo gratius sacrificium fieri posset, quam
„ si instituta piorum & eruditorum deliberatione curarent
„ aliqui Reges, & veritatem illustrari, & idola deleri, &
„ piam concordiam constitui. Legimus Osy & aliorum
„ quorundam scripta, qui exorientem lucem veritatis suis
„ præstigiis extinguere conantur, & idola stabiliunt. Sed
„ Sapientiæ Regiæ Majestatis Tuæ congruit fontes inqui-
„ rere. Nos quid profiteamur ostendit Confessio, in
„ quâ summam Doctrinæ Ecclesiæ breviter complexi su-
„ mus. Quare exemplum mitto, & de singulis mem-
„ bris me ad explicandum uberius offero. Offero me
„ etiam ad veræ Ecclesiæ judicium. Oro autem Filium
„ Dei Dominum nostrum Jesum Christum, custodem
„ Ecclesiæ suæ, ut Regiam Majestatem Tuam servet in-
„ columem & consilia tua gubernet. Data III. Idus Octo-
„ bris Anno 1556.

Regiæ Majestatis tuæ infimus servus

PHILIPPUS MELANTHON.

Inclyto & Serenissimo Regi ac Domino Domino Sigismundo Augusto, Regi Poloniæ & Magno Duci Lithvaniæ &c. Domino Clementissimo.

Sicut

Sicut Lismaninum, ita & Lascum patroni inclitorum errorum tanquam exprobrantes adspiciebant. Memoriæ proditum est ab Joan. Utenhonio Lasci familiari in epistola ad Calvinum Cracoviæ Anno 1557. d, 19. Febr. data, Episcopos apud Archiepiscopum Gnesnensem congregatos unà cum Lipomano Legato Pontificio consilia secreta de pellendo ex patria Lasco, quem tunc Episcopus Cracoviensis ille Zebridovius, carnificem sui ordinis suæque partis, multæ Viri eruditionis & pietatis gnarus, fore dixit, agitasse, & Regem, quò eis de hac re, utpote saluti suæ & regni quieti necessaria gratificaretur, adiisse: Regem autem rem tàm iniquam, imò & injustam eis denegasse, tandem & silentium imperasse: postea tamen calumniis de Lasci contra Regem molitione prava sparsis commotum, sed ab amico Lasci certiora edoctum pristinam benevolentiam Lasco conservasse. Inter hæc malevoli genium non magis quàm leopardus maculis nigricantibus pellem distinctam, mutarunt. Hinc religionis negotium in Comitiis Varsaviensibus, quæ Budzinius Chronic. c. 19. prima appellat, non exiguos animorum dedit motus. Pontifices Romanensium in id toto pectore incumbebant, ut crescentem veritatem opprimerent, & jurisdictionem suam in Evangelicorum Ministros, in oppidis & pagis nobilium habitantes firmarent. Cum autem vi nil agere possent, accrescente indies veritatis Euangelicæ amantium Numero, ad artificiosa colloquia versi, tàm auctoritate universi Ordinis Ecclesiastici & Procerum Politicorum quàm totius antiquitatis pugnare. Hinc per duas hebdomadas Euangelici fortitèr se tueri: ita negotium hoc ab utraque partè acritèr voce & scripto executi. Paucis hæc narrasse sufficiat. Pontifices conatus suos frustra esse videntes, in varias formas se vertere, minis & blanditiis agere: ad ultimum consentire, Proceres & Nobiles Euangelici Ministros ab Episcopis confirmatos verbi divini in domibus suis proprio sumtu alant, avitas parœcias & decimas intactas relinquant: Ministri verò Sacram Scripturam secundum hos quatuor Ecclesiæ Romanæ Doctores, Augustinum, Hieronymum, Chrysostomum & Ambrosium interpretentur. Res toleranda quibusdam

Nun

Nuntiorum terrestrium visa: Quocirca multi ad hunc viscum obhærescere dulce canentibus Pontificibus aliisque errore & superstitione ac seculi dulcedine captis, qui discernere non possent;

——*quid distent æra lupinis*,

& quàm longè illorum Doctorum inclinante ut quarto seculo, ita & magis magisque pura veritate, viventium dogmata non tantum à Christi & Apostolorum, sed & à Doctorum Ecclesiæ Ante Nicenorum ipsorumque Nicenorum mente; absint. Non deerant tamen, qui animadverterent agi periculosæ plenum opus aleæ & mox incedendum sibi esse per ignes suppositos cineri doloso. Erant isti ex Majori Polonia & Provincia Cracoviensi, quos inter Stanislaus ille Lassocius eminuit, qui prudenter judicabat de hac re, illius veteris dicti memor: *Metuo Danaos & dona ferentes.* Licet verò Pontificii numero & viribus prævalerent, nil tamen invitis Euangelicis concludi poterat. Interim Pontifices via regali carbonibus cinere conspersis strata, Euangelicorum gressus; imò nutus curiosè observare: hi sibi undique cavere. Intercessit *Nicolaus Reius*, vir natalibus, prudentia, facundia & virtute clarissimus, & ut ad Pontifices aliquis mitteretur, quò mentem suam clarius exponerent, an illæ interpretationes quatuor Doctorum celeberrimorum secundum Ecclesiæ Romanæ, vel simplicis & claræ Scripturæ Sanctæ mentem fieri debeant, auctor fuit. Placuit cunctis id consilii, adeoque auctor id effectum daret, omnes rogare: nec ille tergiversari. Sed cum quæstionem Cameræ Equestris nomine Pontificibus in Camera Senatoria proposuisset, id responsi tulit; mentem Ecclesiæ Romanæ in eo attendendam esse. Id à mente omnium Evangelicorum alienum, brevi responso Laconico NOLUMUS exceptum. Consenserunt his non pauci Pontificiorum, qui nec se, nec posteros, si hi fortè in castra Evangelicorum transirent, servitutis Pontificiæ jugo subdere volebant. Sciebant nempè Evangelicos vi ad suam religionem neminem cogere: Pontifices contra omne minarum & crudelitatis genus hîc usurpare. Ita meritò ibi se & posteros tutos: hîc cuncta periculosa & jure

jure metuenda perspiciebant. Exorta tunc inter Cossobucium Masoviæ & Stanislaum Szafranecium Cracoviensis Provinciæ Delegatum lis, illo istum ferocitèr quasi templorum spoliatorem non obscurè criminante, reliquorum auctoritate composita, Cossobucio facinoris veniam orante. Hinc omnes uno animo & ore sanxerunt, ascendendum esse in Cameram Senatoriam, dicendum Regi & Senatui, nolle se tyrannidem Pontificum subire: monendos Pontifices, nulli ministrorum Evangelicorum injuriam vel contumeliam inferant, vel molestiam facessant, vel dolos struant, imò quiete publica eos frui; si suam ament, patiantur, & non tantùm Spiritu Christi, qui nil magis quàm modestiam & humilitatem urgeat, imo dilectionem tanquam discipulorum Christi tesseram, legis impletionem, & perfectionis vinculum. Unicè commendet, & injungat, sed & veteris Ecclesiæ, quæ gentilium persecutionibus atrocissimis nil nisi patientiam invictam opposuerit, & monendo non minando, docendo non nocendo, patiendo non faciendo injurias creverit; sint memores. Dictum factum. Placuit id salubris consilii Regi & Senatui. Hinc lex condita, Pontifices Ministris Evangelicorum æquam libertatem & quietem relinquant inviolatam, suam si salvam esse velint. Multum hæc res ad tuendam tunc temporis pacem & salutem publicam profuit. Nec quidquam profectò ad hanc tuendam vel convenientius vel magis efficax inveniri potest. Ut taceam firmo talo illam sententiam stare: sacram illam tyrannidem non tantum institutioni Christi & Apostolorum, sed & veteris Ecclesiæ praxi prorsus repugnare. Dum malevoli Lismanini & Lasci reditum ægerrimè ferunt, nec isti nec alii eis similes in propaganda veritate puriori cessarunt. Crovicium illum Episcopus Cracoviensis scripto publico sugillare, apostatam, hæreticum vocare; ille contra arcanorum Pontificiorum apprimè gnarus apologiam ad demonstrandos Ecclesiæ Romanæ errores & Pontificum artes & tyrannidem Episcopo opponere: cui titulus: *Defensio primævæ institutionis Christi adversus novam & falsam institutionem Romanam, quam armis, non Scripturis Sacris, Andreas Episcopus Cracoviensis tuetur.*

tur. Liber is vernaculâ linguâ conſcriptus etiamnum manibus hominum teritur, non ſine inſigni fructu. Prodit enim ſecreta Pontificum & ritus idololatricos ad oculum demonſtrat. Sed irritavit crabrones veritas, Pontificibus nil niſi perſecutiones confeſſorum veritatis animo agitantibus, quibus occaſionem crudelitas Genevenſium in Servetum exercita & libri Calvini & Bezæ de hæreticis ultimo ſupplicio afficiendis præbuerunt.

CAPUT V.

De Serveti, Valentini Gentilis, Joan. Sylvani & Bernerdini Ochini dogmatibus & morte & nonnihil de Paulo Alciato & Matthæo Gribaldo ac Adamo Miniſtro Heydelbergenſi.

QUum mentionem Serveti proximè fecerimus & paulò poſt facturi ſimus, haud alienum à propoſito fuerit, aliquid de dogmatibus & morte ejus tùm & Valentini Gentilis ex hac occaſione dicere, hinc de Joanne Sylvari & de Bernardino Ochino, Paulo Alciato & Matthæo Gribaldo ac Adamo Miniſtro Heydelbergenſi. Fieri autem poteſt, ut aliquid hic dicamus aliis vel ignotum vel præteritum. *Michael Servetus*, *Rennes* dictus, genere Hiſpanus, patriâ Tarraconenſis, Vir fuit excelllenti ingeniò præditus, qui ut aliis litteris humanioribus, ita cum primis Medicinæ dederat operam, & ut ingenium excoleret, in Africam quoque (ut levis eſt ex Hiſpania in Africam trajectus) transfretaverat. Is apis inſtar cuncta ſibi profutura ubique colligens, & ex ipſis Alcorani, in dogmata quidem de Deo Trinuno & Jeſu Chriſto ſummo Deo ex eſſentia patris ab æterno generato tùm idololatriam & Mariolatriam graviter invehentis, [a] honorem tamen haud vulgarem Chriſto, ut Dei verbo & Legato, magno Prophetæ, omnium gentium faci in hoc & in futuro ſeculo, viroque divina virtute prædito, tribuentis, tribulis mellis

[a] *Azoara* 11, 13, 14, 15, 25, 30, 31, 53, 67, & 122.

mellis materiam exſugebat. Latere quoque eum (ut vir erat in litteris humanioribus & ſacris optimè verſatus:) non poterat omnes Antenicenos, imo & Nicenos, quin & Conſtantinopolitanos Patres, id eſt omnes omninò Chriſtianos per quatuor circiter ſecula hoc immobile Catholicæ veritatis fundamentum. *Credo in Unum Deum Patrem Omnipotentem cæli & terræ Creatorem, & in Filium ejus unigenitum Jeſum Chriſtum, Dominum noſtrum*, retinuiſſe. Tum Latinos Eccleſiæ Doctores, præcipuè Juſtinum, Hilarium Patrem Filii auctorem, Græcos verò Filii cauſam docuiſſe: omneſque Eccleſiaſticas preces ad Deum unum per Chriſtum Mediatorem dirigi. Hinc ſententiam ſuam, de Uno Deo Patre & Filio ejus Jeſu Chriſto, quem Pater à mortuis excitatum fecerit Dominum & conſtituerit Deum ac Judicem vivorum & mortuorum, utpote non tantùm Scripturis divinis, ſed & toti antiquitati conſentaneam, & verè Catholicam, non diſſimulavit, deque ea qua coram, quà ſcripto cum viris Doctis & piis, quos ætas illa plurimos, & ſic aurea, gradatim ad reformandas innumeras Orbis Criſtiani corruptelas, emiſerat, contulit. Quo quidem veritatis indagandæ & propagandæ ſtudio malevolorum omni juſtitiæ ubiquè adverſantium odia præſertim poſt editos in Germania Anno 1531. ſeptem *de Trinitatis erroribus* libros, incurrit. Ita multa in Gallia & Germania perpeſſus Venetias ire cogitabat. Sed in itinere à Calvino interceptus, triſtem vitæ exitum Genevæ, ut mox dicemus; invenit: Vir vitâ ſanè longiori & fine meliori dignus, quod ad nos attinet. Nam Dei judicium & permiſſum ſi ſpectes, ſatis diu quia ſat benè vixit, & optimum ac glorioſiſſimum vivendi finem fecit. Cogitabat ille, univerſum Vetus Teſtamentum commentariis illuſtrare, niſi Genevæ in tranſitu exuſtus fuiſſet. Sermones multos editurus erat, ſub iis, ni fallor, titulis, *De vera Scripturarum intelligentia*: *De origine defectus ab Apoſtolica doctrina*; *De potentia veritatis*; *De vera unius Dei cognitione*, *De errore Triadis*; *de vero ſpiritu Sancto*: *De exaltatione hominis Jeſu*; *De natura & miniſterio Angelorum*: *de zelo & ſcientia*; *de effica-*

efficacia fidei: de vi charitatis; De corpore, anima & Spiritu: De natis & regenitis; De vocatione & electione: De præscientia & prædestinatione, De humanis operibus & cæremoniis: De baptismo aquæ & Spiritus. De cæna Domini; de peccato & satisfactione, De justificatione, De timore & amore Dei: De vera Ecclesia, De capite & membris, De dormitione Sanctorum, De resurrectione mortuorum & viventium immutatione, De die Judicii: De beatitudine electorum &c. *Alphonsus Lincurius* in Præfat. 5. librorum *Declarationis Jesu Christi Filii Dei.* Prætereo quæ malevoli, quorum de adversario judicium nunquam sincerum est, de Serveti dogmatis notarunt. Quin & ex libris ejus excerpta, quæ in promptu habeo, omitto, brevitatis causâ. Sufficiat pauca hæc addidisse, quæ candor exegit. Tres ejus positiones erant istæ: 1. *Hic est Jesus Christus*, id est, hic Jesus Nazarenus homo verus ,, è Spiritu Sancto conceptus ex Virgine natus est ille Chri- ,, stus Dei, sive Patribus promissus Messias. 2. *Hic est* ,, *Filius Dei.* id est: hic homo à Deo substantitaliter ut- ,, potè ex vera Dei substantia, spiritu scilicet Sancto geni- ,, tus, est verus & naturalis ac propriè Filius Dei, cum nos ,, simus adoptivi, ita ut corpus Christi verè participationem ,, substantiæ Dei habeat. 3. *Hic est Deus*, non ille unus ,, & summus, qui solus est Pater Deus tamen substantia- ,, liter, cum in eo sit Deitas corporaliter, Deus nostrum ,, omnium à Patre Deo suo exaltatus. Atque horum quidem nonnulla, præsertim de propriè dicta & essentiali generatione in divinis, ut & alia quædam ejus dogmata nos non probamus, non tamen hominem pio zelo & invicta virtute & Pontificiis vinculis felicitèr eluctatum. Propterea damnamus, nec quenquam ob has vel similes sententias rogo adjudicandum censemus sicut fecit Calvinus. Qua de re adponam accuratam narrationem: sed ei præponam Serveti ipsius sermonem, ac velut Cycnæam vocem, quàm ante horrendam mortem edidit.

Mi-

Michaelis Serveti Tarraconensis de vera: Dei & filii ejus cognitione sermo antequam Genevæ combureretur.

,, QUi tres substantiales personas seu hypostases in ,, Divinis statuunt tres æquales per naturam Deos ,, nobis insinuant. Tres enim res substantiales distin- ,, ctas & differentes nobis proponunt, & unamquamque illa- ,, rum rerum (seu ut vocant) Hypostasium, Deum esse ,, volunt. Inde necessariò tres Deos æquales & distinctos ,, faciunt. Cum enim personæ seu Hypostases illæ re & ,, numero differentes singulatim de Deo prædicentur: Ne- ,, cessariò sequitur tot esse prædicata quot subjecta, & ,, juxta numerum personarum deorum quoque numerum ,, multiplicari. Et licet unum tantùm Deum nobis verbis ,, prædicent, in effectu tamen & re ipsa, tres nobis Deos ,, in intellectu repræsentant. Nullus est enim intellectus ,, tam acutus & sincerus, qui, non videat tria sibi colenda ,, proponi. Quomodo autem illa tria, quorum u- ,, numquodque Deus est, unum Deum numero esse intelli- ,, gat, nemo unquam dicere potuit, vel docere. Relin- ,, quitur ergo & in spiritu & in intellectu insolubilis illa ,, perplexitas & confusio inexplicabilis, quod tria sunt u- ,, num, & unum sunt tria. Quamvis enim, ad unum Deum ,, totus intellectus intendat, & dirigatur, unumque ,, sibi Deum in spiritu colendum proponat, & se ad uni- ,, tatem tota acie colligat, confestim tamen tria distincta ,, objecta se offerunt, & ante mentis oculos obversantur, ,, quorum unumquodque Deum esse cognoscit, & sic ,, tres in effectu Deos æquales & distinctos sibi repræsenta- ,, ri, videns inter unum & tria confusus succumbit, & hic est ,, exitus illius Græcanicæ Triadis seu triplicitatis. Quòd si re- ,, voluto velo ad SacroSanctæ Script. verbum velut ad lydium ,, lapidem rem omnem exploremus, & juxta ipsius Dei elo- ,, quia, veram de Deo cognitionem exquiramus, cessabit du- ,, bio procul omnis confusio & perplexitas: & nil in se repu- ,, gnans intellectus noster admittere compelletur. Primum ,, itaque sciendum est, Deum nomen esse appellativum, o- ,, mnis potentiæ Dominii, & superioritatis & proprie illi con-

 venit,

„ venit, qui super omnes eſt, qui eſt omnium princeps,
„ Rex regum & Dominus dominantium, à quo omnia
„ ſunt & dependent, qui eſt ſolus Pater omnium ac Crea-
„ tor. Minus autem proprie ſumptum, etiam creaturis
„ convenire poteſt ut quicunque habet poteſtatem &
„ ſuperioritatem, Divinitus ſibi conceſſam ſuper aliquem,
„ hic Deus illius dici poſſit. Velut Moſes dictus eſt Exo: 7.
„ 1. *Deus Pharaonis*. Et Cyrus Eſa. 45. 3. *Deus Iſraelis*.
„ Et ſi liceat exempli tantum gratia profana ſacris adjunge-
„ re, Auguſtus Cæſar, Deus Virgilii & Lentulus Deus
„ Ciceronis, quia fuit Author reſtitutionis ſuæ. Et hac
„ ratione ſcriptura appellat Deos, quos ſummus & Æter-
„ nus Deus aliqua gratia, virtute & privilegio ſupra alios
„ decoravit & ſublimavit Unde Pſalmiſta Pſ. 82. 6. *Ego
„ dixi dii eſtis & filii excelſi omnes*. Et Exod. 22. 28. *Do-
„ minus domus ad Deos applicabitur & ad Deos utriuſque cau-
„ ſa perveniet*. Ii autem non natura dii ſunt, ſed per
„ gratiam, & donum ſummi Dei. Ideoque nunquam
„ eo deitatis nomine appellantur quod ſoli ſupremo Deo
„ convenit. Nam tales dii & Domini apud Hebræos,
„ quibus hæc nomina divinitatis proprie diſtinguuntur Elo-
„ him, vel Adonai nuncupantur, neque unquam proprio
„ & ſingulari, nomine quod eſt Jehova deſignantur, li-
„ cet dominum [Hîc aliquid deeſt in autographo, ex quo
„ hæc deſumſi.] Et ideo Paulus ubique initio ſuarum
„ eplarum ſic præfatur *Gratia & pax à Deo Patre noſtro
„ & Domino noſtro Jeſu Chriſto*. Cæterum tres æquales
„ deos per naturam, conſtituere ſumma blaſphemia eſt
„ & impietas excerabilis. Oportet enim ad unum o-
„ mnia referri, nempe ad eum, qui omnium author
„ eſt, & omnia pro ſua voluntate creavit Ille enim
„ ſolus per naturam à ſeipſo Deus eſt, Cæteri vero
„ quicunque à ſe ipſis dii non ſunt, rationem deitatis ab
„ illo uno Deo Patre accipiunt & agnoſcunt, & dii de
„ Deo dicuntur. Poteſt enim ſummus ille & Princeps
„ Deus creaturas ſanctificare & divinitate replere. Tres
„ autem deos per naturam æquales nullo modo con-
„ ſtituere poſſumus alioqui & tres rerum conditores,
„ ſeu Pantocratores & tres Patres neceſſario conſtituere
„ opor-

„ oporteret. Soli enim Patri, qui à ſe ipſo Deus eſt,
„ & qui omnia condidit, Dei nomen ſimpliciter convenit
„ & is ſolus ſimpliciter & abſolutè Deus appellatur. Jam
„ ergo ex prædictis facilè deduci poteſt, quomodo Dominus
„ noſter Jeſus Chriſtus verus Dei filius etiam Deus di-
„ catur. Nam ſuæ deitatis ratio à Deo Patre ſuſcipitur,
„ & verus Deus de vero Deo nuncupatur, Deus quidem
„ Omnium creaturarum, non autem Deus Patris,
„ qui ei cuncta ſubjecit. Quin imò Pater ipſe qui ſolus
„ per naturam à ſeipſo Deus ut etiam ipſe filii Dominus
„ & Deus eſt, dicente filio. Joh. 14. 28. *Vado ad Patrem
„ qui major me eſt*. Joan. 20. 17. *Vado ad Patrem meum & Pa-
„ trem veſtrum, ad Deum meum, & Deum veſtrum*. Math. 27.
„ 46. *Deus meus quare dereliquiſti me*. 2. Apoc. 3.
„ 13. *Scribam ſuper illum nomen Dei mei, & nomen
„ civitatis Dei mei*. Nec convenit hic eorum interpreta-
„ tio qui dicunt hæc filium loquutum, ut hominem,
„ non ut Deum. Quibus reſpondetur, quod ratio deitatis,
„ quæ eſt in filio, etiam ut homini convenit, eſt enim
„ filius homo deificatus, ſeu divinitate repletus, ideò
„ non tollitur Patris ſuperioritas in ipſum filium. Quan-
„ quam enim filius factus eſt nobis à Patre Dominus
„ & Deus & caput noſtrum: Attamen Pater & Do-
„ minus & Deus & caput ipſius filii eſt. 1 Cor. 11. 3.
„ Et filius Patri ſubjectus eſt 1. Cor. 15. 28. Et pa-
„ ternæ domus oeconomus atque adminiſtrator. Hebr.
„ 3. 8. Itaque filius ut Deus noſter & caput noſtrum
„ deitatem ac ſuperioritatem Patris in ſe ipſum recogno-
„ vit. Inde Propheta hanc duplicem deitatis rationem
„ Patris & filii diſertè explicans dixit, ad filium Pſa.
„ 45. 3. 7. 8. *ſpecioſus forma præ filiis hominum diffuſa
„ eſt gratia in labiis tuis propterea quod Sedes tua, Deus,
„ in ſeculum ſeculi, virga directionis, virga regni tui di-
„ lexiſti juſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea quod
„ unxit, Te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus
„ tuis*. Ecce quomodo David in ſpiritu vocat filium
„ Deum, & Patrem Deum filii. Nam *ſedes tua Deus*,
„ & *unxit te Deus* vocativi caſus ſunt, & ad filium re-
„ feruntur. Dum poſtea ſubjungit *Deus tuus* de Deo
„ Patre

,, Patre loquitur, qui filium unxit & sanctificavit. Similiter sapientia, quæ Dei filium repræsentat, sic exclamat Eccles. 24. 16. *Et radicavi in populo honorificato & in partes Dei mei hereditas illius.* Proinde jam luce clarius liquere puto unicuique scripturis adhærere volenti, filium esse Deum à Patre, & tanquam Deum à patre omnibus constitutum, deitatem ac superioritatem Patris in se recognoscere, licet apud Græcos & Latinos hæc divinorum nominum distinctio non inveniatur & omnes uno communi Dei nomine appellentur. Unus igitur per naturam Deus à seipso, æternus, summus, supremus, immortalis, invisibilis, incomprehensibilis, lucem habitans inaccessam, qui omnia condidit, omnia gubernat, à quo omnia sunt, & dependent. Hic est ille Deus Deorum, Rex Regum & dominus dominantium, Jova Pater, quem solum scriptura simpliciter & absolutè, Deum & Patrem appellat. Patrem quidem omnium universalem, propriè verò & singulariter Domini Dei nostri Jesu Christi, quod & diserte explicat Paulus dicens. 1. Cor. 8. 5. *Nam & si sunt qui dicantur Dii, sive in cælo, sive in terra (quemadmodum sunt Dii multi, & Domini multi) 6. Nobis tamen est Unus Deus ille Pater, ex quo omnia & nos in ipso & unus Dominus Jesus Christus per quem omnia & nos per ipsum.* Unde palam hoc fit nomine deitatis etiam creaturas decorari, per gratiam tamen & concessionem Unius supremi Dei, qui est Deus Deorum, Princeps *& Pater omnium supra omnia per omnia & in omnibus* Eph. 4. 6. in quem veluti unicum, summum, & naturalem à seipso Deum, cæteri omnes referuntur eique subjiciuntur et obediunt, & hæc Deorum inferiorum pluralitas, nullam affert confusionem neque divinæ unitati præjudicat, Cum omnis creatura laudet Deum creatorem & illum solum velut summum & supremum Deum respiciat & suspiret, Solum colat & adoret, de quo universa scriptura testatur) quod *non sit alius Deus præter illum.* Deut. 6. 4. *Audi Israel dominus Deus tuus Deus unus est.* Et Deut. 10. 17. *Iehovah Deus magnus potens & terribilis, qui non*

,, acci-

accipit personam neque recipit munus. Et Psa. 50. 1. *Deus Deorum locutus est.* Et Paulus ad Gal. 4. 8. *imo tum quidem quum ignoraveritis Deum, serviebatis iis qui non naturâ sunt Dii. 9. At nunc quum agnoscatis Deum quomodo convertimini retrorsum ad impotentia et egena.* 1. ad Timoth. 6. 15. *Quem temporibus suis ostendet ille beatus & solus princeps, Rex regum & Dominus Dominorum 16. Qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessam, quem vidit nemo hominum, neque videre potest* 1. Thess. 1. 9. *ut serviretis Deo vero & vivo.* 10. *Et expectaretis filium ejus è cælis quem suscitavit à mortuis Jesum.* 1. Tim. 1. 17. *Regi æterno, immortali invisibili, soli sapienti Deo honor sit, & gloria in secula seculorum Amen.* 1. Tim. 2. 5. *Unus Deus unus etiam mediator Dei & hominum Homo Christus Jesus. 6. Qui seipsum dedit in redemptionis precium pro quibusvis.* 1. Timo. 6. 13. *Præcipio tibi coram Deo qui vivificat omnia, & Jesu Christo qui testatam fecit coram Pontio Pilato bonam professionem* Tit. 2 11. *Illuxit enim gratia Dei illa salutifera omnibus hominibus, erudiens nos ut abnegata impietate & mundanis cupiditatibus, moderatè, & pie & juste vivamus in præsenti seculo 13. Expectantes beatam illam spem & illustrem adventum gloriæ magni illius Dei, ac servatoris nostri Jesu Christi, 14. Qui dedit semet ipsum pro nobis ut redimeret nos ab omni iniquitate* &c.

Vide igitur quomodo scripturæ inter Deum & Dei filium semper distinguere soleant: &, si diligenter inspicias, videbis scripturam semper: tribus vel quatuor locis exceptis, simplicitèr & absoluté appellare Patrem Deum & Jesum ejus Christum ac filium. Differt tamen filii divinitas ab aliis diis. Quare Deus Pater alios deificavit & sanctificavit ad mensuram, veluti filios adoptivos & ideo Moses & Cyrus particulares dii fuerunt Pharaonis & Israelis, Christum vero, ut proprium filium, benedictum Deus sine mensura sanctificavit & totum spiritu suo S. atque omni divinitate replevit, de cujus plenitudine, nos omnes accepimus. Nec prædictis adversatur, quòd filius deitate, potentia & gloria Patri,

 ,, adæ-

,, adæquatus sit, quoniam omnis deitas, gloria & æquali-
,, tas filii à Deo Patre est, & tanquam donum Patris à filio
,, recognoscitur, dum inquit, Matth. 28. *Donata mihi*
,, *est omnis potestas in cœlo & in terra.* & Petrus Act 2.
,, 16. *Quod Dominum & Christum fecit Deus hunc Jesum*
,, *quem vos crucifixistis:* Et Paulus, Phil. 2. 10. *Quapro-*
,, *pter Deus summò extulit illum honore, & dedit illi no-*
,, *men super omne nomen, ut in nomine Jesu omne nomen curvetur*
,, *cælestium, terrestrium & inferorum*, Heb. 1. 8. *Et ado-*
,, *rent eum omnes Angeli Dei* Eph. 1. 22. 23. *Qui susci-*
,, *tavit Christum ex mortuis, & sedere fecit ad dextram su-*
,, *am in cælestibus super omnem principatum & pietatem &*
,, *virtutem & dominationem, & omne nomen quod nomina-*
,, *tur non solum in hoc seculo sed etiam in futuro. Et omnia*
,, *subjecit, pedibus ejus, & ipsum dedit caput super omnia ipsi*
,, *Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius, plenitudo ejus, qui omnia*
,, *in omnibus adimplet.* Hebr. 1. 13. *Cui unquam Angelorum*
,, *dixit, filius meus es tu, ego hodie genui te.* 8. *Thronus*
,, *tuus in seculum seculi, Virga directionis virga regni tui.* 13. *Se-*
,, *de à dextris meis donec posuero inimicos tuos scabellum pe-*
,, *dum tuorum.* Et Joh. Apoc. 5. 12. *Dignus est agnus ille*
,, *mactatus qui accipiat virtutem, & divitias & sapientiam*
,, *& fortitudinem & honorem & gloriam, & benedictionem.*
,, Et ideo Paulus hanc filii deitatem & cum altissimo Deo
,, Patre æqualitatem non respectu ipsius Patris, sed respe-
,, ctu creaturarum intelligendam esse declarat 1. Cor. 15.
,, 27. *Nam omnia subjecit sub pedes ejus (quum autem dicat*
,, *quod omnia subjecta sunt, palam est quod hoc dicatur extra eum*
,, *qui subjecit ei omnia.* 28. *cum autem subjecta fuerint ei o-*
,, *mnia tunc & ipsi filius subjicietur ei, qui subjecit ei o-*
,, *mnia ut Deus sit omnia in omnibus.* Quamvis autem filius
,, dono Patris se virtute & gloria, & potentiâ æqualem Pa-
,, tri factum agnosceret, noluit tamen illo æqualitatis dono
,, abuti & illud in tyrannidem & rapinam convertere ut
,, Paulus ait. Ad Phil. 8. *Ipse se summisit factus obe-*
,, *diens usque ad mortem, mortem autem crucis* 9. *Quapropter*
,, *Deus ipsum in summam extulit sublimitatem, ac omnia cæle-*
,, *stia terrestria ac inferna eidem subjecit.* Deum ac Domi-
,, num ab omnibus creaturis adorandum proposuit, brevi-
,, ter, tantum virtutis, potentiæ, gratiæ, benedictio-
,, nis

,, nis, gloriæ, & Deitatis in filium suum dilectissimum
,, contulit omnipotens Pater, quantum maximè conferre
,, potuit, & in æqualitate sua & trono suo collocavit tan-
,, tumque honoris filio, quantum sibi ipsi exhiberi voluit.
,, Proinde, qui filium non agnoscit, Patrem quoque negat.
,, *Nullum enim datum est hominibus* (Act. 4. 12.) *nomen sub*
,, *cœlo, in quo salutem sperare oporteat præterquam in no-*
,, *mine* filii Dei, Domini Nostri Jesu Christi, qui est
,, Verus Dominus & Deus noster, ut Thomas Joh. 20.
,, 28. Paulus & Joannes verissimè confessi sunt. Cui pro-
,, pterea cum Deo Patre, Maximo & clementissimo Deo,
,, sit Laus honor & gloria in Sempiterna Secula Amen.

ATrox profecto facinus & omnium æquiorum judicio Christi Spiritui mansueto, & humili prorsus contrarium, sed cum illo Boanergeon ignem de cælo ad perdendos quosdam Samaritanorum inhospitales, deducere Eliæ exemplo volentium (nisi quod illi sontes perdere voluerunt, Calvinus insontem perdidit) conveniens. Ad hoc perpetrandum Senatum Genevensem non obscurè Ministri Basilienses, Bernenses, Scaffusienses, Tigurini verò etiam acritèr instigarunt. Inde Calvinus (qui Servetum se auctore à Syndico Genevensi in vincula datum esse Epistola ad Sulcerum data gloriatur, quem etiam hortatur, quò quæstorem urbis sibi hanc tradenti, in *hac causa recto esse animo, ut saltem exitum, quem optamus*, inquit, *non fugiat*) ad Farellum: *Rediit ab Helvetiis nuncius. Uno consensu pronunciant omnes, Servetum impios errores, quibus olim turbavit Satan Ecclesiam, nunc renovasse, & monstrum esse non ferendum. Cordati Basilienses. Tigurini omnium vehementissimi. Nam & impietatum atrocitas graviter ab illis exprimitur, & hortantur Senatum nostrum ad severitatem. Subscribunt Schaphusiani, Bernensium literis etiam appositis, accedunt & Senatus literæ quibus non parum stimulati sunt nostri.* Farellus quoque non tantùm Servetum tollendum statuit, sed & Calvinum pænæ atrocitatem leniri, ut ait, cupientem, in severitate Serveto opponenda confirmat, imò & omnes hæreticos perdendos esse decernit. Calv. epist. & resp p. 115, & 116.

Vid.

Vid. Beza in vita Calvini. & ep. ad Dudit. Ita merito magnus re & nomine *Grotius* alicubi ait: *Spiritum Antichristi non tantùm ad Tiberim, sed & ad lacum Lemanum apparuisse.* Ideò Calvino non tantum facinus istud exsequenti, sed & libro publico (a) defendenti, imo omnes Magistratus contra hæreticos armanti, sed & Bezæ scripto pariter publico (b) idem propugnanti, utrique ab Ecclesia Romana cum toto suo grege in hæreticorum numerum relato telum contra se furiosis porrigenti, omnibusquè talia vel facientibus vel approbantibus dicendum est illud Christi tunc ad illos filios tonitrui prolatum: *Nescitis cujus Spiritus sitis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare* .Luc. IX, sed & illud alias prolatum: *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines: minimus vocabitur in regno cælorum.* Matth. V. Atqui isti solverunt præceptum de diligendo proximo, quod primo est proximum & simile: & ita docuerunt homines. Ego quidem libenter Deo judicium relinquo: si tamen mihi optio daretur, mallem Oecolampadii & Zwinglii quam Calvini & Bezæ quamvis longè doctiorum loco esse. Interim quod veritas præcipit, de diligendo proximo, etiam inimico, de vincendis non vinciendis, de vitandis, non de vita tollendis hæreticis, in memoriam revoco. Calvinus sanè in facto illo sibi placuit & mortuo Leoni barbam vulsit, Canem Hispanicum vocans Servetum Comm. in Act. 20. sed meritò Franciscus Lismaninus, de quo nobis paulò ante multus sermo habitus est, in suo Commentariorum Calvini exemplari, quod possideo, ad ista Calvini verba *Hispanicus Canis Servetus*, manu sua ad marginem notavit: *Canis à te factus.* Et subdit distichon:

Cur tibi sum Calvine canis? tuus efficit ardor
Ne canis (heu) dicar, sed miseranda cinis.

Chamierum Panstrat. T. 2. l. 1. de Trinit. c. 5. non puduit hæc ponere. *Apud Pontificios Servetus quamdiu vixit, tutò vixit: tùm demum vim veritatis expertus est in Calvino & in magistratu Sanctam severitatem cum Genevam venit.* Imprudens tamen Pontificiis æquam moderationem suis ereptam tribuit. Idem paulo ante, cap. scil. 4. similem laudem (egregiam scil.) Calvino tribuit, dum sic inquit: *Calvinus Magistratui causam dedit severè animadvertendi in Valentinum*, illum scil. Gentilem campanum Consentinum, qui Genevæ ob dissensum in religionem carcerem conjectus, Anno 1558. inde imposita palinodiæ necessitate libertati Evangelicæ plurimum adversa dimissus, à Pontificiis *Lugduni Celtarum humanius habitus, ab Evangelicis* Bernæ Anno. 1566. supplicio capitali affectus est, *Valentinus* iste & *Paulus Alciatus* Pedemontanus cum Genevæ ob odia Calvini acerrima subsistere non possent, Anno 1563. in Poloniam venerant, cumque viris piis, veritati inquirendæ impensè addictis contulerant. Valentinus tamen adversariorum (quos ei Calvini literæ & amici, ut Lugduni liberalitate Alciati ita & in Polonia degenti, conciliaverant) potentia pressus ad Helvetios redierat, & quidem contulit se ad oppidi Gajensis præfectum, qui (Vid. Beza in vita Calvini) eum ante aliquot annos ob differentem in Sacris sensum in vincula conjecerat, & rogante pro eo Alciato liberum dimiserat, Cui ille Confessionem suam cum annotationibus in symbolum Athanasii gratum animum testari volens inscripserat. Sed Præfectus id minus grato animo exceperat, propterea quòd in suspicionem hæreseos apud Bernenses, dominos suos, inciderat. Ideò reducem Valentinum, ut se suspicioni & invidiæ eximeret, in vincula denuò dedit, deque facinore Bernenses certiores fecit. Hi eum ad se, veluti examinandum, perduci jussêre. Quo facto, constantiam Valentini videntes, capitali supplicio eum grandævum peremerunt. Memini me hanc ejus sententiam legere: *Deum habuisse vim generandi quia voluerit: ideoque & λόγον ante secula genuisse & Spiritum propagasse.* Cæterum in Synodo Pintzoviana. Anno. 1562. d. 4, Nov. confessionem hanc ediderat, *Deum in latitudine æternitatis creasse Spiritum quendam excellentissimum, qui postea in plenitudine temporis fuerit incarnatus, quæ* AnteNicenorum, præcipuè Justini & Lactantii fuit opinio, cui postmodum Arius,

(a) *Cui titulus est*: Defensio orthodoxæ fidei de S. Trinit. contra prodigiosos errores Michaelis Serveti Hispani: ubi ostenditur hæreticos jure gladii coërcendos esse.

(b) *Cui titulus*: de hæreticis à civili magistratu puniendis, hoc & illo Calvini Anno 1554. à Roberto Stephani impressis.

Arius sua dogmata superstruxit. Erronea quidem hæc, & meritò ex Scriptura, quæ nil amplius de Christo docet, quam eum ante secula præcognitum, prædestinatum, ultimis temporibus manifestatum ex Virgine Spiritus Sancti virtute genitum refellenda sed nequaquam igne vel ferro vindicanda opinio Budzinius in Chronico MS. c. XXVII, istam Valentini sententiam per tyrannidem Pontificiæ ad finem, quam Cainus in Abele, Calvinus in Serveto prius exercuerat atroci supplicio punit mortem, licet non per omnia nobis consentiens, abominatur: ut & c. 35. Vivi comburium *Joannis Sylvani* Super intendentis Heydelbergensis paulò post, scil. circa 1571. crudeliter exercitum, licet ille vir vitæ integer eruditionis multæ clarus, & meritis in Fridericum Electorem Palatinum, quem paterno favore in ætate tenera fovit & in litteris humanioribus constitutus ejus præceptor excoluit, insignis, ita ut is ingrati animi crimen horrens periculo eum eximere & è vinculis dimittere voluerit; nisi Genevensis Spiritus illud vetus adversus æquitatem & benevolentiam Judicis deprompsisset; *Si illum dimiseris, non eris amicus Cæsaris*, Maximiliano II. apud Electorem Ministros ejus *Adamum* (quem Deus è carcere Heydelberg. mire liberarat) & istum Sylvanum Arianismi indicio litterarum interceptarum accusante.

Calvini Bezæ & similium Spiritus mansueto illi & humili Spiritui Christi contrarius etiam *Matthæo Gribaldo*, celeberrimo Jurisconsulto Patavino, pagi Turgiarum domino par paraverat supplicium, quod morte prævenisse Beza in vita Calvini agnoscit. E carcere quidem Bernensi ægrè se expediverat. Fuit nempe Valentini hospes & fautor, ac sectator, ut apparet ex scripto quodam, in quo ait se tres æternos Spiritus, non confusos Spiritus, sed gradu numeroque distinctos pia mente complecti, Deum filium & Spiritum S. uni summo Deo & Patri, rerum omnium authori ita sub ordinare, ut omnis ratio Deitatis & Filii & Sp. S. aliorumque omnium cælestium Spirituum ad unum illum solum Deum Patrem origine carentem, & à seipso Deum, tanquam ad unicum fontem & caput omnis essentiæ & divinitatis meritò referatur. Quæ verba litterarum ejus Sacris litteris, excepta Filii ante mundum existentia conveniunt. Et tamen tantæ inde ortæ animis illis præpostero zelo calentibus iræ! Nam & Alciatum acriter insectati, non meliora quàm de socio Valentino, de eo cogitantes: de quo scriptum accepi, eum in epistolis ad Gregorium Pauli Anno 1564 & 1565 Hulsterhtzii datis, dissuasisse sententiam, quód Christus extiterit antequam ex Maria nasceretur, & acerrimè dogmati vulgari de trinitate restitisse, ita ut Mahometismum consilii in primordio reformationis sat ancipiti & arduo ignarus ei prætulisse scribatur: Sed à Calvino & inventurum ejus æmulis, odio internecino iri eum & alios veritatis amantes flagrantibus. Ego Calvino & Bezæ iniqua, injusta, imo eorum gregalibus noxia audacter perpetrantibus & docentibus, Chamiero & aliis consentientibus præter illa ex Script. Sacra, quibus merito addendum illud Joannis, exuto illo Eliæ Spiritu dilectionem Christi Spiritus impulsu præ cunctis Apostolis commendantis & inculcantis: *Omnis qui odit fratrem suum homicida est. Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem* 1. Johan. III. 15. respondeo aliquot antiquorum Ecclesiæ Doctorum dictis: Hieronymus in Ps. 7. *Qui se in Christum dicit credere, debet quomodo ille ambulavit, & ipse ambulare. Non enim venit ut cæderet, sed ut cæderetur. Non dedit alapam, sed accepit. Non crucifixit, sed crucifixus est. Non alios occidit, sed ipse passus est. Qui cæditur Christum imitatur, qui vero cædit, Antichristus est. Deus enim non vult mortem sed ut vivat & vitam mutet in melius.* Idem: *nunquam spiritualis persequitur carnalem, sed ignoscit ei.* Idem: *Hæreticum hominem ex præscripto Apostoli vitare didici, non igni tradere.* August. contra. Crescon. Gramm. l. 3. *Nullis tamen bonis in Catholica Ecclesia hoc placet, si usque ad mortem in quenquam (licet hæreticum) sæviatur.* Prolixus forem, si cuncta in hanc rem ex Justino, Tertulliano, Athanasio, Hilario & aliis Ecclesiæ Doctoribus, tyrannidem hanc Gentilium & Judæorum acriter perstringentibus, collecta huc adferrem. Hic etiam aliquid nobis de *Bernardino Ochino* dicendum. Nam & æqualis tempore Serveto,

veró, Valentino & Gribaldo, & pio Zelo ac constantiâ par eis fuit. Fuit is patriâ Senensis, conditione Monachus & Pontifici Rom. à sacris concionibus & confessionibus. Is ob parrhesiam, quâ motus in auribus summi Pontificis & totius Aulæ Romanæ Pontificiam arrogantiam & tyrannidem Anti christianam, velut ex mente Lutheranorum, non addita objectionum, postquam eis studio præstitutam horam impendit, solutione, Italia cedere, post & Tigurum & Basileam, coorta veritatis causâ persecutione, relinquere necesse habuit. Hinc Beza de eo ep. 81. *Ochinus callidior dubitare de singulis Academicorum more videtur voluisse, quàm quicquam definire, quod facit per dialogos, qui in varias postea linguas, à Castellione postea in Latinam conversi sunt. Scripsit ille....*

Petrus Perna in epistola quadam testatur, senem istum Arianismi suspectum 76 annos natum à Tigurinis pulsum, à se Martino Czechovicio Vilnæ docenti Anno 1569. commendatum fuisse. Sed invenio eum Venetiis in Moraviam & in Poloniam venisse, cumque Litteræ Calvini virulentæ ibi quoque eum attigissent, & Rex Sigismundus Augustus Patronorum Sarnicii, quorum jam in Senatu & apud Regem magna erat autoritas, & qui oppugnatos acriter de Trinitate & Pædobaptismo errores graviter ferebant &, ac nostris nomina invidiosa, Tritheitarum, Arianorum Anabaptistarum imposuerant persuasionibus inductus, Anno 1564. in Conventu Parszoviensi omnes exosis illis nominibus insignitas ad exsulium lege severa damnasset, in Moraviam revertisse. Conabantur quidem cum nonnulli Nobiles, utpote decrepitum & pium ac modestum senem retinere, & à Rege permissionem manendi in regno jure hospitii ei impetrare. Sed ad cunctas eorum persuasiones respondit, Magistratui obediendum esse: & iterum: magistratui se obedire velle, etiamsi sibi moriendum sit in campo, vel in sylvis inter lupos. Abeuntem pestis Pinczoviæ aliquantum retinuit. Qua correptum Philippovius ille nec metuens nec dedignatus in domum suam recepit, fovit & ei ministravit. Pro qua insigni humanitate ita ei gratias egit: Philippovi frater, gratias age Deo, quod te dignum fecerit, ut Ochino in tali casu benefaceres. Amissis peste duobus filiis & filia institutum iter in Moraviam supremo Vale ad diem adventus Domini & congregationis omnium fidelium undique in eo fratribus dicto, persecutus, intra tres hebdomadas Slavoniæ diem obiit.

CAPUT VI.

De initiis puræ Ecclesiæ Christi per sententiam Serveti de præ eminentia Patris à Petro Gonesio in Poloniam allatam à Georgio Blandrita & Francisco Lismanino interveniente & utrumque istorum exercente & excitante Franc. Stancari de Mediatore contentione defensam factis.

IN hæc tempora *Petri Gonesii* reditus in Patriam incidit. Fuit is natione Polonus è Podlachia oriundus, qui studiorum causa exteras nationes peragrans Genevenses & Wittebergenses de rebus fidei docentes audivit. Ab his purioris veritatis dogmata hæsit, & in patriam acerrimus corruptelarum Ecclesiæ, & depravatæ vitæ Pontificum, à quibus ad excolendum artibus liberalibus apud exteros animum missus erat, revertit. Et ut initia fervere solent; hunc quoque bonum virum & initii fervor & familiaritas cum Anabaptistis in Moravia degentibus ad superstitionis confinia pertraxit. Is sententiam Serveti de præeminentia Patris in patriam attulit, eamque non dissimulavit. Imò verò in Synodum Sectminensem, quæ ineunte Anno 1556. proximè post illam Pinczovianam habita fuit, veniens hanc cordatam orationem habuit: Post superatas feliciter diuturnæ peregrinationis difficultates & devoratas tædiosorum itinerum molestias, multum mihi, Fratres & Amici in Christo colendi, gratulor, me postquam in caram patriam reverti, extemplo in tàm venerandum fidelium conventum esse delatum. Quo nomine debitis gratiis Deo Patri Clementissimo, tàm meo foris, quàm vestro domi custodi, actis, vos adeò frequentes inter juratos veritatis hostes, quorum infinita turba, & quisque in vos odio Hannibal, hùc convolasse, summoperè gaudeò,

,, deò. Noſtis, credo, me à Pontificibus Zeidnenſibus ,, ad excolendum in exteris per artes liberales animum ,, miſſum ante annos non paucos fuiſſe. Sed cum me ,, Dominus Jeſus velut Saulum, incruentæ, vel fortè, ,, ut mos eſt Pontificum vulpinæ pelli leoninam aſſuere, ,, & cruentæ perſecutionis fidelium inſtrumenta paran- ,, tem, cæleſtiſſima veritatis voce perculſum ad ſe vocaſ- ,, ſet, ſine ignobilis ingrati animi infamiâ, terrenis pa- ,, tronis relictis Chriſto Regi cæleſti, Redemtori meo, ,, fidem & operam addixi. Credite autem me, abſit ja- ,, ctantia dictis, quicquid Wittenberga totaque Germa- ,, nia, quicquid Geneva totaque Helvetia purioris verita- ,, tis docet, penetraſſe & expendiſſe, nec me quidquam eo- ,, rum, quæ utraque ſecta, abſit mediæ voci invidia, ,, vel profitetur, vel rationum momentis firmare cona- ,, tur, præterire. Non me latet paritèr, quid tùm Apo- ,, ſtoli Spiritus S. donis inſtructi, tùm pone eos viri Apo- ,, ſtolici docuerint, tùm poſt horum exceſſum percele- ,, bres Eccleſiæ Doctores primævæ ſimplicitati inaudita, ,, inviſa, incognita intulerint. Non ſum neſcius & per ,, quos gradus error in Eccleſiam Chriſti adſcenderit. ,, Ut ita certum veritatis niſi ex Scripturis divinis & ,, Canonicis tutò peti non poſſe, omninò ſim cer- ,, tus. Recte omninò veteres Scripturæ S. perfectio- ,, nem depingere volentes, & elephantem in hoc flu- ,, vio plano & alto natare, & agnum ambulare dixe- ,, runt: nempè quod ſapientes & ſimplices inſtruat. Sed uti- ,, nam quod tam ingenioſè & ſcitè dixerunt, bellè & utiliter ,, facto comprobaſſent! At enim Eccleſia Chriſtiana ad ,, exemplum Judaicæ, manifeſto imbecillitatis humanæ ,, Auram ſimplicitatem cito faſtidientis & varietate gau- ,, dentis documento, primævæ integritati diu non adhæſit. ,, In quam rem nota ſunt divina ſpiritus prophetici cum pri- ,, mis per Paulum Apoſtolum loquentis oracula, nota & ,, hiſtoriarum monumenta, prudentiorum & probiorum, ,, præſertim Egeſippi temporibus Apoſtolicis proximi ſcri- ,, ptoris, teſtimonia. His ut nunc immorer nec mea ho- ,, minis contemti, & nulla re fortè magis, quàm ligneo ,, enſe, quem mihi exarmato fratrum Moravorum imbel-

,, lis

,, lis inſtitutio formavit, per totam patriam noti, conditio, ,, nec temporis, cujus tot gravibus negotiis impendendi ra- ,, tio ad laudabilem uſque avaritiam vobis eſt habenda, an- ,, guſtia permittit. Quanquam nec res ipſa, tot genuinis ,, domi teſtimoniis gaudens, externa curat, certè non ,, exigit. Imò verò ut contraham dicenda, & in hoc ſacro cœ- ,, tu ſitne perfidæ deſidiæ crimen non tacenda, imperat, me- ,, que in antiquam eccleſiam vocat. Faſtidivit illa, heu ,, quàm cito! piſcatoriam ſimplicitatem, quam & in præ- ,, ſentia permulti ore crepant, facto increpant. Ideò arti- ,, bus Satanæ vaferrimi hoſtis multos & magnos experta eſt ,, motus. Hi tandem in acerba diſſidia, anathematum ,, bruta fulmina & atroces ac cruentas perſecutiones, quæ ,, cuncta leni & humili Spiritui Chriſti prorſùs ſunt contra- ,, ria, eruperunt. Omnibus iſtis obviam itum fuiſſet, ſi ,, tot non neceſſaria, vel etiam noxia, id eſt, non tantum, ,, in verbo Dei non præſcripta, ſed & in hôc præſcriptorum ,, luci palàm repugnantia, ab eccleſia non admiſſa, vel ,, poſtquam admiſſa fuêre, ex ea ſublata fuiſſent. At- ,, que hîc ſane valet prudens & cordatum celeberrimi Eccle- ,, ſiæ Latinæ Doctoris Gregorii, Urbis Romæ Epiſcopi, ,, qui & Sanctus & Magnus appellari meruit, conſilium, ,, novellæ tunc, ſeptimo Chriſti ineunte ſeculo, Epiſco- ,, pi Conſtantinopolitani, quum Oecumenicus appellari ,, cœpit, arrogantiæ oppoſitum, ipſique Cyriaco ſedis & ,, ambitionis Joannis, qui primus illud Antichriſtiani vo- ,, cabuli uſurpaverat, ſucceſſori præbitum: [a] *Ea quæ no-* ,, *vo ordine introducta ſunt, ipſo ordine, quo illata ſunt* ,, *auferantur & pax nobis in Domino illibata permanebit.* ,, At enim hæc carnis prævalente potentiâ, non tantùm ,, recepta ſed & tot ſeculorum uſu roborata, magis ma- ,, giſque eccleſiam à primæva illa integritate abduxerunt. ,, Caput fidei de divinitate Filii Dei caput acerbarum con- ,, troverſiarum jam olim fuit: cum tamen Filio Dei no- ,, minato res ipſa veritati teſtimonium præbeat. Maxi- ,, mi certe momenti res eſt, quo ordine corruptelæ ,, tàm credendorum, quàm agendorum reſpectu, in ec- ,, cleſiam fuerint introductæ perſpicere. Sed ut hæc nunc

H ,, miſſa

a part. 6. ep. 28.

„ missa faciamus, de solo illo fidei capite, quod etiamnum caput controversiarum per quorundam inquietorum ingeniorum apertæ veritati cedere & in ejus cognitione proficere detrectantium impotentiam evadit, aliquid dicendum est. Nam de fide in Unum Deum Patrem nulla in Ecclesia per quatuor secula fuit dubitatio. Sed deitas Filii mox post obitum Apostolorum, imò & his superstitibus, acriter agitata orbem Christianum, eheu! commisit. Præstantissimus veterum Irenæus apertè, [a] *Omnes*, ait, *quotquot sunt hæreses, Deum quidem Unum dicunt, sed per sententiam malam immutant*. Tertullianus autem eruditissimus: [b] *Nullam invenimus institutionem inter tot diversitates perversitatum; quæ de Deo creatore universorum controversiam moverit. Nemo alterum Deum suspicari est ausus: facilius de Filio quàm de Patre hæsitabatur*. Sed quid multis? Fides in Jesum Christum, Filium Dei, Redemptorem mundi unicum & immobile totius fidei & spei Christianorum fundamentum est. Atque in eo divinæ scripturæ, & non tantum totius antiquitatis, sed & omnium Christianorum in præsens quoque gravissimè diffidentium voces consentiunt. *Hæ voces* Ecclesiæ ex qua habuit omnis Ecclesia initium. hæ voces Apostolorum, hæ voces *discipulorum Domini eorum; qui post assumptionem Domini per Spiritum & perfecti extiterunt, & invocaverunt Deum, qui fecit cælum & terram, qui per Prophetas annunciatus est, & ejus filius Jesus, quem unxit Deus*, ut iterùm disertè Irenæus: quem ego Scriptorem omnibus novitiis prætulero. Cui tamen istius generalis institutionis specialem rationem, quomodo scil. Filius Dei in principio & ante Abrahamum fuerit, de cælo sit, à Patre prodierit, exertè id dicente Scripturâ, tùm quomodo, salvâ in Scripturis Sacris tradita thesi, *Unus est Deus*, & *Unus est Deus Pater*, Deus, & quidem super omnes in secula benedictus, dici possit, examinare placuerit, is ante omnia affectu & præconceptâ opinione careat, & soli verbo Dei expresso, utpote certissimo & inconcusso fundamento adhæreat, necesse est. Meritò enim credendum est, talem hominem prudenter in gravissimo hocce argumento, in quo salus æterna vertitur, versari & bene sibi consultum velle. Ego sanè, ut virum cordatum decet, non dissimulo Patrem mihi, docente ipso Christo ejus Legato, solum verum Deum, Filio; quatenus ille Pater, hic Filius est, majorem, Deum illum unum, Deum Israëlis, rerum autorem esse: ab eo Christum omnia accepisse, & esse quidem Filium, quoque Deum, præsertim cum adhuc credam illum λόγον, qui in principio fuerit, in Virginem descendisse, & in carnem conversum, & sic verbum carnem factum fuisse, & Deum fuisse, mortuum tamen verè & propriè fuisse, semper Patri honorem exhibuisse; ab eo resuscitatum & glorificatum fuisse, ideòque omnia illi accepta retulisse. Cæterùm Trinitatem personarum, consubstantialitatem, communicationem idiomatum, & alia ex scholis in ecclesiam illata, humani cerebri figmenta esse, ideoque meritò rejicienda credo, ut ad solam Scripturam S. certissimam fidei normam perveniatur. Verbo: Symbolo Apostolico, in quod, ut & vos omnes, baptizatus sum; adhæreo, & soli quidem, ita scil. ut me Niceno & Athanasiano opus non habere, firmiter credam. Omnia tamen mea judicio, meque ipsum examini vestro subjicio, & ut Deus Pater luminum, Pater misericordiæ, Pater Domini nostri Jesu Christi Vestro Sacro cœtui & piis conatibus per Sp. S. intersit, eundem supplex oro.

[a] l. 1. c. 9. [b] de præscript. adv. hær. c. 34. c l. 3. c. 12.

Multa tunc à plerisque inaudita animos eorum, prout genio, voto & studio non vivitur uno, in diversa egerunt. Equidem non paucos hæc ad diligentius inquirendam puram veritatem, ut paulò post eventus docuit; permoverunt. Hos inter *Gregorius Pauli* fuit, de quo supra nobis sermo habitus, & qui examini Gonesii in illa Synodo facto interfuit. Equidem ex illa Synodo datæ ad Melanchthonem litteræ, per quas consilium ejus de elucidandis fidei de Deo & Christo articulis requisitum. Hæ Gonesio perferendæ Wittebergam traditæ; qui Melanchthoni commendatus est à Synodo, licet hæc de eo perscribat: *credere eum λόγον esse minorem Patre secundum divinitatem: divinam naturam conversam esse in humanam*

manam, *& Deum esse mortuum propriè*: quæ hôc exulcerato Seculo tanquam Arianæ, Eutychianæ & Patri passianorum hæreseωn blasphema deliria evestigio damnarentur. Et hæc quidem duo posteriora meritò rejicienda, utpote à vero aliena, quæ à Gonesio è vinculis errorum eluctari conante & signum ad inquirendam puram veritatem dante, dicta nemo æquus mirabitur. Sed illud primum ex ore Christi didicimus, qui Patrem suum se majorem, quatenus scil. ille Pater, hic Filius est, ex mente adversariorum ille Filium ab æterno ex essentia generans, hic Patri coæternus & consubstantialis, apertè profitetur. Id pariter quatuor seculorum antiquitas, præsertim Græcæ Ecclesiæ Doctores, sed & inter Latinos Hilarius, teste ipso Maldonato, agnoverunt. Atque ita Gonesii sententia errorum vulgò receptorum tunc tenaces non leviter turbavit, ut ad Melanchthonem, quò in viam reduceretur, missus fuerit. Verum sententia ista hic non stetit, imò ulterius progressa est, qua de re paulò post dicemus. Gonesius ecclesias invenit in secundo veritatis purioris gradu positas. Jam enim relicto Saxonum de Consubstantiatione dogmate, Helvetiorum de Sacramento sententiam amplexæ erant. Quæ re susque ad annum 1558 acerrimè fuit agitata.

Hic autem *Francisci Davidis* licet tempore posterioris ex occasione Serveti & Gonesii, mentio nobis est facienda. Ita enim Josias Simlerus! *Est autem Franciscus Davidis, ut paucis dicam Servetus illustratus*: *& quod hic in Transylvania, idem est Gonesius in Polonia.* Præfat. libr. contr. Antitrinitar. Sed ut superiora repetamus & ad hæc tempora quorum gesta persequimur, deducamus *Stancarus*, de quo ante diximus, ad reformandas Ecclesias ab Anno 1553. magno studio incubuerat: in quam rem hortatu Jacobi Comitis Ostrorogii libros conscripserat. Cùm enim ei, tùm Felici Crucigero & aliis piis Viris, motâ inditione Cracoviensi persecutione (cujus haud levia videmus documenta, Martinum Curoviensem morte acerba sublatum, Valentinum Parochum Krzczonoviensem, Nicolaum Olesnicium & Conradum Crupcam in jus tractos) aliæ sedes quietæ quærendæ essent, in majorem Poloniam concesse-

cesserat & Ostrorogii protectu tutus permanserat. A quo Anno 1553 dimissus in Minorem Poloniam cum eodem illo Crucigero reverterat & reformandis ab idololatria ecclesiis pro tempore operam dederat, favore Stanislai Stadnicii, Hieronymi Philipovii, Nicolai Olesnicii & aliorum Patronorum Virorum Nobilissimorum & generosissimorum fretus. Sed cùm anno proximo controversiam de Mediatore movisset, odia multorum non tantum in Polonia, sed & in Germania incurrit, ita ut propterea in Transylvaniam recessisse videatur. Statuebat nimirum Filium, cum unus idemqne Deus cum Patre credatur, Mediatorem non secundum divinam naturam, ne sui ipsius Mediator esset, cùm Mediator, docente scriptura, unius non sit, Deus autem unus sit, sed tantum secundum humanam esse. Sed & hic effugium invenerunt receptorum errorum patroni, statuentes Filium quatenus Deus est juncta ut ajunt humanâ naturâ cum divinâ personaliter, ad se quoque mediatorem esse. Adeoque sententia Stancari in Synodo slomnicensi Anno 1554. dehinc in Synodo *Sendomiriensi Anno* 1559. *habitis* reprobata à multis, à non paucis tamen approbata & defensa. In Synodo certè Pintzoviana Anno 1558. mense Novembri habitâ acritèr discussa fuit: ut ita illis quæ ibi antehac Synodo prima ibidem Anno 1555. habita ut adnotavimus, gesta fuêre, tum quæ secuta paulò post ac deinceps temporis progressu dicemus, ad calculum revocatis, meritò dici possit, illud oppidum à Deo adstruendum puræ veritati nidum electum fuisse: cujus etiam confessoribus nomen Pintzoviorum, ut in Sylvis Andr. Fricii videre est, inditum erat. At æquo tunc Martè ab utrinque discessum est, quoque cum sua Sententia ad sua, Stancaro Dubietzcum ad Patronum Stanislaum Stadnicium revertente. Stancarus enim, ut multa erat non tantùm linguarum scientiâ sed & eruditione: ex Scripturis & antiquitate sententiam suam ratione profectò suffragante probabat. Adeoque nec Joannes à Lasco, qui demum Anno 1560. ineunte Pinczoviæ supremum diem obiit, Vir non minus multa doctrina & pietate ac veritatis, prout illa ætas ferebat, studio, quàm natalibus & hono-

ribus sacris, quamdiu in Papatu erat, vel datis vel destinatis clarissimus, nec Lismaninus, nec Gonesius nec Crovicius nec Blandruta aliique Pinczoviæ degentes vel illuc venientes eum à Sententia dimoverunt. Hæc tamen mox, ut & illa Serveti de præeminentia Patris Viros pios & doctos ad hoc argumentum discutiendum haud leviter incitavit. Itaque meritò illam Synodum Pinczoviæ Anno 1558. celebratam Andreas Lubieniecius Senior in MS. de Synodis magnum ingressum ad demoliendum dogma Trinitatis fecisse dixit. Tantò magis cum sequenti mense ejusd. anni illa Gonesii de præeminentia Patris sententia non in Synodo Brestiæ Litvanorum habitâ repetita, imò una cum libello ejusdem contra pædobaptismum à Matthia Albino Ivanovecensi ad Cracoviam Ministro primum oppugnatum ab Hieronymo Pickarscio, qui & alia, quæ ex Papatu irrepserant, interea dogmata de Trinitate, duabus in Christo naturis, communicatione idiomatum, frustra id aliis sub pœna excommunicationis interdicentibus, apertè se rejicere, nec conscientiæ reluctari posse confessus est, confirmata fuerit. Et certè ex his, quæ secuta sunt in illa Pintzoviana Synodo portam ad discutienda vulgò recepta dogmata apertam esse, nemo non videbit. Hoc enim ipso anno cum venisset Pintzoviam Blandrata, quem invidia Calvini Geneva expulerat, habitis Pintzoviæ cum Lismanino, multis de hoc argumento sermonibus, & videns Stancari adversarios ei non satisfecisse, tantùm effecit, ut & ille de dogmate Trinitatis dubitare incæperit. Hinc Lismaninus in suspicionem Arianismi apud Ministros inolitis erroribus tenacius adhærentes incidit, & ad Ecclesiam Cracoviensem, quam Gregorius ille Pauli in horto Bonari regebat, delatus est. Hinc Lismaninus sententiam Blandratæ magis magisque expendere, tandem litteris ad Stanislaum Ivanum Karninscium datis fortiter tueri, harum Ivan copiam Gregorio facere: is præeminentiam Patris in ecclesia indicare. Juvat harum litterarum exemplum adponere.

A Deo

A Deo Patre ex quo omnia, per Christum D. per quem omnia, Patri & Spiritui S. consubstantialem & coæternum, Gratiam & pacem precor ex animo. G. D. T.

NIsi viderem quo tendit Satan, vehementer mirarer ex his, quæ D. D. Blandrata retulit. Accusamur à Stancaro Arianismi, & à nostris fratribus prohibemur, ne illum palam mentiri ostendamus. Ignorantia & ambitio quorundam turbat Ecclesiam, mi D. Iwan, non Lismaninus, cujus scopus est ostendere Christum, ante Verbi incarnationem fuisse Mediatorem, hic animi pendeat totus, nisi ex Sacris literis & probatis auctoribus ostendatur, lavamus laterem. In eum finem edita est Confessio de Mediatore, totque litteræ sunt missæ ab Ecclesiis Germanicis, Helveticis, Allobrogicis, quibus cum nobiles decepti à Stancaro, non promoveant, Peccatne, Lismaninus, qui idem ostendit rationibus e x Sacris petitis literis, & doctissimis earum interpretationibus? Si quæ dico inaudita & portentosa videntur nostris, accusent seipsos, qui illotis, ut ajunt, manibus ad Sacra accedunt, Ubi legerint Theologos primitivæ Ecclesiæ, viros doctissimos pariter ac sanctissimos, Ignatium beatissimi Joannis Evangelistæ discipulum, Justinum Origenem, Irenæum, Tertullianum, Hilarium, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Ambrosium, Erasmum quoque Roterodamum, quos omnes mihi evolvere necesse erat, postquam scriptis & nostræ Ecclesiæ de Mediatore, & tot doctissimorum Virorum responsis nihil profecimus cum Stancaro. Ubi inquam, hos omnes perlegerint cum judicio, qui me portentosa dicere audent, mutabunt animi sententiam, & feliciter mecum agent candidè. Arianus est mi D. Iwan, qui non confitetur filium esse consubstantialem & coæternum Patri, non qui à Sabellianismo liberat homines, ne Patrem & Spiritum S. incarnatum & passum cogantur asserere. Verbis Stancarus distinguit Patrem à Filio, re autem ita confundit, ut generationem Filii, & processionem tollat omninò. Sed de his omnibus & Georgius Niger copiosius differet apud G. D. T. & ipse cum dabitur proprias audire & reddere voces. Interim, ut G. D. T. habeat, quo me tueri possit, si quis portentosa medi-

 cere

cere audeat, diligenter & ipse legat, quæ sequuntur, & aliis eadem declaret.

D. BASILIUS contrà Eunomium hæreticum lib. 1. pag. 134. 320. *Nos autem secundum habitudinem causarum ad ea quæ ex ipsis sunt; Patrem Filio præponi dicimus, naturæ verò nequaquam, neque temporis excessu.*

Item: *Quas ob res reliquum est, ut causæ ratione majus hic capiatur. Nam quoniam à Patre origo est Filii, hoc major est Pater, quod causa est atque origo. Quapropter Dominus sic dixit. Pater meus major me est, ut eo quod Pater est major esse intelligatur. Patris autem nomen, quid aliud ostendit? nonne causam qui ex se natus est, atque originem?* Atqui & secundum sapientiam vestram, Substantia major, aut minor substantia non dicitur. Itaque tum secundum istos, tum secundum veritatem ipsam, nullo pacto excessum in substantia proposita hæc verba significant. Magnitudine verò Patrem Filio esse minorem hic ipse scilicet Eunomius pernegat. Cum nullam oportere intelligere in Deo quantitatem afferat. Quare nullus alius relinquitur, nisi qui à nobis dictus est majoris modus, qui est secundum causam atque originem.

Idem D. BASILIUS adversus eundem. Eunomium hæreticum lib. 3. pag. 338. Ubi probat Spiritum S. esse Deum.

Quæ enim necessitas est, si dignitate & ordine tertius est spiritus Sanctus tertium esse ipsum ex natura.

Dignitate equidem secundum esse à Filio tradit pietatis doctrina. Sicut enim Filius ordine quidem à Patre secundus est, quia ab ipso est, & dignitate quoniam principium & causa ut sit, ipse Pater est. Et quoniam per ipsum processus & accessus ad Deum & Patrem, natura autem non amplius secundus est. Quoniam Deitas in utroque una est.

Idem D. Basilius sermone de S. Trinitate.

Nolo autem mihi, quot quot, vel non perfectè dictis nostris attenditis, vel calumniandi gratia nos circumdatis, non aliquid à nobis utilitatis quærentes, sed verbis nostris insidiantes circumquaque cursitantes dicatis. Duos Deos prædicat, cultum multorum annunciat. Non sunt duo Dii, neque enim sunt duo Patres. Qui duo principia inducit, ille duos quoque Deos prædicat. Talis est Marcion Hæreticus, & si alius quisquam illi impietate similis est.

Rursus & ille duos Deos esse dicit, qui alterius essentiæ genitum esse dicit à genitore, propter essentiæ dissimilitudinem multorum Deorum errorem introducens.

Item. *Ubi unum principium unumque ex ipso principio & unum archetypon ac illius una imago traditur, ibi unitatis doctrina non corrumpitur.*

Gregorius Nazianzenus lib. 4. de Theologia pag. 262. *Quid verò annon manifestum, majus illud ad causam, æqualitatem autem ad naturam referenda esse?* Mi D. Jvan si hos duos versus D. Nazianzeni intellexeris, & ipse scies & alios docere poteris, quomodo Pater major est Filio, & quomodo filius est æqualis Patri.

Hinc etiam cognosces, quod filius ut Deus intercedit apud Patrem, quod sine hac clara distinctione nunquam persuaderi poterit, ut hactenus experti sumus.

Necesse enim omnino est, ut Deus Pater aliquomodo sit major filio ante incarnationem non in natura aut essentia; quia sunt ejusdem naturæ & essentiæ, ideo dicitur consubstantialis patri: non in virtute, *virtute enim*, ut ait D. Basilius, *deficere Christum Dei virtutem, dicere valde puerile est & hominum qui non audiunt vocem Domini dicentis, Ego & Pater unum sumus, & unum pro æqualitate virtutis capientis, ut ipsis Evangelii verbis demonstrabimus* &c. Non etiam Pater major est Filio potestate aut honore, subjecit enim Pater Filio omnia, & vult ut similiter honorificetur Filius, sicut & honorificatur Pater.

Neque Pater est major Filio tantum ut Deus Pater filio homine. Nam, ut ait Nazianzenus, quod Christo quatenus homo intelligitur major sit videlicet Pater. Verum quidem est, at non magnum. Quid novi enim Deum homine majorem esse?

Quomodo ergò est major, si non essentia, si non virtute, si non potestate, si non honore, in his enim ostendimus Filium æqualem Patri. Est enim Mi D. Jvan. Pater major Filio, ut etiam præter Divorum Basilii & Nazianzeni

anzeni eandem sententiam. Erasmus scribit in Apologia ad Jacobum Sturmium, *quià Pater principium est filii, juxta hoc major est Pater velut causa & principium: Quapropter & Dominus dixit, Pater meus major me est, eò quòd Pater est. Patris autem vox quid aliud significat, quam causam & principium ejus, qui ex ipso genitus est. Hæc Erasmus.*

Dico & repeto, quod nisi apertissimè ostendatur quomodo filius est æqualis Patri & quomodo Pater est major Filio antequam homo fieret, nunquam discedent à stancarismo nostri Fratres seducti.

Ad hoc faciunt multæ doctissimæ sententiæ veterum qui docent ante incarnationem & Patrem mandasse Filio & Filium paruisse Patri atque ministrasse.

Hilarius de Trinit. l. 7. ni fallor. *Fiat lux. Verba sunt Patris mandantis Filio quid fieri vellet.* Idem: Hilarius *Nondum erat homo natus, utique qui missus, mittentis exequitur jussa, obtemperat atque obsequitur.* Ignatius D. Joannis Evangelistæ Discipulus: *Verè crucifixus est Dominus ab impiis, & quia iste qui natus est ex muliere filius est Dei & qui crucifixus est, primogenitus est creaturæ, & Deus verbum, & ipse fecit omnia jussione Patris, quod Apostolus corroborat dicens, Unus Deus Pater ex quo omnia, & unus Dominus Jesus Christus per quem omnia. Item: Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & Hominum homo Christus Jesus, qui est imago Dei invisibilis:* & paulò post: *Non est ipse ille qui est supra omnia Deus, sed filius ipsius.*

Hilarius lib. 4. de Trinit.

Postquam ostendit Deum Patrem dixisse, fiat firmamentum & Deum Filium fecisse firmamentum, subjungit: *sed videmus inquam profectum jubentis Dei & facientis Dei agatur.*

Idem eodem lib. p. 55. ultimæ editionis.

Et vidit Deus quia bona sunt, Placere Patri opera sua gaudet per se ex præcepto ejus effecta.

Lib. 5. pag. 75.

Arguit te planè, arguit ille toto legis volumine, quam manu Mediatoris per Angelos dispositam suscepit. Et quare an qui legem dederit. Deus unus sit, cum utique mediatór sit ille qui dederit.

Justinus Philosophus Martyr in colloquio cum Tryph. Judæo:

Conabor è scripturis declaratis persuadere, quæ ajo: esse dicique alium quoque Deum & Dominum præter Creatorem, eum vocari Angelum, sive nuncium, qui nunciet hominibus, quicquid eis nunciari vult creator ille omnium, quo nullus alius Deus est superior. Item: *Revertamur ad scripturas, dabo operam, ut persuadeam, hunc qui Abrahamo, Jacobo, Moysique conspectus dicitur, & in scripturis Deus dicitur verum esse à Creatore diversum numero dico, non sententiâ. Certum est enim eum nihil unquam fecisse, nisi quod ipse mundi Creator, quo non est superior Deus alius, faciendum atque dicendum censuit.* Item. *Fateri oportet modis omnibus alium quendam præter hunc qui Creator omnium rerum intelllgitur, Dominum dici à Spiritu Sancto. Nec solum per Mosen, sed etiam per Davidem.* Item: *Ne nunc quidem intelligitis amici, unum ex his tribus, loquitur de tribus qui diverterunt ad Abraham, Deum Dominumque esse illi cælesti ministrantem.* Item. *Tryphon ait. Perge rationem reddere, quomodo hic Deus Abrahamo conspectus minister Dei Creatoris omnium de virgine natus est homo cæterorum passionibus obnoxius.* Item. *Fratres hoc quoque Moyses scripsit, quod hic, qui conspectus Patriarchis dicitur, Deus & Angelus & Dominus appellatur ut vel hinc agnoscatis eum ministrantem Patri universorum, sic ut jam annuistis.* Item. *Et nunc quidem scriptura narrat Angelum Domini apparuisse Moysi, ac mox Dominum Deumque fuisse significat, eum ipsum indicat, quem sæpè legimus ministrantem illi supermundano Deo, quo non est alius superior.* Mi D. Jvan. Evaderet Epistola injustum volumen, si sententias veterum ad idem facientes conscriberem qui his non erit contentus, nec si mille alias describerem, persuadebitur. Hæc eò tendunt, ut omnes intelligant, nihil absurdi continere confessionem de Mediatore secundum utramque naturam, si dicimus Filium Deum intercedere apud Deum Patrem, sive Deum Filium apud Deum Patrem.

Stancarus verò quia re confundit personas divinas, & ex tribus rebus numero facit unam rem numero, non solum tollit mediationem, sine qua nulla salus, verum & generationem Filii, & emissionem Spiritus Sancti ut S. Athanasius adversus Sabellii gregales scriptum reliquit.

Accipiamus inquit, *indivisam coexistentiam, & invicem sibi coexistentibus, & tres cum revera sint, unam formam intelligamus, quæ quidem incipit à Patre, sed resplendet in Filio, apparet autem & demonstratur in Spiritu Sancto.*

Item. *Cum igitur Deitas ita indivisibilis sit, condisce religiosè ex Sacris scriptoribus unam in tribus formam intelligere, non unam rem ex tribus componere.*

Item. *Cum autem omnia agantur à DEO Patre per Christum in spiritu S. indivisam conspicio operationem Patris & Filii & Spiritus S.* Cæterum non ob hoc complicans ista omnia in unum. Ex quo: Per Deum: In quo; hoc est Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, annitor ex trinitate unitatem facere: quam qui faciunt ut Stancarus, non possunt capere quomodo in tali unitate filius intercedat & mediet apud Patrem.

Mi Domine Jvan. Considera verba ista D. Athanasii, & liberaberis à multis phantasiis. Si quis possit intelligere, quod idem secundum idem non potest esse unum & plura: potest autem secundum diversa, intelliget quoque nos hic Pinczoviæ non docere inaudita & portentosa. Imo qui secus docent, incidunt in sententiam Sabellii hæretici, qui nullam realem distinctionem noverat inter Patrem, Filium & Spiritum Sanctum tantum dicebat nomina unius Dei, qualia sunt Creator, Omnipotens, bonus, misericors, hoc est ex tribus rebus numero, facere unam rem numero, & hic cogebatur dicere, Patrem Filium & Spiritum Sanctum esse unam personam. Ubi verò una persona, vel una res numero intelligitur, ibi cessat & generatio, nihil enim gignit seipsum, & emissio, sive ut nunc loquuntur, spiratio & processio Spiritus S. Nos hic Pinczoviæ apertè confitemur & credimus in Deum Patrem ex quo omnia, ingenitum sine principio, ex quo nedum creaturæ omnes, sed & divinitas & bonitas Filii & Spiritus S. ut docet Nazianzenus in Apolog.

Con-

Confitemur etiam & credimus, in Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei, qui est verbum incarnatum, Deus homo, Deus de Deo, Lumen de Lumine, Deus verus de Deo vero, Patri consubstantialis, coæternus & coæqualis in essentia, vel natura, in virtute, in gloria, in potestate & honore. Credimus & in Spiritum Sanctum, Deum verum ex Patre & Filio, sive, ut Doctores Græci dicunt, per Filium, ab æterno inenarrabiliter procedentem, consubstantialem, coæternum & coæqualem Patri & Filio, ut supra dictum est, in essentia, virtute, majestate, gloria, potestate & honore. Agnoscimus tres personas ejusdem essentiæ & cum Divo Basilio confitemur: quicquid bonorum ex Divina ad nos virtute pertingit, omnia in omnibus operantia, gratiæ operationem esse, quemadmodum Apostolus dicit. Quoniam omnia ista operatur unus atque idem Spiritus, unicuique peculiaria dividens sicuti vult.

Quærentes verò an etiam dignis adsit bonorum suppeditatio, ut quæ ex solo Spiritu Sancto sumat initium, iterum per Scripturam ducimur & instruimur, ut suppeditationis eorum bonorum, quæ Spiritus Sanctus in nobis operatur, auctorem & causam unigenitum Deum esse credamus; per Sacram enim Scripturam docti sumus, per ipsum facta esse & in ipso consistere omnia.

Quando igitur ad illam cogitationem subvehimur, iterum divinitus inspirato adminiculo ducti procedemus.

Quod per illam quidem potentiam, ex eo quod non est, ad hoc ut sint perducantur omnia, non tam ne ex illa quidem absque initio producant. Sed quod sit potentia quædam ingenita & sine principio assistens, quæ causa sit ei causæ per quàm omnia facta sunt.

Hæc sunt, mi D. Jvan Frater amantissimè, quæ mihi digna visa sunt tua lectione, ut & ipse discas sanam doctrinam, & alios qui ignorantia non affectata, neque pravæ dispositionis peccant, doceas, quæ tamen omnia examini & judicio Ecclesiarum quæ verbum Dei habent pro regula, submitto. Si quid non intellexeris D. G. Niger explicabit. Si omnia intellexeris probaverisque, communicato fratribus,

bus, & præſertim D. Jacobo Silicio meo Filio. Vale in Domino Jeſu Pinczoviæ & x. Decembr. 1561.

Hinc anno 1561. ad d. 10. xbris indicta Cracoviam ſynodo quæ numero xx. fuit pauci ex Patronis & miniſtris illuc convenerunt. In hac litteræ Calvini lectæ, quibus perſcribit ſe Martino Cechovicio Miniſtro Ducis Radzivilii Vilnenſis Palatini litteras dediſſe ad Patronum ejus cui hæreſes Blandratæ detexerit. Is enim cum Genevæ ageret, cum Calvino de negotio religionis acriter agere, errores in libris ejus Pontificiis affines. Eccleſiæ noxios demonſtrare: inter alia argumento hoc prævalido, ex quo ille juſtâ reſponſione extricare ſe nequiverit: Quicunque invocat Deum illum Deut. VI. propoſitum, qui eſt ex ſententia Trinitariorum Pater, Filius & Spiritus Sanctus debet invocare per mediatorem. Sed Pater, Filius & S. S. ſimul non habent Mediatorem ergo ſimul non invocantur: cum urgere: Calvinus hæc impatienter ferre, iraſci, minari. Blandrata exempli Serveti (cujus impietates Calvinus ſibiobjecerat) recordari, periculum prævidere, tempeſtivè vitare, Genevam relinquere: Calvinus his non contentus, Blandratam quum alia ratione non poſſet litteris in Poloniam miſſis perſequi, apud Patronos & Fratres acritèr criminari: ita cuncta ad eum perdendum agere. Atqui ejus erat, qua erat ingenii & eloquentiæ vi ac auctoritate, cœptum reformationis negotium proſequi. Sed illæ ejus literæ fidem in multorum animis invenerant. Nam & Petrus Martyr acriter ut receptos errores tuebatur, ita & contradicentes, ac inter eos Blandratam inſectabatur. Ita nempe Tiguro Ao. 1558. 11. Junii ſcribit ad Miniſtrum quendam Genevenſem fuiſſe apud ſe Georgium Medicum (hunc ipſum Blandratam intelligens) cum Geneva turbatis rebus diſceſſiſſet, & viſum fuiſſe Monarchiam quandam introducere in deitatem, nec eandem Patris & Filii eſſentiam concedere; unde multitudo Deorum ſequatur: quam Gribaldus ut audierit, diſertis verbis aſſeruerit: habuiſſe ſecum Joan. Paulum Pedemontanum (Alciatum ſcil.) monitum à ſe; ut formulæ in Eccleſia Italica Genevæ conſtitutæ ſubſcriberet, cum aſſentiri nollet, Bullingero inſtigante perſuaſum; ut diſcederet antequam per Magiſtra-

giſtratum exigeretur. In eodem illo Cracovienſi conventu illa Liſmanini ad Iwanum epiſtola examini rigido ſubjecta diverſa experta eſt judicia. Imò allaborante Sarnicio & aliis, non pauci Liſmanino & Blandratæ vitio dabant, quòd illam de Patris præeminentia quæſtionem moverint. Igitur Blandrata in hunc modum cauſam meliorem tuitus eſt: *Quicunque, fratres, Satanæ mille artium architecti & veteratoris antiqua ſtrategemata acri adſpicit mentis oculo & diligenter examinat, videt eum ſemper integritati Eccleſiæ & ſaluti hominum inſidias ſtruendo, non neceſſaria ſubtractis neceſſariis tractanda intruſiſſe. Nec ſanè immeritò jam olim per os magni Gentium Apoſtoli loquens Spiritus propheticus verebatur; ne ſicut olim ſerpens Evam ſeduxit aſtutitiâ* ſuâ*, ita & fidelium mentes corruptæ degenerarent à ſimplicitate quæ eſt in Chriſti doctrina. Hæc enim ita admirandam & cæleſtiſſimam ſapientiam in ſe continet, ut genuinâ ſimplicitate ſe omnibus commendet. Habent hic in quo ſe maxima exerceant ingenia, nempe ſi veræ pietatis ſtudio ducantur, nec tamen quidquam eſt, quod non ſimpliciſſimo cuique ad ſalutem prodeſſe poſſit. Cum autem ſtylus Scripturæ ſit manifeſtus, id eſt ſimplex; videmus in Symbolo Apoſtolico quaſdam phraſes Scripturæ inuſitatas: quarum plures in Niceno, plurimas in Athanaſiano videre eſt. Ego tamen nec illa peregrina his ſymbolis contenta rejicerem, ſi genuina & ſcripturis conveniente ratione explicarentur. Sed ut hoc fiat, multo opus eſt ſtudio, multâ Scripturarum divinarum & antiquitatis notitiâ, multâ patientia ac tolerantia. Meretur ſane articulus de deitate Filii Dei, Domini & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti accuratum examen. Verum hoc omnis affectus expers ſit oportet. Nam ſi odio vel gratiæ aliquid hic dederis, optatam finem non aſſequeris. Optarem ego nos ſine ullo animorum motu ad primævam illam ſimplicitatem redire poſſe. Sed ſi capita fidei examini quod quidem ac inquirendum & inveniendum verum neceſſarium eſſe fateor; ſubjicienda ſint, unice neceſſarium eſt; ut temperetur à rixis, quæ nil boni pariunt.* Atque ita quidem tunc Blandrata. Cui Hieronymus Oſſolinius, Vir nobiliſſimus & piorum colloquiorum ſtudioſiſſimus, nomine reliquorum reſpondens: *Ita quidem eſt;*

est, Georgi Blandrata, ait, *errores & corruptelas esse post tempora Apostolorum in ecclesiam Dei invectas. His tamen ne dogmata pia & ritus pietati Christianæ convenientes accenseantur, sedulò cavendum. Equidem benè factum fuisset, si hæ de Filio Dei controversiæ non motæ, & omnia, quæ verbo Dei non continentur, neglecta fuissent. Omnino enim mea quoque hæc est sententia, solam Scripturam Sanctam esse certissimam & infallibilem fidei normam, à qua nemini sit recedendum. Multa tamen in præsentia quoque ignorari & intacta relinqui potuissent. Atqui video jam scripta quædam de S. Trinitate in vulgus emanasse. Quorum eventus qualis sit futurus, me quidem latet. Felicem tamen vix ominari possum. Docent id exempla, quæ sunt in oculis. Uxori Palatini Posnaniensis quidam hujus generis libellus a Stancaro exhibitus ut aliquid boni in corde fœmineo efficiat, meritò vereor. Videmus enim Lismaninum ipsum, cum ei porrectus fuisset, legere eum noluisse, imò & aliis ne eum lectione dignarentur, persuasisse: totamque hanc controversiam nihili duxisse.* His ipse Lismaninus, qui præsens aderat subjunxit: *Ita est, Hieronyme Ossolini, me lectionem libelli Stancariani nonnullis disvasisse. Sententia enim Stancari de Mediatore totam rei istius difficultatem non exhaurit, si enim Deus Trinunus cum Stancaro retineatur, non multum in eo an Deus Filius secundum humunam naturam tantum, an verò & secundum divinam mediator fuerit, laborandum. Adeoque hoc sensu controversiam Stancari, si illa opinio de Deo Trinuno retineatur, & in ea consistatur, nihili duxi. Voces Trinitatis, hypostaseon, personarum, communicationis idiomatum & alias plures à Petro Lombardo & aliis scholasticis inventas, scripturæ ignotas esse, in aperto & in confesso est. Videmus enim quàm illæ & Luthero & Calvino & aliis celeberrimis in Ecclesia viris displicuerint, ita ut si eorum judicio standum & veritas his tricis se implicatam quærens audienda sit, jure meritoque hæc omnia rejicienda essent, ut hac ratione primæva simplicitas ad nos rediret. Si tamen hoc, nunc præsertim, præstari nequeat, ad tempus hæc toleranda: hac verò lege, ne quis ad hæc recipienda cogatur, & nisi id repugnante conscientia facere velit, Ecclesiæ communione indignus judicetur. Huc spectat illa mea ad Gener. D. Jvanum epistola,*

stola, in qua ex antiquis Doctoribus demonstravi sententiam de Deitate Filii non talem, qualis nunc recepta est, fuisse. Ut autem hic quoque loci id quod sentio & res est, liberè citra cujusque offensam dicam, relinquant mihi antiqui Ecclesiæ Doctores Deum unum, nec ullas in eo personas quibus, utpote substantiis primis intelligentibus multiplicatis, substantias vel quod idem est, essentias & naturas multiplicari necesse est, distinguant, eum nulla ratione dividant, nec ullam in eo œconomiam faciant: ego verò nemini ullum facessam de Mediatore, qualiscunque ille placuerit, negotium. Atque hi & plures ejus generis sermones ibidem loci de hoc argumento habiti sunt: Hi diversis animorum motibus, cum & ipsi diversi fuerint, excepti. Moderatiores tamen omnia ad concordiam reducere, Stanislaus ille Lasocius id consilii porrigere, Ministros qui Lismaninum & Blandratam hæreseos obtentu criminati fuerint & bonæ eorum existimationi detraxerint, convocandos & arguendos esse. Tandem uno animo ab omnibus conclusum, Blandrata confessionem fidei suæ conscribat, & suam innocentiam asserat. Ex hac Synodo datæ de hoc negotio ad Calvinum & Bullingerum litteræ, quas anni sequentis 1562. d. 23. Febr. Lismaninus Czechovicio miserat, ut videret, quid ille senserit tùm de doctrina ipsorum, tum de calumniatoribus illis duobus (ut verba epistolæ sonant) qui traduxerint eos per totum orbem tanquam Arianos. Equidem eodem illo ipso anno 1561. istum Crechovicium Princeps ille Magnanimus & Pius Nicolaus Radzivilius Niger Palatinus Vilnensis Genevam ablegaverat Blandratæ causâ, quem, ut Instructio Czechovicio à Principe data testatur, cum tres consubstantiales, coæternos, coæquales confessus fuerit, nolit ipse cum Ecclesiæ magno scandalo clanculum litteris à Theologis traduci, nisi publicè convictum, siquidem alias Ecclesia de ipsius moribus & doctrina per Joan. à Lasco & D. Lismaninum benè persuasa: rogat item, ut Blandratæ litteræ, quibus Filium simpliciter Patre minorem asseruisse à Tigurinis arguatur, mittantur. Hinc quàm ægre Princeps infestum Blandratæ Calvini zelum, quem ille haud dissimulavit, tulerit, patet. Illo Cracoviensi

conventu soluto, ad 10. diem Martii proximi Ann: 1562. Conventus Xiansiam indictus, in quo Blandrata confessionem fidei suæ exhibuit. Hanc etiam hic inserere placet. *Fateor me credere in unum Deum Patrem, in unum Dominum Jesum Christum Filium ejus, & in unum Spiritum Sanctum, quorum quilibet est essentialiter Deus. Deorum pluralitatem detestor, cum unus nobis sit tantum Deus essentia indivisibilis. Fateor tres esse distinctas hypostases, & æternam Christi divinitatem ac generationem: Et Spiritum Sanctum, verum & æternum Deum, ab utroque procedentem.* Regenvolscius hist. Eccl. Slavon. pag. 86. Is hâc fucatâ confessione effectum esse ait, ut Blandratæ nomine totius Synodi Pinczoviensis Anno 1561. 25. Jan. habitæ testimonium daretur literis ad Palatinum Vilnensem & Joan. Calvinum scriptis. At verò Budzinius c. 21. confessionem à Blandrata Synodo Xiansensi 1562. d. 10. Martii exhibitam, mox in Pinczoviensi mense proximo discussam & illam conciliationem factam fuisse, scribit. Sic autem ille: *Celebrata est paulo post* (Xiansensem illam Synodum) *Synodus Pinczoviæ d. 2. Aprilis, cui 28. Ministri, 12. Patroni Nobiles intererant. Illa Blandratæ* confessio sat longa (hanc non habeo, præter illam à Regenvolscio traditam) non fuit rejecta, & Apologia ejus suscepta. Ideò promisit ei Synodus, operam se per literas daturos, ut cum Calvino in gratiam redire possit. Ille mutuò pollicitus est in omnia consentire, quæ à Calvino & Ecclesiis Dei fuerint conclusa: dummodò Calvinus ei permittat, ut confiteatur Illum esse filium Dei altissimi & æterni & ipse de Uno Deo simpliciter loquatur sine aliqua interpretatione: quòd si hæc Calvino non placuerint, saltem ei hoc polliceatur, mansurum se in simplici verbo Dei & Symbolo Apostolico: & revocet epistolam suam tunc recens editam, præfixam Actis Apostolorum ad Palatinum Vilnensem. Hæc ille. At enim Commentario Calvini in Acta epistolam dedicatoriam ad Christianum Regem Daniæ præfixam invenio. Cæterum in aliis Commentariis MSS. invenio Blandratæ confessionem in Synodo quidem Xiansensi à nonnullis probatam, ab aliis improbatam, privatimque tantum lectam, in Pinczoviensi demum publicè prælectam. Et cum

cum verbis scripturæ concepta esset, paucorum contradictiones expertam promissamque ejus cum Calvino conciliationem fuisse. In eadem Synodo conclusum erat, ut Ministri abstineant à modis loquendi Philosophicis de Trinitate, de essentia, de generatione, de modo procedendi, quæ omnia sint extra verbum Dei: sed ut quilibet se contineat intra terminos Prophetarum, Apostolorum & symboli Apostolici. Quæ certè æqua erat orientium tunc temporis dissidiorum componendorum ratio. Sed hæc à turbidis ingeniis neglecta, accedente, potentiâ seculi, rejecta, imò his contraria recepta fuêre. Lismaninus & Blandrata in eo consenserunt, nisi Deus qui in SS. LL. Pater Jesu Christi dicitur, altissimus esse statuatur, non posse satisfieri Stancaro, imo nec Deo summo honorem debitum relictum iri, cum Christus ipse de eo dixerit: *Pater meus major me est.*

CAPUT VII.

De præeminentiâ Patris per Gregorium Pauli confirmatâ, & Ecclesiâ Christianorum Catholicorum formatâ & stabilitâ post schisma à Stanislao Sarnicio factum.

POst illam Pinczovianam Synodum stabilita servandæ concordiæ ratione omnes intra modestiæ & caritatis fines manere oportuit. Sed res longè alitèr evenit, usquequò triste dissidium secutum est, ut paulò post videbimus. Gregorius ille Cracoviensis cœtus minister, Canoni Synodi Pinczovianæ morem gerens vocibus scholasticis pro concione abstinere, & simpliciter Deum unum Patrem, Filium ejus Jesum Christum & Spiritum ejus S. prædicare: Contra immemor non tantum caritatis Christianæ, sed & Canonis illius Pinczoviani Sarnicius, Gregorium sugillare: palam etiam criminari & alios in eum concitare, ac dicere, Filium à Deo per eum avelli. Solebat nempe Sarnicius ex Nedvedeciano in urbem sæpius venire, præcipuè quòd multi nomina novellæ Ecclesiæ darent, & in arce apud

apud Bonarum magnum arcis procuratorem, quem vocamus, concionari, confluente illuc frequenti populo tùm nova appetente, tum veritatis amore flagrante. Hinc ille invidia uri, quod sibi nobili genere nato in Ecclesiæ Metropolitanæ gubernatione Gregorius prælatus fuisset: atque per ejus, quem sibi æmulum posuerat, ruinam, ad honoris superiorem gradum grassari. Equidem tamen jam tunc effecerat, ut Achlerus urbis publicus notarius & Valerianus Pernus ad Lismaninum literas dederint, veluti exprobrantes ei, suam illam epistolam ad Ivanum datam Gregorio novæ de eminentia Patris (quasi verò novum sit Deo rerum Auctori omnia cum ipso quoque Filio adscribere:) prædicationi occasionem dedisse. Non contentus sorte sua Sarnicius & ministerium Ecclesiæ Cracoviensis appetens, cum rectà id consequi non posset, per ambages ivit. Volebat minimum scholastico muneri admoveri, & vel Myscoviorum illustrium adolescentum Stanislai Cicovii privignorum ephorus fieri, ut ita Cracoviæ assiduus Gregorii non tàm auditor quam observator & criminator esset, eique ejecto subrogaretur. Sed cum voto nequaquam potiri posset, Gregorium tanquam novæ & blasphemæ doctrinæ de Deo, Christo & spiritu S. prædicatorem ad plures deferre: dein varias in formas se vertens, ad Gregorium, explicatione Evangelii Lucæ omissa symbolum populo, exponeret scribere; Gregorius autem dolum persentiscens in cæpta Evangelii exegesi pergere: de Deo, ut Deo, de Filio Dei, ut de Filio Dei, & de sp. Dei S. ut de sp. Dei S. Sermonem ad populum facere; verbis textus, quoad ejus fieri potuit, presso pede adhærere: ita Catholicam fidei suæ confessionem edere: suam innocentiam vindicare: veritati testimonium dare: delatorem refellere, pudore suffundere. Singulari cura id Anno. 1562. d. 5. Julii pro concione præsentibus quibusdam Senioribus, ipsoque Sarnicio fecit. Illi itaque ex Sarnicio, quid sibi concio Gregoriana placeret, & an cum eo congredi, minimum conferre de quibusdam velit, quærere; Virum se præstaret, monere: is congressum subterfugere, & dicere sibi cum eo seorsum de essentia Dei loquendum esse. Quasi verò *simplices quique, ne dixerim*

dixerim imprudentes, major semper credentium pars, ut Tertullianus adv. Prax. loquitur, necesse habeant ejusmodi tricis Scholasticis, quas non tantum sacra pagina, sed & prima antiquitas ignoret, excutiendis & cognoscendis operam impendere. Sed Sarnicius pro privato, cujus spem senioribus fecerat, colloquio, Stanislaum Myscovium, tunc Præfectum Mariæburgensem & Joannem Bonarum Castellanum Biecensem & arcis Cracoviensis Magnum Procuratorem adire: Gregorium denuò deferre, palam etiam criminari: hinc Bonarus pro auctoritate senatoria dissidium componere: extemplo eos ad d. 14. Jul. Baliciam evocare, ad colloquium amicum invitare: ille se præsente id facere: sed neque tunc Sarnicius quòd merito culparet, invenire potuit. Nihilominus quem sibi elegerat æmulum, & quo salvo se salvum fore credere non potuit, hæreseos hic & illic accusare, quin & infamare non destitit. Quamobrem Stanislaus ille Szafranecius, Vir illustrissimus & Magnanimus, rem nullam ferre posse moram ratus, utrumque ad diem 20. Julii in Rogovianum ad amicum colloquium, sopiendo exorienti dissidio tàm commodum quàm necessarium invitavit. Invitavit & è vicinia tàm viros illustres & nobiles, quam verbi Ministros, ut ille conventus justam Synodum constituerit. Aderant ex ordine Equestri Stanislaus Lasocius, Succamerarius Lenciciensis cum indiscreto socio Hieronymo Philipovio, Nicolaus Rey & alii plures: è sacro: Felix Cruciger superintendens Ecclesiarum Minoris Poloniæ Szafranecio Secemini ministrans, Stanislaus Lutomirsci, Tractus Pinczoviensis senior, Vir egregiæ nobilitatis, Joannes Pustelnik, Jacobus Sylvius. Cum ad colloquium ventum esset,
„ Gregorius sic ferè præfatus est: Gratias ago Deo meo,
„ Patroni, fratres & amici in Christo omni observantiæ
„ cultu prosequendi, quòd adeò frequentes in hunc locum
„ conveneritis. Est hoc luculentum zeli & pietatis vestræ
„ documentum. Tantus Christianorum pectorum ar-
„ dor, quo in propaganda pura veritate dies noctesque fla-
„ grant, tantò magis laudandus, quantò majore vi ad-
„ versarii veritatis eum exstinguere conantur. Sed vivit
„ Deus, vivit Christus ejus Rex ille Regum, qui contra omnes

„omnes adversariorum, ipsorumque Principum, minas „& furores, invictum, & inconcussum robur menti-„bus fidelium indit. Cælestis ille ignis est, quo flagratis, „quem quia ipse Dei filius è sinu Paterno acceptum morta-„lium generi attulit & in cordibus probitatem spirantibus „accendit, nulla is vi vel arte humana exstingui potest. „Benè nobiscum agitur, quòd non tantum zeli vestri i-„gnis exstingui ab hominibus nequeat, sed perpetuò flagret, „corda durissimo errorum & peccatorum somno sopita „adurat, ita ad evigilandum excitet, excitata calore pie-„tatis refocillet, refocillata propagandæ veritatis ardore „inflammet. Benè dico nobis cum agitur, quòd ita tutiforis-„simus. Utinam æquè benè omnia domi composita es-„sent! Sed dicendum quod res est, artibus Satanæ per-„egrinum ignem cacozeliæ & vehementium dissidiorum „Sacrario Domini inferri, imò in ipso altari accendi. „Quod quam sit Deo adversum, homini perniciosum, „tristi exemplo filii Aaronis docent. Et ut ad rem ve-„niam, ut aliquoties adhuc à nonnullis vestrum, aliis-„que Patronis vel fratribus ad colloquium fraternum, „cum fratre Stanislao Sarnicio de rebus fidei, instituen-„dum invitatus, facilem & morigerum me exhibui: ita „& in præsens libenter meritoque feci. Scio me à Fratre „publicè privatimque novitii dogmatis, quod unum „Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi prædicem „accusari. At verò hanc esse ipsissimam Apostolorum „prædicationem vel me tacente ipsimet nostis. Adeo-„que hæc institutio est velut ipsa primævæ veritatis me-„dulla. Non vos latet statim post discessum Apostolo-„rum ingressuros & aggressuros fuisse ovile Domini lu-„pos rapaces, gregi non parcentes, imo venturos fuisse „falsos fratres, & falsos doctores, perversa & institutio-„ni Apostolicæ adversa proponentes. Id reipsa evenisse, „historiæ Ecclesiasticæ monumenta testantur. Et ut alia „sileam, producendum vobis est testimonium Hegesippi „vetusti & Apostolico seculo proximi scriptoris referente „Eusebio, celeberrimo historiæ a Ecclesiasticæ scripto-„re, de conditione Ecclesiæ post mortem Simeonis Cleo-„pæ, qui ultimus Apostolorum multis, vir certè Aposto-„licus

a l. 3. c. 29.

„licus minimum fuit & Anno C. CXI. mortuus est. „Hoc autem sic se habet. *Ad hæc usque tempora virgo pu-„ra & incorrupta mansit Ecclesia, iis qui sanum „salutaris prædicationis Canonem corrumpere conati „sunt, si tùm aliqui fuerunt, in obscura quadam caligine ad „id usque temporis delitescentibus. Postquam autem sacer „Apostolorum chorus differentem sortitus est finem, & gene-„ratio illa præteriit, quæ divinam sapientiam suis auribus „audire meruerat, tunc impii erroris conspiratio, per se-„ductionem eorum, qui alienam doctrinam tradebant, ini-„tium cæpit, & quoniam nemo amplius superstes erat ex Apo-„stolis, jam nudo vertice contrà veritatis prædicationem falsi „nominis scientiam ex adverso prædicare conati sunt.* Dehinc „gradatim errores in Ecclesiam Domini fuisse introductos, „omnibus historiæ Ecclesiasticæ monumenta solerter evol-„ventibus palam est. Benè tamen se res corruptissi-„mis quoque per Romanorum ut Imperatorum poten-„tiam, ita & Pontificum arrogantiam, seculis habuit, „quòd Symbolum Apostolicum velut tessera fidei & re-„gula veritatis ac nota Christianismi habitum semper & „hucusque conservatum, inque hoc solum sacer baptis-„mus institutus fuerit. Me ab eo ne transversum unguem „discedere, quisque æquus videre potest. Arianismi & „Servetianismi accusor, dum Deum unum & Jesum „Christum filium ejus credo & confiteor. Sed hac ra-„tione ipsi Apostoli hæreseωσ accusandi forent, quod U-„num Deum Israëlis, ceatorem cæli & terræ, & Jesum „Nazarenum promissum illum ab eo Patribus Messiam „Regem populi divini & servatorem mundi, ex Sp. S. conce-„ptum, ex Virgine natum, à Deo resuscitatum & exaltatum „uno animo & uno ore prædicârint. Equidem quisque „vestrum videt, hanc non hæresin sed ipsam veritatem „primævam & Catholicam esse. Non sum nescius mul-„ta ei sequentibus temporibus admista fuisse dogmata de „tribus Personis in una Dei natura, & contra de duabus „naturis in una persona, aliaque infinita, quæ prima „illa ætas & simplicitas Apostolica ignoravit, quæque id-„eò etiam à nobis tutò ignorari possunt. At præemi-„nentiam Patris docere, Arianum est, Servetianum est. „Ego verò ex scriptura cum omnibus veri amantibus, „didici

„didici, *Omnia probare: quod bonum est, retinere.* Quic-
„quid sive hic sive ille Scripturæ contrarium dixerit,
„hoc detestor: quicquid autem ei conveniens attulerit,
„hoc recipio. Qua in re vocem & exemplum totius
„antiquitatis sequor. Facessant à gente Christiana, tum
„verò etiam nostra Polona, ut exosa nomina, ita &
„tyrannica facinora. Dei populus sumus, Christi pecu-
„lium sumus sanguine ejus redemti, ejus non hominum
„mancipia sumus: Poloni sumus: ergo gens undique
„libera: Sed ita ad plenam libertatem vocati, ut hanc
„obedientia legibus divinis & humanis præstanda metia-
„mur. Præeminentiam Patris luce meridiana clariorem
„in Scriptura S. videmus, dum is Deus Abrahami,
„Deus Isaaci & Deus Jacobi, Deus Patrum, Deus
„& Pater, (id est, ita Deus ut & Pater) Domini
„nostri Jesu Christi, quem unxit Spiritu S. à mortuis ex-
„citavit & ad dextram suam collocavit, manifestissimè &
„totidem verbis & apicibus prædicatur. Et si hic consista-
„mus, nec ulterius progredi velimus, quis nos duriter
„vel iniquè agere diceret, nisi ipsemet duriter & inique
„ageret? Dabimus tamen nonnihil etiam alienæ curiosi-
„tati, quæ simplicitate Apostolica non contenta, diversos
„cibos appetit ut facere solent, qui domesticis fastiditis
„peregrina quærunt. Dico itaque & re ipsa attestante
„affirmo omnibus Patribus Antenicænis, imò & ipsis
„Nicenis, tandem & Constantinopolitanis, adeoque to-
„ti orbi Christiano per quatuor secula Unum fuisse Deum
„Patrem Omnipotentem, creatorem visibilium & invisibi-
„lium: filium autem ejus Jesum Christum, Deum de Deo,
„lumen de lumine, quem Patri consubstantialem Niceni
„contra Arium pronunciarunt. Et ut me non præterit,
„post concilii Niceni tempora Unum Deum Patrem,
„Filium & Sp. S. doceri cœpisse, dissimulari tamen hic
„loci nec decet nec expedit, primo vocabulum Homousios
„(consubstantialis coëssentialis) tùm verò & dogma ipsum
„non paucis Nicenorum displicuisse, eosdem omnes Fili-
„um ante omnia secula genitum dicere & de Sp. S. Dei-
„tate aliquid pronunciare ausos non fuisse: Hilarium *li-*
„bris 12. de Trinit. nusquam Sp. S. Deum, vel ado-
ran-

„randum vel invocandum dixisse: *primum* Athanasium &
„*solum* aut cum ADMODUM PAUCIS teste Nazian-
„zeno, Spiritus sancti deitatem circa ann, 365. docere
„cœpisse: cæteros omnes, qui doctrinam Christianam
„profitebantur, trifariam divisos fuisse, multos circa fi-
„lium, PLURES ETIAM CIRCA SPIRITUM S.
„ÆGRAM, judice eod. Nazianzeno quarti seculi decli-
„nantis scriptore, FIDEM habuisse, PAUCOS autem
„UTRINQUE SANOS & INCOLUMES fuisse. Verum
„tamen posterioribus quoque temporibus Doctores Eccle-
„siæ præeminentiam Patris asseruisse, jurè meritoque di-
„cendum est, mihi præsertim, qui apud vos hoc nomine
„toties accusor. Parum fortè videri posset ab Hilario
„Patrem Deum unum, Deum ingenitum, auctorem ut
„omnium rerum, ita & Deitatis & ipsius Filii dici & doce-
„ri. Atqui posteriores Ecclesiæ Græcæ Doctores initio
„à quinto seculo facto, Patrem Filii causam & principium,
„& Filio, quatenus is Deus est, majorem docuerunt.
„Chrysostomum, Cyrillum, Damascenum, Theo-
„philactum paucos ex multis nominare sufficiat. Nec
„mirum. Idem ipse Athanasius, idem Nazianzenus,
„idem alii ante eos docuerunt: & Filium Deificatum con-
„fessi sunt. Hæc ut antiquitatis periti norunt, ita mihi
„cuique verbis veterum probare in expedito est. Sed ut
„dicenda contraham, mea hæc est sententia & sic in ani-
„mum induxi meum, oportere nos redire ad principia
„prima religionis Christianæ, & per gradus ad primæ-
„vam veritatem æque ut per gradus ab ea discessum
„est, reverti. In præsentia ut paratus sum quod ad-
„versum me allatum fuerit, audire, meamque innocen-
„tiam cum modestia & patientia, ut sit integra & plena,
„jungere, & vestro judicio me submittere: ita vos Canonis
„in Synodo Pinczoviana de relinquendis terminis schola-
„sticis, Trinitas, essentia, persona, communicatio idiomatum
„& aliis id genus pluribus & docenda ex verbo Dei veritate
„ac pietate, fore hic loci memores nullus dubito. Deum ve-
„ro Opt. Maximum per Maximum Pontificem Jesum Chri-
„stum à dextris ejus regnantem, ut vobis spiritum consilii
„& prudentiæ, virtutis ac caritatis largiatur, vosque donis
„suis ad res maximi momenti rite perpendendas impleat,
I 5 „supplex

,, supplex precor. Talia ut solent diversis tàm auribus quàm ,, mentibus excipi, ita & tunc temporis excepta fuêre. Hi ,, irritati, illi deliniti, isti exhilarati, omnes commoti, ,, prout quisque animatus vel affectus fuit, judicavere. ,, Sarnicius ad hæc cum suis excipere nonnihil non neglexit, in hunc ferè modum: Cuncta ista, licet speciosè ,, dicta, cum grano salis, ut dicitur, accipienda, & ut ,, omnia anxiè observanda & consideranda, ita pleraque ,, reprobanda sunt. Deum Unum se in Patre, Filio, & ,, Sp. S. patefecisse qui negat, is historiam creationis, confusionem linguarum, visiones & missiones Prophetarum, Trisagium Angelorum, baptismum à Christo tàm ,, susceptum quàm præceptum, tres testes in cælo aliaque ,, sacris litteris prodita ignoret, oportet. Idem SS. Patribus non solum sigillatim docentibus, sed integris eorum Conciliis adeoque toti Sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ ,, à principio adhuc vigenti & florenti contradicat necesse ,, est. Allata nunc in medium, jam diu est, quòd ,, Sancta, Orthodoxa, Catholica Ecclesia in Ebione, ,, Cerintho, Samosateno, Ario, Photino, aliisque id ,, genus hæreticis ritè damnavit. Quorsum igitur attinet nunc temporis, cum Deus ter Opt. Max. nostrum ,, omnium misertus reformari ecclesiam per viros Magnanimos Spiritu S. plenos & ad id muneris vocatos, ,, quosdam etiamnum in theatro orbis Christiani adversus hæreses & corruptelas Ecclesiæ omnes acriter depugnantes voluerit, à mortuis resuscitare & ab orco ,, revocare? Quæ audacia & temeritas, ne quid aliud dicam, dum aliquis obscuri nominis vir tot & tantis ,, Heroibus Christianis, viris divinis se opponit? Piget ,, profecto & tædet de his quæ jam olim Ecclesia rejecit & ,, abominata est, sermonem idque toties facere: quasi ,, de veritate Catholica ante tot secula, explicata & confirmatâ dubitatio quædam oriri possit. Quid multis ,, opus est? Tota ecclesia canit, Gloria Patri & Filio ,, & Spiritui S. sicut erat à principio. Quia tamen vobis, ,, ut & nunc in hoc loco compaream placuit, ecce adsum, paratus hic & ubique pugnare contra omnia hæretica & impia dogmata. Scimus prædictum esse in ,, scriptura

,, scriptura sacra N. F. venturos fuisse hæreticos, gregem ,, Domini luporum instar laceraturos. Sed id in Ebione, ,, Cerintho, Simone Mago, Monarchianis Alogis & ,, aliis ejusdem ollæ hominibus, verius monstris, reipsa ,, impletum est. His qui de unica Deitatis persona, de ,, Christo nudo homine, qui ex Maria initium habuerit ,, & creatura fuerit, gratificari vult, unâ cum illis pereat vel SS. & venerandum Trinitatis dogma retineat, & ,, Deum Patrem, Deum Filium, Deum Sp. S. ut tres ,, in unitate essentiæ hypostases nobiscum & cum Ecclesia Catholica confiteatur. Hunc Deum Trinunum & ,, ego nunc invoco, ut mihi & vobis omnibus in hoc ,, sacro conventu adsit, cui per Jesum Christum Dominum nostrum sit gloria in secula seculorum. Amen.

Talia quoque ut solent diversimodè à diversis excipi, ita & tunc excepta fuêre. Non deerant tàm qui ab illis, quàm qui ab his partibus starent.

,, Gregorius tamen ad hæc Sarniciana in hunc fere modum respondit: Quæcunque contra me, licet non nominatum, pro tuendo Trinitatis dogmate allata audivi, nequaquam in comparationem cum his quæ ego ,, tàm ex scriptura S. quàm ex prima antiquitate attuli, ,, venire possunt. Illa enim vel pluralitatem personarum ,, in divinis, linguæ Hebraicæ ignaris indicare videntur, ,, pleraque ipsi Calvino & aliis rejecta, vel ex mentione ,, Patris, Filii & Sp. S. quæ Sanctissima nomina nos etiam ,, confitemur, adeoque & in baptismo usurpamus, tres ,, personas in uno Deo statuunt. Utrumque profectò invitâ æquitate & veritate Deum unum non Trinum, Unum ,, Deum Patrem, non Patrem, Filium & Sp. S. in scriptura ,, clarissimè & expressissime ac demonstrative doceri, certissimum est. Hoc fundamento retento, in reliquis non multum erit difficultatis. Iam quod ad antiquitatem attinet, ,, mihi cum Ebione, Cerintho & aliis hæreticis nihil commune est. In reliquis nil nisi quæ cum regula Scripturæ ,, S. conveniunt probo: quæ verò ab ea differunt, reprobo. Inter hæc est ille hymnus gloriæ: Scripturæ, quæ ,, Deum & Christum sive Deum per Christum perpetuo ,, glo-

„ glorificandum, adorandum & invocandum docet, sed „ & primæ antiquitati (constat enim ex historia Eccle- „ siastica Theodoreti & Nicetæ, quarto demum seculo à „ Flaviano Antiocheno hunc hymnum cani cœpisse) igno- „ tus. Itaque ego non dubito cum Scriptura clarissima „ confiteri, me credere per Christum in Deum, me „ sedenti in throno & Agno sive soli sapienti Deo per Jesum „ Christum, Deo dico uni per unum Mediatorem Homi- „ nem Jesum Christum honorem & gloriam tribuere, & „ cunctis fidelibus gratiam & pacem à Deo Patre nostro „ & Domino nostro Jesu Christo precari. Id & vobis „ nunc præsens præsentibus precor, meque illi Aposto- „ licæ institutioni, quæ sola fuit ab initio, illi simplici- „ tati piscatoriæ, illi primævæ integritati, illi Catholicæ „ veritati adhærere credo, & vobis mox, ubi ad collo- „ quium ventum fuerit, me demonstraturum certò spero. Hinc à Patronis, ut ad colloquium inter Gregorium & Sarnicium veniatur, imperatum. In hoc, ut multa paucis complectar, Gregorius fidei suæ rationem reddens, probabat dictis scripturæ N. T. in eo fidem Christianam à Judaica differre, quod Judæi quidem unum Deum Israëlis rerum creatorem, Christiani vero etiam filium ejus Jesum Christum promissum illum Messiam, credant: ipso Christo id dicente: *Creditis in Deum, & in me credite.* Joan. XIV. I. & Apostolo Petro idem confirmante: *Per Christum creditis in Deum, qui excitavit eum à mortuis*; ideò canticum novum appellari, quo sedenti in throno & Agno honor & gloria tribuitur: & quæ erant pluria ejusdem generis. Ad hæc Sarnicius excipiebat: in his locis per Deum intelligi Trinitatem, per Christum verò humanitatem, quæ in unionem ut loquuntur, hypostaticam fuerit assumta. Gregorius denique reponebat: Hac ratione in divinis forè quaternitatem, tres scil. personas a se invicem distinctas, & Christum hominem: adhæc per Deum absolutè & simpliciter vel etiam cum articulo emphatico illum Deum, Patrem intelligi, huncque adeo sæpius nominari: hunc esse ipso Christo & Petro Apostolo teste Deum illum Israëlis Creatorem & Dominum cœli & terræ Joan. VIII. Matt. XI. Act. III. IV. V. & alibi passim, ab hoc distinctum Jesum Nazarenum ut „ Filium

Filium & Christum, sive Messiam, id est, unctum ejus proponi: adeoque in omnibus istis locis non Trinitatem, sed Deum Patrem manifesto intelligi, cum eis de Deo, cujus filius fuerit Jesus, sermo sit. His & similibus rationibus Gregorius Sarnicium fortiter convincebat: ita ut puri affectuum, & æqui Judices, hunc causa cecidisse viderint. Quod enim à partibus Sarnicii non steterint & concordiam in ecclesia novella consecrare studuerint ex eo manifesto elucet, quod tunc ab omnibus uno animo fuerit sancitum, tenendum esse Synodi Pinczovianæ canonem, ne pro concionibus Trinitas & alia vocabula Scholastica rixas parientia usurpentur, sed simpliciter dogma de Deo, ut de Deo, de Filio Dei ut de Filio Dei proponatur, Sarnicio contrà in cassum obnitente & proditam tunc fuisse veritatem: huic contrarios Canones servandos non esse imò hanc non minus contra falsos fratres quàm falsos doctores, furentes adversarios tuendam dictitante. Hæc autem ea fini ab eo dicebantur ut foramen, per quòd ex Ecclesia exiret, invenire & rem ad apertum dissidium deducere posset, verum tamen omnes ei se opponere, hi quidem proficiendum merito in divinæ veritatis notitia, progrediendum in reformationis negotio: redeundum ad primævam simplicitatem: acquiescendum in iis quæ scripta sunt: illi verò; posse tuto quæ in scripturis Sacris apertè non leguntur, taceri: concordiæ maximam rationem habendam: multa ideo toleranda: unà veritati & paci studendum: omnes denique, tenendum Synodi Pinczovianæ ut concordia retineatur, canonem, dicere: ita Sarnicius omnium consensui & auctoritati cedere, pacis studium polliceri: Itaque non sine insigni fructu illum Conventum habitum dixeris. Sed mox res, Sarnicio primatum ambiente & Magnates paci cum parte infirmiore servandæ minus deditos in partes suas pertrahente, longè aliter cecidit. Ex quo enim Rogovia discessum est, Sarnicius Bonaro & Myscovio examinandum esse Gregorium, ut heterodoxa docentem, suadere: hi ei assentiri, Gregorium ad reddendam fidei rationem in urbe ad d. 5. Aug. invitare: Gregorius eis morem gerere: Ministros è vicinia illuc evocare. Fuit inter hos Wisniovius ecclesiæ Veliciensis

liciensis minister. Tunc Sarnicius Christum ab eis in precibus non invocari, objicere, Visniovius rem aliter se habere, apertè dicere. Ita dissidium magis magisque crescere: Hoc audito Seniores ecclesiæ Cracoviensis, Sarnicium, concordiæ & pacis ecclesiasticæ ac Canonis Pinczoviensis memor sit, turbas non moveat, Patronos & fratres inter se non committat, monere, denuò cum Gregorio se præsentibus fraternè Baliciæ domi Bonari conferat, orare. Ita factum est, ut ad d. 12. Augusti conventus Baliciæ fuerit habitus: cui aliquot Seniores & Ministri aderant. Ibi inter alia subjecta examini illa verba Pauli: *Unus Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Iesus Christus.* Tunc Sarnicius illa *unus Deus* de Trinitate Gregorias contra, de Deo simpliciter explicare: & quatuor hic demonstrare: 1. Unum Deum non Trinunum, usitate S. script. stylo dici. 2. Per unum Deum, aperte Patrem secundum usitatum pariter scripturæ stylum designari. 3. Inter hunc unum Deum Patrem & Homines Mediatorem, cum, dicente Scriptura, *Mediator unius non sit, Deus autem unus sit*, Gal. 3. & nemo sui ipsius Mediator esse possit, constitui. 4. Hunc Dei & hominum Mediatorem non Deum & hominem, sed hominem expresse dici. At Sarnicius Gregorio, scripturam ab eo torqueri, objicere: & tunc demùm in quo cardo controversiæ vertatur, & quanto conatu sibi pro Trinitate contra Gregorium de Deo simpliciter loquentem, sive pro Deo Trinuno adversus Unius Dei confessorem, decertandum sit animadvertere: exin Gregorium magis magisque traducere, ad Patronos & fratres, ut heterodoxum & hæreticum deferre, quin & infamare. Doluit hoc multum omnibus pacis & concordiæ amantibus. Ideò major Synodus Pinczoviam ad d. 18. Aug, convocata, accommodum ejusmodi dissidiis publica auctoritate tollendis remedium. Ad hanc Seniores Sarnicium invitare; hic præsentiam suam polliceri: postea tamen Gregorii invidia & metu eam negare, & ut hunc opprimeret, conari. Diceres in parva ecclesia magnum illud Joannis Costantinopolitani & Gregorii Romani dissidium illo papatum universalem affectante, hôc ei, utpote Anti-

Antichristiana superbia Ecclesiam & Majestatem Imperatoriam per privati nominis arrogantiam conculcaturo, se opponente, non levitèr excitatis à Sarnicio adversus Gregorium turbis, adumbratum. Qui ad synodum Pinczoviam convenerant, confessionem fidei suæ conscripserunt. Hanc Sarnicius carpere, ubique torquere, & ansam scindendæ Ecclesiæ arripere: Gilovium Myscovio Spytcoviciis verbum Dei prædicantem in suas pertrahere partes: hoc facto synodo illi Pinczovianæ aliam opponere. Temerarium institutum in ipsa Metropoli Regni effectum dedit, occasione exsequiarum Bonari d. 17. sept. ibidem celebratarum usus. Is enim vir illustris repentina morte sublatus, repentè humo mandatus est, uxore confestim ad secunda vota provolante. Ita horto Bonari in alienum dominium translato, Ecclesiam quoque aliorsum transferri oportuit. Quanquam ille dissidiis Sarnicii offensus triduò ante obitum jam scamna ex loco, in quo sacri conventus fieri solebant, efferri jusserat. Sed ecclesiæ locum Stanislaus Cikovius vir natalium splendore clarissimus & verè Magnanimus Heros dicendus in domo sua, quam in platea Hospitalis cathedrali ædi vicina habuit, concessit. Inter hæc Sarnicius pertractis in partes nonnullis Synodum in illis exsequiis, ad quas multi Magnates & nobiles sed & aliquot Ministri Sarnicii gregales, litteris ejus exciti, confluxerant, habuit. Ita tunc prima Antisynodus Sarniciana in novella ecclesia Polonica visa. In hac ille confessionem suam edidit, & ut à quibusdam ut semper urget præsentia Turni, subscriberetur, effecit. Erat quidem in urbe Gregorius. Sed à Sarnicio & factione ejus exclusus, imò hæreticus judicatus, & ministerio privatus, ac Sarnicius ei suffectus. Qui confessionem suam domatim spargens, exempla ejus in ipsa Gregorii ecclesia distrahere sustinuit. Ita quosdam in partes traxit. Socius fuit ei dissidii celebris ille Laurentius Discordia, ut discordiæ omen in ipso quoque nomine esset, vir vitæ haut integer, ideo in synodo ** *** Ministerio indignus judicatus. Stetere à partibus his Sylvius & Gilovius, opponentes se omnibus viribus Gregorio, qui inter hæc injuriarum patiens, officii

officii diligens, vitæ integer, & criminum purus, ecclesiam sibi legitimè commissam regebat. Quo viso Seniores & alii Ministri, Schisma à Sarnicio introduci, ecclesiam scindi, graviter dolere: Ideò denuò novam Synodum ad d. 4. Nov. Pinczoviam indicere; componendi dissidii gratia ad hanc ut Sarnicius iret, Seniores ecclesiæ Cracoviensis eum instanter rogare: hic contumacitèr negare, & dicere. *Cui bono illuc accederem? Nempè ut tanquam discipulus in schola coram illis Magistris stem.* Ita præfracta Sarnicii ambitio schisma introduxit. Gregorius autem ecclesiam suam magis magisque firmare non destitit. Igitur, si parva magnis componere licet, diceres Diotrephem novum in Ecclesia caput & cornua extulisse,

---

CAPUT VIII.

De progressibus veritatis in Litvania ab Ao. 1558. *in provincia Cracoviensi ab Ao.* 1559. *præcipuè in articulis de Filio Dei, de spiritu S: & de baptismo illusstratæ: tum de colloquio Petricoviensi Anni* 1562. *aliisque rebus memorabilibus.*

Illa Petri Gonesii de Patris prærogativa sententia tàm ore fortiter defensa, quàm singulari pietatis exemplo commendata haud exiguos, ut videmus, fecerat progressus. Is postquam Ao. 1558. ad synodum Bresciam Litvanorum ad d. 15. Dec. coactam venit, ibidem loci suam illam sententiam apertè professus, libellum etiam contra pædobaptismum produxit, quo ritum hunc nec scripturæ S. nec primæ antiquitati, nec sanæ rationi convenire docuit. Lectus is publicè, omnes ferè contradicentes offendit. Solus Hieronymus Piescarscius Gonesii sententiam propugnabat cumque ei silentium sub poena excommunicationis imperatum esset, in hunc modum locutus esse scribitur. „ Quàm profundo somno obruti fuerint mortales, per „ varias Satanæ artes inductis orbi Christiano spissis erro„rum tenebris, nemo non videt, qui oculos ad videndum „habet. Superstitibus quoque sanctis Apostolis Domini „conatus est arcem salutis nostræ; Veram scil. Iesu Chri„sti Filii Dei & filii hominis nativitatem ex Maria, invadere „ juratus humani generis hostis, qui Satan, quòd Deo & „ hominibus adversetur, vocari meruit. Sed cum frustra esset, „ post obitum horum arcem illam agressus, eandem subrue„re tentavit. Nam nisi Filius Dei verè natus & verè passus „ sit, quid porro nobis reliquum est spei & salutis, quos „ scil. ille Satanæ mancipatos pretioso sanguinis sui im„pendio redemit? Quantis dehinc irreconciliabilis hostis „ non tantum veritatem, sed & concordiam, adeoque to„tam Christiani nominis pietatem pertentans dissidiis ob „ professionem Christi, cujus institutio nil magis quàm con„cordiam spirabat, tàm in choro quàm in foro Christi no„vellum populum, ejus nomen professos exemplo (Con„stantini M. & Licinii bella, Homousianorum & Arrianorum „ mutuas persecutiones, indubitata ut pietatis ita & veritatis „ corruptæ documenta, nostis) commiserit, prout eti„amnum committit, neminem rerum vel mediocritèr „ gnarum latet. Hinc ad alia quoque fidei capita, ar„matis, & cruentis, sanguinem nimium sitientibus „ studiis discutienda, artibus ejusdem vaferrimi hostis „ processum est. Ita sanè ex veteri scito nimium „ altercando amissa est veritas. Sanctus Hilarius Episco„pus Pictaviensis quarti seculi scriptor, postquam non „ tantùm Arianorum sed & suæ partis pugnas de verbis „ (Usian, Homousion, Homojusion & Homojon, in„telligens:) de novitatibus quæstiones, de ambiguis, de „ auctoritatibus querelas, verbo, studia partium deplo„rans, velut si res perdita esset, in hæc verba erumpere „ non dubitavit: *Dum alter alteri anathema esse cæpit, propè „ jam nemò est Christi:* imo subdit: *Tandem eò processum est, ut „ neque penes nos, neque penes quemquam ante nos sanctum exin„de aliquid atque inviolabile perseveret, &* quæ sunt plura „ talia. Quomodo dehinc Romanorum Pontificum poten„tia & arrogantia creverit, & quot corruptelas Ecclesiæ in„tulerit, omnes nostis. Nimis longum & tædiosum foret „ singula persequi sola missa quot non partim ridendas gesti„culationes partim pudendas & idololatricas superstitiones

„ attulit postquam 13. seculo ineunte unà cum confessione „ auriculari in censum capitum fidei Transsubstantiatio „ (barbarum, Scripturæ, Naturæ, Philosophiæ, Antiquita- „ ti ignotum nomen) recepta esset. Hæc tamen cuncta, „ licet primævæ simplicitati è regione contraria & novitia „ dogmata, per summam & Antichristianam tyrannidem „ Papa Romanus tuetur & humanis mentibus imperat. Nec „ mirum ibi Antichristianam crudelitatem elucere, ubi „ ipso S: Gregorio judice, Antichristiana eluxit superbia, „ cum Joannes Episcopus Constantinopolitanus Oecumeni- „ cus Papa appellari cœpit. Quam Antichristianam ap- „ pellationem paulò post Bonifacius III. Episcopus Romanus „ à Phoca parricida sævo & cunctis flagitiis infami obten- „ tam omni arrogantia & sævitiâ armandam suis ita secum „ Romuli & Constantini (ut Bernardus Clarævallensis & alii „ domestici eorum testes fatentur) non Petri Apostoli, suc- „ cessoribus, tradidit. Quis itaque quàm longissime hinc ab- „ esse nolit, ubi tristis errorum & vitiorum nox cuncta oc- „ cupavit? Recedendum est Fratres, procul ab his quibus in „ tenebris plusquam Cimmeriis, Tartareis nempè, altum „ stertere placet. Excitavit nos è profundo somno sonora „ verbi divini tuba. Evigilandum nobis est prorsus, & „ depellendæ procul luce veritatis tàm crassæ tenebræ. Tan- „ tùm abest, ut his ex hoc & illo conclavi fugatis, alibi „ nos iis immergi velimus. Hoc tamen fit, fratres, dum „ partem errorum Pontificiorum abjicimus, partem reti- „ nemus. Dicendum quod res est, ubi de gravissimo agi- „ tur negotio, in quo multo minus, quàm in bello, bis „ errare licet. Audivistis quas papatus reliquias nos in arti- „ culo de Trinitate & Pædobaptismo retinere, Petrus Go- „ nesius vobis demonstrârit. Equidem res omninò ita se „ habet, Deum Trinunum non tantùm Apostolica, sed „ & prisca illa trium amplius seculorum ætas ignoravit uni- „ versis Catholicam fidem in Unum Deum Patrem Domini „ nostri Jesu Christi profitentibus. Cæterum & plura ejusdem „ generis illa ignoravit. Nec dogmata de Filio Patri ho- „ mousio, de duabus in Christo naturis, de unione per- „ sonali, de communicatione idiomatum, de operibus Tri- „ nitatis ad intra & ad extra, aliaque innumera. Jam quid „ de

„ de Pædobaptismo dicam? Aqua sanè defensoribus ejus hæ- „ ret, ubi ad Scripturæ Sacræ mandatum vel exemplum ejus „ rei, & vel testimonium antiquitatis venitur. Secundæ certè „ ætatis Doctores Justinus, Irenæus & alii de infantium „ baptismo negrii quidem. Tertulliani ætate in Africa, „ quæ semper aliquid novi proferre dicta fuit, initia „ hujus erroris puerilis, multas contradictiones, ipsius „ quoque Tertulliani, experta sunt. Nec ante Conci- „ lium Milevitanum in Africa pariter Ao. 418. habi- „ tum ulla baptizandi infantes necessitas imposita legi- „ tur. Et constat quidem id eo fine decretum, ut infan- „ tibus Sacra Eucharistia porrigeretur, quæ dolenda su- „ perstitio licet abrogatâ Concilii Tridentini decreto in „ Occidente infantium eucharistiâ altera manu Occidentem, „ altera Orientem adhuc tenet. At enim constat olim „ solos catechumenos in ecclesia, prævià Symboli Apo- „ stolici confessione baptizatos, & vera quidem ratione „ baptismi, quæ immersione peragitur. Verum & quar- „ to, imò & quintò seculo, ante stabilitam Pontificis „ Romani tyrannidem liberos fidelibus parentibus, e- „ tiam Episcopis natos, vel ab eis educatos, in adulta „ ætate, quosdam verò prius ad Episcopatum (testis „ vel solus S. Ambrosius) quàm ad baptismum venisse, „ antiquitatis periti norunt, nequid de baptismo à mul- „ tis in supremam vitæ horam dilato dicam. Cur igitur, „ Fratres, ob has Papatus reliquias meritò rejiciendas „ contra me consurgitis? cur mihi silentium ubi vel ma- „ ximè loquendum est, tàm severis mandatis fulmine „ anathematis armatis, imponitis? Hæccine est Christi popu- „ lo digna libertas, charitas, tolerantia? Egone taceam, cui „ loquendi provinciam puræ veritatis conscientia impo- „ suit? Imò verò vos seriò hortor & obsecro, ista quæ „ ex Papatu in Ecclesiam irrepserunt, ejicite cuncta, & „ domum Dei ab ejusmodi quisquiliis & sordibus expur- „ gate. Ego verò ut Deus & Pater Domini Nostri Jesu „ Christi vos Spiritu suo Sancto impleat, instruat, regat, „ roboret, sincere voveo.

Valdè hæc omnium ibidem præsentium animos percu- lerunt, & licet multorum invidiam, non paucorum tamen &

& industriam provocarunt. Et certè multos dehinc erroribus de Trinitate & Pædobaptismo in illis regionibus aperte contra dixisse, postea videbimus. Verum in hac Synodo ad d. 25. Apr. anni 1559. convocata, præsente Lasco & Sarnicio conclusum est, instituendum esse Ministrorum examen, quid sentiant de Deo, quid de unitate Trinitatis & personarum in Trinitate. Nihilominus prisco veritatis ingenio hæc inter impedimenta crescebat, & quò magis premebatur, eo felicius palmæ instar surgebat. Nam eodem anno d. 22. Nov. in Synodo Pinczoviana Numero 12. diu multumque cum Stancaro disputatum, nullo ferè fructu, quòd qui errorum de Trinitate vinculis nondum se extricaverant, Stancarum convincere nullo modo potuerint. Allatæ vero illuc erant litteræ *Remiani Chelmscii* viri genere Clarissimi (quamvis ille tunc nomen suum non subscripserit) quibus in dubium vocabat invocationem Spiritus Sancti: quando quidem orandi ratio non aliud ferat, quàm à Deo Patre per Filium Mediatorem ut omnia, ita & Spiritus Sancti dona petenda esse. Non immeritò colligo Chelmscii conscientiæ hunc Scrupulum à Petro Statorio Thionvillano fuisse injectum. Fuit is natione Gallus, qui Geneva Lismaninum in Poloniam secutus, libros Serveti secum attulerat, & regimini celebris Scholæ Pinczovianæ post Paulum Orsacium admotus, cum Chelmscio familiariter versabatur. Epistola Chelmscii ut par erat, non paucorum animos commoverat. Responsum Chelmscio ex Synodo Pinczoviana datum, eidem non placuisse Statorius in Synodo Pinczoviana Num. 19. Anno. 1561. 30. Jan. habita significavit. Ergo injunctum ei, ut responderet, prout instinctu numinis, *Ex M. S. Joannis Stoinii, qui hujus Statorii nepos fuit.* Respondit, sed ita ut non appareat animi sensus de ea materia: tantum dicit, Blandratam à Calvino notatum, quasi virus Servetianæ impietatis aleret. Interea sententiam ejusd. quam in Synodo proposuit, ab omnibus ait laudatam, sed tamen ab illo postulatum, num pluralitatem Deorum faciat, cum Patrem ait ingenitum, unum, Filium genitum
„ credit. Nos verò omnes (verba sunt ejusdem Statorii)
„ nescio quo pacto in hæreseos suspicionem venimus,
„ qui cum Blandrata vivimus. Sed si hæretici sunt, qui
„ Patrem, Filium & Sp. S. ex SS. LL. præscripto cre-
„ dunt, me ex illorum numero esse libens fateor. Non-
„ dum venit illa de Sp. S. invidia, quam malus ille dæ-
„ mon mihi conciliaverat, sed ego in bona mea conscientia acquiesco. Budzinius c. 30. adnotat Statorium non tantùm cum Chelmscio de non invocando Sp. S. locutum pro jure familiaritatis fuisse, sed & in Schola Pinczoviana docuisse, idolatricum quid esse ,invocare Sp. S. cum in universa scriptura nullum ejus Deitatis vel adorationis vel invocationis imò nec fidei in eum, appareat vestigium. Hæc res licet in admirationem quosdam rapuerit, non tamen tantos motus, ut institutio dogmati de Trinitate opposita excivit. Itaque inter nonnullos Ministros & Statorium colloquium de hoc argumento institutum. Sed ille, qua erat egregia tàm eruditione, quàm eloquentià ex Scripturis potenter omnes urgebat, demonstrando, Spiritum S. non esse tertiam Deitatis personam, nec Deum, sed Dei virtutem & donum, quod Deus in cordibus fidelium excitet, & cuique eorum mensuram ejus det prout velit: sed Filio eum non ad mensuram dederit & supra omnes participes illum eo unxerit, & de hac plenitudine Filii, quam Deus in eo habitare voluerit, quisque fidelium portionem aliquam acceperit; hoc ipsum verò argumento esse, Spiritum S. non esse Deum cœli & terræ creatorem, cum is mensurari, dari, in partes dividi non possit. Et certè ut nil est, quod evidentius dogma de Trinitate refutare possit, quàm institutio de Sp. S. sive Scripturam Sacram, sive antiquitatem consulas, ita & tunc multi mox veritati cessère, ipsoque Statorio fortius hanc veritatem propugnavêre. Adducebant nimirum fidem & cognitionem salutarem ipso Christo docente, in a Deum & in Christum, nulla Spiritus S. facta mentione dirigi: Ita & filium adscendisse ad Deum suum & Patrem suum, non autem ad Sp. S. Hunc à Deo petendum, & probandum esse. Quod autem ad tertiam Symboli, quod Apostolicum vocatur,

a Joan. XIV. 1. XVII. 3. Confer. XX. 31. XX. 17.

tur, partem, in qua nos & in Spiritum S. credere profitemur, attinet, hoc nequaquam probare Spiritum S. esse invocandum. Aliter nempe credi in Deum illum Altissimum, aliter in Filium ejus, aliter in Sp. S. ejus, ut & in Sanctam Ecclesiam Catholicam & Sanctorum communionem. Et hæc quidem videri inserta fuisse Symbolo ex illis Pauli verbis: *audio tuam charitatem & fidem quam habes in Dominum Iesum & in omnes SS.* Philem. 4. rem tamen ipsam aperte docere, aliter in Dominum, aliter in Sanctos fidem dirigi. Ita Exodi. XIV. legi, *Credidisse populum in Deum & in Mosen servum ejus*: rem autem ipsam pariter docere, aliter in Deum aliter in Mosen Israelitas credidisse, sicut Deus ab omnibus Angelis, hominibus & rebus diversus sit. Credere enim in Deum, esse, *credere quod sit, & sit remunerator quærentium se*, credere ejus promissis, revelationibus & mandatis per Angelos, Prophetas, tandem per Christum Filium suum factis, & sub spe promissionum ejus mandatis ejus parere: Credere in Jesum Christum esse, credere Jesum Nazarenum ex Sp. S. conceptum, ex virgine natum esse illum Patribus promissum, à Prophetis prædictum Messiam, Dei legatum, veritatis Evangelicæ perfectissimum Magistrum, mundi Servatorem, Regem cælestem, ei mandata Dei tradenti obediendum esse: hunc olim ad judicium vivorum & mortuorum à Deo missum iri. Credere autem in Sp. S. esse, credere Sp. S. esse (quod illi discipuli Ephesi ignorasse in Scriptura S. leguntur, & tamen discipuli vocantur, nempe quod non tantum in Deum Unum cum Judæis, sed & Jesum Christum cum Joanne Baptista aliisque fidelibus crediderint) & esse Spiritum, afflatum, virtutem, donum Dei, quod effundatur, & communicetur fidelibus ac in partes dividatur & à Deo per Christum petatur. Credere denique in S. Ecclesiam Catholicam esse credere fidelium sive Christianorum cœtum debere esse Sanctum vita, Catholicum fide, illa scil. quæ ab initio semper & ubique fuerit recepta, & ab omnibus intellecta, qualis hæc sit hîc loci tradita. Cæterum cuique patere, diversos esse istius fidei gradus, in Deum

Deum scil. ut Deum & auctorem omnium, in Christum, ut Christum, unctum, Filium Dei, in Sp. S. ut Spiritum Dei, afflatum, virtutem, donum Dei, in Sanctos ut Sanctos Dei, in Ecclesiam denique ut Ecclesiam Dei credi: Atque ita Sanctos in Ecclesia Spiritus S. Impulsu credere & confiteri, *Unum esse Deum & Patrem, ex quo omnia & nos in illum; & unum Dominum Jesum Christum per quem omnia & nos per illum, licet multi sint qui vocentur Dii sive in Cælo sive in terra, quemadmodum sunt Dii multi & Domini multi.* De Spiritu S. autem speciatim ex scriptura instinctu ejus composita: missum eum à Patre ut alium Paracletum & Magistrum vice Christi, accepisse eum Discipulos Christo eos afflante: dari eum & à Christo, qui eum à Patre acceperit: ideo & Spiritum Jesu vocari: hunc solum scire ea quæ sunt Dei, cum in Deo sit (non ut persona ab eo distincta, sed ut Spiritus ejus, virtus ejus) nos ad omnia bona excitare, & idoneos reddere, pro nobis intercedere, nos scil. ad orationes commovendo: peccatum & blasphemiam in eum gravissimam, quod scil. opera ejus Spiritui immundo malitiosè tribuantur, neque in hoc neque in futuro seculo remitti: Judæos præfractos in hoc peccatum incidisse: Ananiam mendacio Apostolos Sp. S. præditos fallere volentem, eo caruisse: omnem talem hominem, qui hoc dono cælesti instructus non sit, in actionibus suis bruto magis fœdum esse: Apostolos ante Christi glorificationem cum injuriam negati hospitii igne de cælo evocato ulcisci vellent, cum Christum desererent vel etiam abnegarent, cum tàm ardentem ut postea, cum coram Regibus, terræ Judicibus & magistratibus nomen D. Jesu intrepidè annunciarent, & magna Dei opera contra totius mundi invidiam prædicarent, non habuisse: eodem carere nec eum nosse illos qui cantant, *Veni Creator Spiritus*: neminem Apostolorum vel aliorum Virorum Spiritu S. plenorum, eum ut ad se veniret, invocasse: de eo Hugonem Cardinalem in explicatione Missæ talem sententiam tulisse: Non dirigi orationem ad Spiritum S. cum is non sit Deus, sed Donum Dei: itaque dirigendam orationem non esse ad donum, sed ad largitorem doni. Hæc & id genus plura tunc temporis in medium allata esse, memoriæ traditum est.

est. Sed Statorius hæc tam pulcrè & solide dicta posthæc negavit, ut infra videbimus. Interim hæc pia certâmina multorum solertiam in inquisitione veri excitasse, eventus docuit: quod paritèr infra patebit: ubi quam acritèr Cujavienses, Brestenses & alii in Litvania degentes viri pii Pædobaptismum oppugnarint videbimus. Dum ita acres controversiæ de Filio Dei, ut dictum est, exortæ essent & res ad dissidium per arrogantiam Sarnicii magis magisque ferretur, Gregorius cum multis concordiæ studiosis morbo tàm periculoso medicinam parare, ægris propinare, Sarnicius contrà cum suis cuncta curandi morbi remedia aspernari, idque ut prostrato & oppresso Gregorio solus emergeret, curare: commodam occasionem Sacræ tyrannidis invadendæ in Comitiis Petricoviensibus Anno 1562. coactis arripere: Ministros, qui illuc cum Patronis suis frequentes convenerant in partes trahere; tùm demùm omnia pro libidine agere; Synodos convocare. superintendentem Ecclesiarum Majoris Poloniæ creare: *Discordiam* virum illum vita non satis probum contra sanctionem synodalem, cui & ipsemet assensum præbuerat, ministerio admovere. Quæsitus tamen dissidio color & indictum ibidem colloquium. Cujus is eventus fuit, ut præter Joan. Niemojevium Judicem Terrestrem Inovladislaviensem, Hieronymum Philippovium, Joannem Cazanovium aliosque Viros nobiles, Stanislaus Lutomirscius Vir itidem nobili genere ortus, sed in Sacrum ordinem tàm in Papatu, quam in Christi Ecclesia cooptatus, Senior Pinczoviensis, Martinus Crovisius, Stanislaus Paclesius, Georgius Schomanus & alii causam meliorem cum Gregorio tutandam in se susceperint: Et de Paclesio quidem hoc memoratu dignum Orphinovius in Heroibus Christianis refert, eum primum fuisse, qui errores de Trinitate & Pædobaptismo retexerit, hancque ejus sententiam postmodum ab aliis illustratam & confirmatam fuisse. Quanquam & Matthiam Albinum Ministrum Jvanovicensem, licèt eum in sententia de Trinitate ad mortem usque permansisse fateatur, errorem tamen de Pædobaptismo demonstrasse, & neminem nisi credentem & pœnitentem baptizandum docuisse scribit. Sed de Baptismo pluribus infra agemus.

CA-

CAPUT IX.

Historia de Despota Principe Valachiæ, qui in Polonia degens & veritatem Christianam amplexus à Lasco Lasocio & Philipovio principatui avito restitutus, à subjectis interemtus est.

ANtequam ulterius progrediamur, brevitèr nobis hîc est ex fide, ut omnia, tradenda historia *Jacobi Heraclidis Basilici Despotæ*, & quidem multis de causis. Nam & ille notitiam divinæ veritatis in Polonia hauserat; & eam se Valachiæ illaturam promiserat, & à Lasocio ac Philipovio, quorum toties in historia nostra fit mentio, tùm verò cum primis ab Alberto Lasco Palatino Siradiæ principatui restitutus erat, & illi duo eo nomine à malevolis perfidiæ in Regem & patriam accusabantur. Budzinius ille, qui harum rerum, si quisquam alius, curiosus & conscius fuit, c. 18. tradit, venisse eum circa annum 1556. ante expeditionem à Rege Augusto in Livoniam susceptam. Ita hoc factum fuerit ante primam illam expeditionem quæ in *Guilhelmum Furstenbergium* Gladiferorum in Livonia Magistrum Anno 1557. fuit. Illa nimirum expeditio altera, quæ Anno 1559. contra *Joannem Basilidem* Magnum Ducem Moscoviæ fuit, huic tempori convenire non videtur. Despotes enim ille primum aliquo tempore in provincia Cracoviensi vixit: ibi notitiam veritatis, ut dictum est, sibi comparavit: hinc Vilnam cum litteris Electoris Brandenburgici, quibus eum Regi commendavit, profectus est: ibi familiaritatem & amicitiam cum Andrea Tricessio, Joanne à Lasco, & aliis Nobilibus, imò & Magnatibus inivit: ibidem operam Regi castra ejus secutus in Livonia præstitit: inde cum literis commendatitiis ad Turcarum Imperatorem in Poloniam rediit: aliquanto post tempore in Russiam, inde in Moldaviam concessit: ibi aliquandiu substitit: benevolentiam non tantum Principis Valachiæ Alexandri, sed & Procerum sibi compara-

 vit

vit: ab his, tyrannidem Alexandri perosis in interiora templi Græcanici vocatus, fœdus cum eis de imperii post excessum Alexandri, per cujus cædem ad imperium grassari noluit, frenis capessendis sanxit: ab Alexandro, qui tyrannidis conscientiâ laudatum & laudandum virum tanquam exprobrantem adspiciebat, fraudulentæ legationi ad Mircam Principem Moldaviæ adhibitus: ab hoc re cum Alexandro composita, veneno appetitus tandem per vomitum vi veneni exstinctâ valetudini restitutus, in Hungariam variam fortunam expertus, tandem à Proceribus Valachiæ ad Principatum vocatus: posthæc Camenecі in Podolia insidiis Alexandri per Mercatorem Armenium, qui imprudens ex altero cantharo vini veneno infecti gustans subita morte crimen perfidiæ luit, petitus: hinc invidiam Regis, qui ut solent Principes anxiam securitatis imperiorum suorum curam gerentes iniqua quandoque suspicione innocentes quoque onerare, edictum ei adversum promulgaverat, vitans: tùm insidias Alexandri in finibus Poloniæ & in Hungariam fugiens: de his omnibus Stanislaum Lassocium, illum Succamerarium Lencicіensem, certiorem fecit: per hunc Ioanni à Lasco: & rursus per hunc Alberto è Lasco fratris filio, in Hungaria degenti commendatus, ab hoc humaniter habitus: à Lassocio & Philipovio ad Albertum Lascum in Hungariam profectus consilio instructus, diploma Procerum Valachiæ ad Principatum se vocantium Ferdinando Imperatori confirmandum misit: & confirmatum ab eo per Doctorem Tordam cum annuo stipendio in Hungaria sibi assignato remissum accepit: hinc totum Lasci animum ad se principatui restituendum pertraxit: postea nuncium de gravi morbo Alexandri tyranni & novas à Proceribus litteras invitatorias accepit: ita copias colligere cæpit: cum his versus Valachiam movit. Lassocius interim cum Philipovio ex Hungaria in patriam, studia & operam suam ei in omnibus quæ contra Deum, Regem & bonam existimationem non fuerint, polliciti, reverterant, pacti cum eo ne per terras Regias offensæ vitandæ, hôc præsertim rerum statu, caussâ exercitum duceret. Sed cum

cum collecto justo comitatu in Podoliam venissent, & Despotam copias Duce Lasco per terras Regias trahere accepissent, graviter, ut par erat, dolere, Regis offensam, sinistras suspiciones & criminationes non tantum se sed & Ecclesiam, ut mos iniquus fert, petituras, vereri: confestim ad Nicolaum Sieniavium Palatinum Russiæ & exercituum Regni Ducem se conferre; consilium suum purgare: Despotam contra fidem datam fecisse, palam dicere & affirmare: ad Despotam confestim, fidei datæ memor redeat, mittere: hic redire se sine insigni damno non posse, aliisque justis rationibus coram dicendis factum excusare: has cum postridie Palatini permissu cum eis convenisset, edicere, Proceres Russiæ, quorum fide per terras Regias exercitum duceret, & in præsens votis suis adversos inveniret, perfidiæ accusare: Lassocium & Philipovium intimo dolore commotos videns, graviter & ipse dolere: regressum mente volvere: impossibilem judicare: ergo exercituum Regni Duci operam suam, si eorum auctoritate Alexandro Tyranno Valachiæ damnis reparatis concilietur, contra Tartaros, qui paulò ante maximam prædam ex regno egerant, vel contra Moscum tunc hostes, vel alioquin Regi in Livonia, in qua jam aliquot arces Rex habebat, præstandam offerre: inter hæc antequam mandata Regia adferuntur, annonam pro milite postulare: copias acie instructa monstrare: Sed Dux omnia negare: Despota contra indignari, irasci, & ni Lassocii & Philipovii, optimæ notæ amicorum, rationem haberet, pugnam moliri. Atque ita tunc res hæc transacta fuit, Huic fidem conciliant litteræ Despotæ manu ad Lassocium datæ Budzinii solertia conservatæ, quarum apographum meritò adpono: *Charissime Frater in Christo Domi-*
„ *ne unicè observande.* Intellexi nonnullos esse, qui
„ D. V. & D. Philipovium calumniari tentant, quasi vos
„ me ibi cum exercitu adduxissetis, ut velletis tandem
„ perdere patriam. Rogo vos propter Filium Dei, hoc
„ non curetis. Similiter enim vobis accidit, quemad-
„ modum mihi ab Italis & Gallo, servitoribus, cum per-
„ sequebar propter verum usum Sacramentorum: illi au-
„ tem spargebant me defecisse à fide Christiana, & secu-
„ tum

„ tum esse Turcam. Sic nunc D. V. contigit. Illi me „ vocarunt, & postea acceptis muneribus contra antiquam „ Polonorum fidem & virtutem voluerunt me tradere Tyranno Christianitati toti infenso. Ego enim habeo eorum litteras, qui me vocarunt, cum DD. Vestræ de „ hac re nihil sciverunt. Et si ego non habuissem vestri „ respectum & precum vestrarum, ego non retrocessissem: ego preces Vestras, propter pietatem, fidem, & „ singularem virtutem, & integritatem, (quæ Dei dona „ sunt) habui loco mandati, & cum magna mea jactura „ retrocessi. Malui enim pati damnum, & me exponere „ periculo, quam contra vestram voluntatem qui estis „ Viri Sancti ex gratia Dei per Christum, aliquid facere, quod Serenissimum Regem Vestrum & omnes „ proceres inclytos offenderet. Possunt igitur fidefragi „ illi, post Deum vobis gratias agere, quia certum est, dedissem illis prælium, & non dubito, quin Deus illos punivisset, propter suam læsam fidem. Non ex metu ego „ retrocessi, qualisque ego sum ex gratia Dei multi sciunt, „ qui me apud Carolum Divum & Ferdinandum testabantur. Et Sereniss. Rex Vester & totum Regnum nunc „ possunt cognoscere fidem vestram & integritatem. Nam „ quod illi fidefragi impii viribus suis efficere nequaquam „ potuissent, vos precibus per Jesum Christum fecistis. „ Neque hoc est verum quod illi dicunt, D. V. proditores vos fuisse, quoniam semper dicebatis mihi publice, „ verbis, & factis in omnibus quæ non essent contra Deum & Seren. Regem Vestrum, vos esse paratos mihi „ gratificari, & hæc est veritas. Faciunt igitur vobis viris „ piis injuriam, qui studetis ut omnia sint ad ædificationem „ Ecclesiæ Dei vivi. Hæc pronunc ad calumniatores testari volui, ad exonerationem conscientiæ meæ.

Despotas manu propriâ.

Has autem post dimissas tunc fidei & amicitiæ cum Lassocio & Philipovio sancitæ causa copias Cassovia datas die 8. Febr. 1561. suo & Lasci sigillo munitas misit. Quæ omnia ut manifeste indicare mihi videntur Despotæ gesta ab Anno 1557. non 1559. arcessenda esse, ita & grandem injuriam Lassocio & Philipovio malevolos in præfat. Colloquii Petricov. Ao. 1565. habiti fecisse, dum eos, si viveret Despotes, perfidiæ in patriam convinci posse effutiverunt, docent. Ejusdem illius anni d. 28. Nov. Albertus à Lasco Alexandri copiis memorabili prælio fusis fugatisque Despotam in principatu collocavit. Hunc erga Lascum ingratum fuisse *Abrahamus Baseschaius*, qui tunc Lasco à secretis fuit Budzinius fidem Lassocio & Philipovio de reformandis Valachiæ Ecclesiis datam non servasse, uterque Despotam à suis subjectis, gente scil. si quæ unquam est, perfida & mobili, interemtum (ille Anno 1567. d. 5. Nov. factum adnotat) testantur.

L 13

LIBER III.

In quo de progressu veritatis & post dissidio Ecclesiæ Majoris sive Calvinianorum, & Minoris sive Christianorum Catholicorum Comitiis Petricoviensibus Anno 1565. firmato de Constitutione & progressibus utriusque Ecclesiæ usque ad vastationem utriusque Cracoviæ Anno 1591. factam, & conversionem rerum ex hinc inchoatam agitur.

CAPUT. I.

Quo describuntur progressus veritatis, studia Sarnicii & Discordiæ pro discordia, contra Lutomirscii & Gregorii ac aliorum pro concordia.



Uomodo semen veritatis ex Italia in Moraviam fuerit translatum, libro superiore diximus. Erant inter illos pios Italos, qui solum verterant, *Darius* & *Alciatus*: quorum iste ab illo acceptas theses propè viginti de Deo Trino & uno ad amicum & popularem suum *Prosperum Provanam*, qui prædium *Szafranecii* Rogovianum, in quo Conventum pium Ao. 1562. celebratum diximus, jure hypothecæ obtinuerat. Has cum aliquando lectas in mensâ reliquisset, Stanislaus Budzinius celebris ille Chronographus Ecclesiasticus, cujus ductum in multis hic sequimur, Provanæ familiaris & prædii administrator, in eas incidit, easque perlectas *Joanni Pustelnico* verbi ibidem ministro legendas tradidit. Is mox copiam earum *Stanislao Lutomirscio* tractus Pinczoviensis Seniori, paulo post superintendenti fecit. Inter hæc Budzinius facti oblivisci: Provana theses quærere: his non inventis, dolere: cognito Budzinii facto, indignari, irasci: Lutomirscius & Pustelnicus theses cum aliis communicare: hinc magna de Trinitate certamina oriri Gregorius Pauli inter hæc, ut diximus, Patris præminentiam Cracoviæ docere: Sarnicius ambitionis œstro percitus per cuniculos & mox aperta vi domi & apud Helvetios quæsita, Gregorium aggredi: Patronos, ut sententiæ Gregorii; faventes ministros pellant & alios à se commendatos eis sufficiant, orare, instare: ita rem Ecclesiæ præcipiti consilio magis magisque turbare: Sed ut res post colloquium illud Petricoviæ Anno. 1562. habitum gestas persequamur, Felix Cruciger superintendens Ecclesiarum, Paschate Anno. 1563. celebrato, Secemino discessurus, è vita discessit. Animadverterat Auditorum officii negligentium parum gratum animum. Sed & inter uxorem Patroni Stanislai illius Szafranecii, vasti animi fœminam & suam, sibi quoque alias moribus suis molestam (ut non raro viris quoque probis & piis & sacrorum curatoribus iniqua conjugia, obtingere videmus:) lis quædam exorta erat. Itaque Cruciger ipso Paschatos solemni die magna auditorum frequentia Patrono, Conjugi ejus, oppidanis & aliis in illa eorum dynastia degentibus, tùm auditoribus & aliis vicinis qui illuc frequentes convenerunt, valedicere: de omni benevolentia quam sibi præstiterint, gratias agere: causam abitus sui, non inediam vel alias egestatem, sed eorum ingratum animum, dicere: veritatem institutionis suæ asserere: omnium lachrymas, imo ejulatus Cycnea illa voce initio à Patrono facto, ciere: ita concionem solvere. Hoc facto extemplo domum se conferens, quieti se dedit & uxori aliquid cibi ad vires reficiendas sibi daret imperavit: & mox usum linguæ & vitam amisit, hanc scilicet miseram, ad illam beatam translatus. Perculerunt hæc omnium corda Patroni præcipue, qui mox funus viri Sancti decenter efferri curavit. Ipse verò ei parentans, rem ad clientes &
„ subjectos suos ita habuit. Nemo vestrum est, ô Cives,
„ qui ut quid de hoc Sancto viro, & de nobis omnibus
„ factum sit videt, ita facti circumstantias non conside-
„ ret, & eo graviter non commoveatur. Amiserunt o-
„ mnes Ecclesiæ virum Sanctum Prophetæ comparan-
„ dum

„dum: noſtræ verò Minoris Poloniæ fidum, vigilantem Superintendentem. Amiſit noſtra Eccleſia pium, doctum, ſolertem, optimum Paſtorem. Amiſimus omnes fratrem, amicum, fautorem vita longiſſima dignum. Vi quidem lethi nobis eum, utpote mortalitatis legibus nobiſcum pariter ſubjectum, ereptum eſſe quid miremur? Scimus & ex Sacris Oraculis & ex quotidiana, imò aſſidua experientia cuncta humana homineſque ipſos ad occaſum & finem ſuum perpetuò ferri, nec quidquam in hac miſeriarum convalle conſtans quàm ſolam inconſtantiam eſſe. At verò hac ratione nobis repente tantum virum ereptum quidni miremur? quidni doleamus? Res profectò inſolens & vix fando audita in oculis noſtris facta eſt. Hæc ideò diligenti examine digna, omnes nos officii admoneat par eſt. Audiviſtis ipſimet virum Sanctum in faciem nobis dicere: ſe propter ingratum animum, quem in nobis animadverterit, abitum paraſſe. Quidni itaque tantum bonum & noſtra quidem culpa ereptum nobis doleamus? Dicendum cum ingenua libertate, quamvis non ſine meritò pudore & juſto dolore, quod res eſt, parum frequentes & parum attenti verbi divini auditores conveniebatis. Multos nempe veſtrûm rei familiaris cura & divitiarum amor, parum diligentes officii, parum pios cultores Dei reddebat. Perinde autem, me quidem judice, eſt in Eccleſiam non venire, quam in ea ſolo corpore eſſe mente interim agros, hortos, ſylvas, orbem pervolitare. Illos ego à via hos ab oſtio aberrare dixero. Imò verò hi magis culpandi qui præſentia dona cæleſtia temnunt & reſpuunt. *O cives, cives quærenda pecunia primum eſt, Virtus poſt nummos*: dixit ille: At Chriſtus Filius Dei ipſa dico veritas, longè aliter: *Quærite primum regnum Dei & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Itaque ex officii herilis ſed & Chriſtiani ratione vos moneo atque hortor, ut quid Deus hic loci fecerit, ſedulò & ſeriò perpendatis, culpa veſtra irritatum Deum hoc Sancto ſalutis vitæ, fortunarum, pacis, proſperitatis noſtræ cuſtode, qui pro nobis omnibus puras manus in cælum dies noctesque attollebat, nos orbaſſe, agnoſcatis dolentes, impoſterum autem officii magis diligentes ſitis. Ipſi enim videtis nunc demum & nos bonum noſtrum intelligere, cum quod habuimus, amiſimus.

Ita tunc viro iſti Pio juſta ſoluta, & memoria ejus omnibus piis grata eſt. Tunc Sarnicius velut portâ ad inſtituta ſua ulterius promovenda apertâ, Synodum cum Diſcordia aliisque gregalibus moliri: mox ad d. 14. May. Cracoviam edicere: quoſdam Patronos, in conſenſum trahere: Schiſma adfectum magis magisque proſequi. At Staniſlaus Lutomirſcius ex muneris ſui ratione XXII. Miniſtros ad extinguendum ſchiſmatis commune incendium convocare: remotiores quoque, in Litvania & Podlachia degentes Patronos & Miniſtros in partem laboris vocare: litteris eos compellare. Harum ego apographa quæ Budziniana diligentia nobis conſervavit, in Linguam Latinam verſa hic adpono.

Illuſtres, Magnifici, ſpectabiles Generoſi, Honorati, Benevoli Domini & Fratres in Filio Dei.

„HAnc veſtram alacritatem, quam in cuſtodienda & conſervanda imò propaganda gloria Dei viventis, & ejus æterni unigeniti Filii, ei æqualis & ſimilis, tùm & Spiritus S. ex corde diligimus, & amore fraterno amplexi in corde exoſculamur: Hanc ut Dominus in vobis exſuſcitet & magis magisque augeat, omnes uno animo & uno ore dicimus Amen, Amen.

„Quum magni nominis viri iſtum quorundam conventum, qui his diebus Cracoviæ habetur, pro Synodo habere nolint: tùm & ipſe frater Paulus Gilovius cum aliis fratribus idem affirmavit. At proceſſus (ſententia) Synodum hanc edicens rem ſe aliter habere apertè dicit: cum tamen per eandem multi Viri Chriſtiani, quibus rerum Eccleſiæ cura incumbit, ad hanc Synodum non fuerint invitati. De Synodis Petricovienſi & Cracovienſi, quæ, ut accepimus, decurrente anno nuper decurſo, cele-

„ celebratæ ſunt, nihil nobis conſtat. Imò nec quiſquam
„ erat, qui à nobis poſt ultimam Synodum Princzoviæ
„ 4. Novemb. 1562. habitam Synodum aliam convocari
„ poſtulàrit. Verum enim verò nunc per amorem Dei
„ rogamus vos, ut Synodum Miniſtrorum omnium in
„ utraque Polonia, Litvania & Ruſſia reformatas Eccle-
„ ſias regentium convocari diligenter curetis: eisque tem-
„ pus & locum conveniendi præſcribatis: cum conſenſu
„ Seniorum Eccleſiæ filii Dei, ſi forte quidam eorum
„ (ſicut hanc eorum debitam diligentiam nobis pollice-
„ mur) huc convenerint. Talis enim Synodus neceſ-
„ ſario convocanda eſt ad conſervandum Eccleſiæ Dei
„ ordinem, ad officii admonendos omnes & con-
„ ſcribendos proceſſus (ſententias Synodales.) Roga-
„ mus pariter cum Deus pro æterna gratia ſua multos ad
„ eccleſiam ſuam vocet, & cenſum populi ſui augeat,
„ vos quo res meliori quam adhuc ordine gerenda ſit,
„ conſilium ineatis. Interea verò temporis per nomen
„ Dei viventis vos obſecramus, ut judicio genuino conſtanti,
„ Chriſtiano, verbum Dei ſequente has dolendas non
„ neceſſarias & valdè noxias turbas (quas à parte no-
„ ſtra non fieri poſtea cum Bono Deo videbimus) exami-
„ netis, *non ſecundum faciem, ſed recto judicio judicando.* Val-
„ de hoc quoque neceſſarium eſt, habetis nempè huc ſpe-
„ ctans Sp. S. monitum; *Non ſequeris turbam ad faciendum*
„ *malum, nec judicio plurimorum acquieſces, ut à verò de-*
„ *vies. Si Deus eſt, verbum ejus eſt veritas & triticum.*
„ *Homines autem & doctrinæ eorum à præſcripto verbi æterni*
„ *Dei exorbitantes, ſunt paleæ,* Ezech. xx. 18, 19. le-
„ gimus: *in præceptis Patrum veſtrorum nolite incedere,*
„ *nec judicia eorum cuſtodiatis, nec in idolis eorum pollu*
„ *amini. Ego Dominus Deus veſter, in præceptis meis am-*
„ *bulate, & judicia mea cuſtodite, & facite ea.* Roga-
„ mus itaque vos iterum iterumque per Deum vivum Pa-
„ trem noſtrum æternum & ejus unigenitum filium &
„ Sp. S. memores eſtote, nos omnes coram Throno ju-
„ dicii Dei comparituros, & coërcete mentes contumaces
„ hominum, qui pertinaciter ſuas opiniones tuentur,
„ non vero verbi divini cuſtodiam & obedientiam, ut par
erat,

„ erat, teſtantur. Nolite uni parti, prætetita & non audi-
„ tâ alterâ, fidem præbere: omnes ſumus homines.
„ Nobis ſanè valde dolet, quòd illi viri Generoſi & No-
„ biles, qui proxima die Veneris in domum Generoſi
„ Domini Lubomirſcii convenerant (licet ut hoc facerent
„ ſollicite, poſtulaverimus) noluerint quatuor viros è
„ medio ſui, deputare, qui audirent & dijudicarent collo-
„ quia, quæ cum Miniſtris fratribus noſtris habuimus.
„ Facili enim negotio totam rem perſpectam habuiſſetis,
„ & vidiſſetis quam iniquè fratres noſtri agant? quod vo-
„ bis brevi Deus clariſſimè monſtrabit. In præſens ta-
„ men rogamus, ne narrationibus cujuſquam ſiniſtris
„ de Fratre Gregorio cœtus Cracovienſis Miniſtro, huc
„ ab eccleſia Dei legitimè miſſo, fidem detis, vel eum
„ ſuſpectum habeatis. Nos enim uſque adhuc nil mali
„ vel in ejus doctrina animadvertere vel de eo opinari poſ-
„ ſumus. Equidem habemus per gratiam miſericordis
„ Dei verbum ejus ad formandum judicium, & ſumus
„ membra eccleſiæ Dei. Plura non addimus. Cum vo-
„ bis placuerit, id Deo juvante re ipſa, non tantum verbis
„ teſtabimur. Interim nos gratiæ & precibus Chriſtia-
„ nis omnium veſtrûm commendamus. Dabantur Craco-
„ viæ Anno. Domini 1563. Menſis May die decima ſepti-
„ ma.

Staniſlaus Lutomirſci Tractus Pinczovienſis Senior.
Gregorius Pauli Tractus Cracovienſis ſenior.
Gregorius Cracovius Miniſter Zielicnicenſis.
Albertus Epiſcopius Miniſter Chriſti.
Staniſlaus Criſtinius Miniſter Jeſu Chriſti in Wlodiſlaw.
Staniſlaus Wiſniovius miniſter cœtus Wielicienſis.
Joannes de Chencinii Miniſter in Rogow.
Melchior Pſaliponi Miniſter verbi Dei in Lunow.
Tiburtius Boniſius in Sieſcluſca Miniſter.
Chriſtophorus Milvius Chriſti Miniſter in Gorii.
Martinus Caſtronius Miniſter Ieſu Chriſti in Sobolow.
Petrus Fedrych in Szczekociny Chriſti ovilis Miniſter.
Ioannes Sieſcierzynſci Verbi Dei Miniſter in cœtu Bobci-
nenſi.

Iacobus Sigismundus Minister Evangelii in Pinczow.
Barthol. Luczytzki Minister verbi Dei in Dziekanowice.
Iacobus in Wielglowice Minister.
Georgius Schomanus Minister verbi Dei in Xianz.
Stanislaus Pharnesius Minister in Tarnowa.
Martinus Calisius.
Gregorius Niger Minister Christi *in cœtu Iedlinensi.*
Stanislaus Moicius in Kuczkow Minister Christi.
Albertus Dzicsoviensis in Kuropatniki Minister Christi.
Marcus Victor in Chomranice Minister V. D.
Magnificis & Generosis Dominis & Fratribus Cracoviæ congregatis Stanislaus Lutomirski.

QUid sibi hæc epistola à tot verbi Dei Ministris Scripta velit, & quomodo Sarnicium feriat, nemo non videt: sed mox longè apertius hunc *Discordiæ* auctorem & Socium altera ejusdem Lutomirscii epistola ad Fratres Wilnenses data percutit. Hanc ex Budzinii Scriniis Latinam, ut eam inveni, huc transfero.

Clarissimi, vera pietate & Doctrinæ cælestis custodia, Viri.

GRatiam, misericordiam, pacem, ac salutem à Deo Patre ex quo & à quo omnia, & nos in ipsum, „per Jesum Christum, per quem omnia & nos per „ipsum, Electorum, Servatorem & interpellatorem, „Filium illi consubstantialem; coæternum & coæqua-„lem, in Sancto utriusque coessentiali, ac æque coæter-„no, coæqualique Spiritu, omnia vegetante, in quo „clamamus Abba Pater. Authoribus Jacobo Silvio, „Sarnicio & Discordia ad d. 14. Maji (neglecto ordi-„ne Ecclesiæ Dei usitato, spretis & contemtis, ignoran-„tibusque atque inconsultis, utriusque ordinis Seniori-„bus, projecta ac protrita disciplina Ecclesiastica) con-„vocata est Cracoviam Pseudo Synodus; processu men-„daciis referto, evulgato: quem abusi bonitate quorun-„dam Procerum, negotiorum Ecclesiæ Dei planè ignarorum

„rorum, curarunt subscribi, manibus Magnificorum „Castellani Cracoviensis, Palatini Lublinensis, Castellani „Zawichostensis, Capitanei Marieburgensis Joachimi „Lubomirski, Josti Ludovici Decii: & quatuor Civium „Cracoviensium, inter quos connumerantur etiam illi, „qui Papisticam impietatem sequuntur. Ad quam „Pseudo Synodum nos Ministri propiores, non sumus „accersiti: imò dabatur opera, ne ullo pacto innote-„sceret nobis consilium; studebant enim damnare nos „unà cum doctrina sana & Ministrum Cracoviensem „loco suo movere inque ejus locum sufficere Discor-„diam illum celebrem factis suis. Quare ne quid de-„trimenti acciperet Ecclesia Dei ambitione horum fra-„trum pravis consiliis, atque actionibus: Ministri vi-„ginti tres accurrimus Cracoviam: ubi id quod actum „sit, brevibus vobis pro fraterno in vos meo amore, „perscribo: ut vobis veritas constet, ne fortè, ut „nunc sunt mores, affingant boni isti fratres, pro sua „consuetudine. Triduum integrum insumsimus, mul-„ta largiendo ipsorum pertinaciæ &c. Illi autem abro-„gata Synodo contra processus per ipsos publicatos „sententiam: * * * quem tàm accuratè (ut nunquam „antea ullus sit æque exquisite scriptus) confectum edi-„derunt, ad proceres qui nondum coiverant omnem „Synodicam actionem rejecerunt, colloquium nostrum „repudiando. Sed ut quæ acta hic sint sciant Fratres; „En vobis mitto breviter consignata omnia, ex protesta-„tione per nos facta, tum ex responso à nobis dato „fratribus, nunc nobis immerito infestis. Dabant ope-„ram isti Ministri, ambitione turgidi fratres, ut me „ex sua parte haberent, & usi sunt in eo vafritie indigna „ministerio ipsorum. Sed per Dei gratiam ipsorum vo-„ti non habuerunt optatum successum: imò & ista „Pseudo Synodus, ab illis tanta cura convocata, in ven-„tum abiit, nihil in ea actum est. Timentes enim suæ „causæ, & ne in apricum proferrentur per nos technæ „eorum, Castellano Cracoviensi & Palatino Lublinensi „clam persuaserunt, ne Synodicas actiones inchoarent „&c. Sed ut ad diem Stanislai, similem generaliter con-vocarent

„ vocarent, & *Discordiam* Cracoviensi ecclesiæ præficerent. Non licere enim absente Capitaneo Mariæburgensi, Castellano Sendomiriensi & aliis multis, nobiscum agere. &c. Dijudicate Fratres, num deceant ista Ministros. Nos d. 13. Cracoviam hujus Mensis convenimus, illorum causa: perseveramus ipsis invitis, ne absentibus nobis in nos rejicerent culpam. Orate pro illis, & pro nobis: & ad Synodum futuram concurrite: ut incendium Ecclesiæ Dei periculosum unanimi consensu, ut opus est, Emmanuele præeunte, restinguamus, & fratres à nobis dissilientes colligamus: Ventos enim cerebri humani, non verbi æterni sequuntur præscriptum aliqui: quorum opera & persuasione Calvinus vir alioqui magnus adductus, certe iniquè Gregorium nostrum, & ecclesiarum nostrarum Ministros accusavit. Simlerus Tigurinus modestius egit: qui in suo libello, quo maledico Stancari respondet libello, ita scribit. *Neque nobis de verbis, ut aliqui arbitrantur, certamen propositum est? sed de rebus ipsis, de quibus si inter nos conveniat, nomina Essentiæ aut Personæ, aut alia ejusdem generis, quibus veteres usi sunt, non patimur impedimento esse concordiæ.* Quare agite Fratres, ut Synodus futura sub finem mensis septembris sit frequens: à quibuscunque tandem convocata fuerit. Nos curabimus, ne ultra mensem septembrem prorogetur ejus indictio. Miror nos non evocari unquam à vobis. Certè non gravaremur ullo labore, in tuenda & propaganda gloria Dei, & ejus unigeniti coæterni Filii, Sint illi quicunque tandem sint.&c. Dat Cracoviæ Anno. 1563. d. Mensis Maji. 20.

Vestrarum Dominationum frater & servus. Stanislaus Lutomirski V. D. Minister: Secretarius Regius m.p.

Reverendis, pietate & Doctrina Cælesti Ornatissimis Viris, Dominis Nicolao Wendrogowski, Vilnensis D, Thomæ Falconio & Martino Cichovio Ministris Ecclesiæ Christi fidelissimis, Dominis & Fratribus observandissimis.

Paclesio & Krovicio ostendantur, & aliis piis Fratribus.

Hinc jam quivis æquus videre potest, Sarnicium cum suo Discordia iniquè, non cum Gregorio tantùm, sed & cum tota Ecclesia, quam misere lacerarunt, egisse. Quæ cum fratres ex litteris Lutomirscii, cujus ut fides minimè suspecta, ita tunc magna erat auctoritas, & aliunde accepissent, omnes qui & si sententiæ Gregorianæ non faverent, concordiæ tamen studebant, graviter propterea dolere: in Litvania & Podlachia degentes Patroni & Ministri etiam indignari: & ne quid in se diligentiæ desideretur, ad convocandam Synodum, exstinguendo illi discordiæ à Sarnicio & Discordia excitato incendio efficax & legitimum medium, animum adjicere: de hac consilia conferre: tandem eam cum consensu Illustrissimi Principis *Nicolai Radzivilii* Palatini Vilnensis Mordas, quod oppidum in Podlachia situm ei, parebat, ad d. 6. Junii ejusdem anni 1563. convocare. Non deerant laudabili instituto pii, & quamvis alieno, utpote difficili tempore, quo scil. operæ agrestes fervent, numero 42. convenerant. In hac Synodo multi acritèr in vulgare de Trinitate dogma invecti; alii tempori servientes & conscientiæ infirmiorum consulentes, differri abrogationem ejus, usque quo imbecilles sensim in conscientiis de pura veritate informarentur, è re judicarunt. Synodus illa sententiam suam in hunc modum ad dictum Principem Palatinum Vilnensem, perscripserunt: *Vocabulum Trinitatis & si non omnino rejicere potuimus, propter aliquos infirmiores, maxima tamen ex parte præsenti abusu, illud purgavimus, ut nunc utpote verbum hominis & non divinum minus valoris quàm antea apud multos obtinuerit.* Atque ita hæc quoque Synodus Concordiæ conservandæ idoneam & commodam rationem, tolerantiam scil. & secundùm expressum Dei verbum institutionem ac veritatis de Deo inquisitionem, iniverunt. Sed hæc adversus indomitam Sarnicii ambitionem & effrænem Discordiam frustra fuêre, Deo permittente, ut qui se præfractè veritati opposuerat, discordiæ invidiâ re & nomine notaretur: qua in re quis non mirabile omen consideret?

CAP. II.

Quo describitur effectus discordiæ: excessus Lismanini è Polonia & vita: persecutio post edictum Partzovianum anni 1564. & lites Pontificum adversus Erasmum Otphinovium, tùm Judæum Lublinensem & Semiconiem Aulicum Regium de violato Sanctissimo, ut vocant, sacramento, ubi obiter & de Franco di Franco Italo ac Ivano Tiscovicio Polono Christi martyribus dictum.

CUm ita illud excitatum discordiæ à Sarnicio & Discordia incendium non tantùm non exstingueretur, sed velut affuso in Synodis tolerantiam vel silentium imperantibus paullo aquæ potentius, quæ est reactionis, ut naturæ interpretes vocant, natura, surgeret, & latius in dies serperet, magnum hæc res cordibus piis attulit dolorem. Hinc alii concordiam: alii tolerantiam: utrique pacem suadere, inculcare: alii etiam auctoritate canonum in Synodis latorum urgere. Sed cum à partibus Sarnicii & Discordiæ, Deo permittente, & sic ingratum animum puniente, Satana annitente, potentia mundana stetisset, nulla Reip. Ecclesiasticæ præstandæ valebant remedia. Lismaninus tamen studia redintegrandæ concordiæ vel stabiliendæ rei resumere: media ad hanc rem obtinendam idonea quærere: ad ultimum quatuor illorum Ecclesiæ quarti Seculi Doctorum, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, & Chrysostomi auctoritatem quasi partibus dissidentibus conciliandis commodum medium proponere: hinc centonem ex illis consuere. Id scripti, licet lucem viderit, videre mihi non contigit. At horum Doctorum ut scripta sunt in promtu, ita sententiæ illorum de Trinitate sunt notæ, saltim inveniri facili negotio possunt. Cæterùm eorum scriptis non pauca vel receptis hodie dogmatis contraria, vel etiam apertè veritati faventia contineri alias diximus. Hic tribus verbis tantum dicemus: Ambrosio Filium esse *Deum factum* l. 2. de Trin. Augustino *Deum genitum* l. 7. de

de Trin. c. 1. *Mediatorem Dei & hominum, hominem Jesum Christum* tract. in Joan. 105. de ago. Chr. c. 20. in Psal. 37. & alibi, præsertim Retract. l. 1. c. 24. Hieronymo *Christum hominem humiliatum donatum nomine quod antea non habuerit.* Chrysostomo *Patrem, velut principium, Filio majorem, dici.* Itaque istis ipsis ut & aliis omnibus Doctoribus consentientibus, tutissimè fides scripturis divinis adhibetur. Volebat inter alia Lismaninus auctoritate illorum Doctorum evincere, quod perinde sit sive *tres qui testari* in scriptura dicuntur, *unum sive unus* dicantur. Et verum quidem est, si testimonii consensum & concordiam spectes, posse dici *tres testes unus sunt*, sicut Scriptura Sancta de fidelibus concordibus ait: *Vos omnes unus [homo] estis in Christo Jesu.* Tutius tamen est, præsertim cum controversia de Trinitate agitatur, dicere cum Scriptura *Tres testantes in cælo unum*, quam *unus sunt*. Tres enim testes cælestes à S. Joanne diserte recensentur, at ex illa opinione Trinitariorum unus dicendus foret *testis*, non *tres testes*, sicut non tres Dii sed unus Deus ab eis statuitur. Ut taceam locum illum in antiquissimis & probatissimis exemplaribus Græcis, Novi instrumenti originalibus, & versionibus Syriaca, Arabica, Æthiopica, Armena, Latina, Sclavonica, non extare, ideoque nulli antiquorum nec ipsi Hilario, qui Ambrosii & Hieronymi ferè æqualis fuit, cognitum, imò ab ipso Chrysostomo, Augustino, ut & aliis Doctoribus Græcis pariter & Latinis, ne quid de Luthero, Pomerano Tigurinis & aliis recentioribus dicam, omissum fuisse, quod hic innuisse sufficiat. Sed illud Lismanini consilium & studium vanum fuit, & prædicatio veritatis contra dogma de Trinitate & odium patronorum hujus partis vehementer crevit.

Præsertim cum Ecclesiæ Romanæ Theologi ipsius Augustini & aliorum antiquiorum vestigiis inhærentes dogma Trinitatis non Scripturis Sacris sed solis traditionibus & Ecclesiæ authoritate fundari agnoverint, imò adversus Lutheri & Calvini sectatores, qui solius Script. S. auctoritatem firmiter adversus destruendos Pontificios errores & corruptelas Ecclesiæ adhibere conentur, ursrint, ut eis ægre facerent dicentes, eos dogma Trinitatis adversus Tri-

Trideitas (ita nos injuria vocant adversarii, qui nihil minus quam Trideitæ sumus unius Dei Patris per Christum unicum Mediatorem cultores qui ideo in Transylvania Unitarii appellamur) probare adeoque nobis resistere non posset. Adde quod Lutherus & Calvinus parum honorifice ipsis de S. Trinitate scripsisse visi sint: prout quidem iste plurima SS. Literarum loca nos inter & adversarios controversa verâ explicatione suis eripuerit. Lismanini conatus ille successu caruit; sed non suspicione & infamia obitus, qui ei in phrenesin lapso, Regiomonte contigit. Inter hæc evocaverat in Transylvaniam *Joannes Princeps Hungariæ & Transylvaniæ: Joanne Scepusio Rege ab Hungaris electo & Isabella Sigismundi I. Regis Poloniæ filia* genitus, Georgium illum Blandratam, qui præclaris meritis magnam auctoritatem apud eum sibi conciliaverat. Quam ille vocationem tantò alacrius amplexus est, quod eum Calvinus missis per Poloniam & Litvaniam literis persequi non destiterit: ita ut ei tutam in his oris vitam agere per ejus cacozeliam non licuerit, prout in superioribus exposuimus. Acerrimis errorum oppugnatoribus partim huc & illuc dilapsis, partim morte sublatis, opportunum veritatis propagandæ medium cunctis proposuit Deus, illo anno 1563. typis publicis exscripta Brestiæ Litvanorum studio & sumptu immortalis memoriæ Herois Nicolai Radzivilii Palatini Vilnensis: Bibliorum universorum versione, Poloniæ nondum conspecta. Quæ quidem suspiciones & obtrectationes malevolorum non effugit. Superior tamen illis fuit, & merito in pretio habita: prout etiamnum habetur. Ita enim hominibus ad legendas, examinandas & intelligendas sacras scripturas, ac animadvertendas corruptelas Ecclesiæ Romanæ, quas diu tyrannide armata propugnavit, via aperta. Hanc versionem altera *Simonis Budnæi* universorum pariter Bibliorum Anno 1572. altera N.T. *Martini Czechovicii* Anno 1577. non levi successu secutæ. Ibi enim verbis sacræ scripturæ fideliter ad mentem textus Hebræi versis, homines veri amantes errores receptos tanquam in speculo animadverterunt. Hîc etiam annotationibus adjectis pectora studio veritatis & zelo cælesti flagrantia valde juvabantur.

Ille

Ille ipse annus 1563. Stanislaum Lasocium, virum illum non tantum natalibus & officio, sed & meritis in Remp. & præcipuè in Ecclesiam illustrem Petricoviæ rapuit. In cujus locum Stanislaus Cicovius gente Radvanius, suppar zelo successit, qui Philipovio in tuenda & propaganda veritate divina non segnem sociavit operam. Fuit is vir natalium & meritorum clarus, ideoque Senatoria Castellani Biecensis dignitate & insigni Ducis exercituum regni officio decoratus, Comoroviis, Myscoviis, Lanscoroniis & aliis pluribus familiis Illustrissimis sanguine atque adfinitate conjunctus, sed veræ pietatis invicto & indefesso zelo longè Illustrissimus. Is Partzowiense illud decretum Regium non moratus, cùm Deo potius quam hominibus obediendum esse voce & exemplo Apostolorum edoctus foret, officii diligens fuit. Decreti verò illius ancipitis periculum Proceres Evangelicæ confessionis veriti, imo ictum improvide omnibus ab Ecclesia Romana dissidentibus intentatum providentes explicationem ejus petierunt & obtinuerunt à Rege æquo & facili, quasi rigor sententiæ solos peregrinos peteret. Nempe nulli studio conatuive ad oppugnandos & destruendos errores Pontificios parcitum, tam ab advenis quàm ab incolis. Insigne istius zeli exemplum apparuit in illo nobilitate, pietate & scriptis clarissimo Viro Erasmo Otphinovio, gente Gryphio, Heroibus Christianis, quos rythmo Polonico cecinit, meritò annumerando. Cujus etiam frater Georgius in cœnobio Tinecensi vitam Monasticam amplexus eam paulò post deseruerat & ad mortem sticam amplexus eam paulò post deseruerat & ad mortem cum isto fratre mira concordia & constantiâ vixit. Vir non tantum pius sed & eruditus solersque, quod docet liber sententiarum ex SS. LL. & antiquis Ecclesiæ Doctoribus collectarum haud exiguus, exeunte superiori seculo conscriptus, cujus autographum possideo. Erasmus ille quanto divinæ gloriæ fœdissima idololatria contaminatæ arserit zelo, testatur libellus ejus rythmis vernaculis conscriptus, cui titulus est, Disputatio Pistoris & Pictoris de diis suis, quo & ingeniosè & pie idololatriam Pontificiorum in cultu sanctissimi, ut vocant, Sacramenti abominandam refutavit, & vanitatem ejus pudendam demonstravit, palma

ma tamen victoriæ Pictori concessâ, quod Deus ejus effigiatus & pictus diutius duret, pistus verò variis casibus magis sit obnoxius. Animum illum intrepidum & zelo ferventem insigni probavit facto. Convenerat tunc illum Stanislaum Paclesium primum Ministrum Ecclesiæ Lublinensis, quæ in domo ejus, ubi nunc templum Jesuiticum superbum consistit, primum, post in ædibus nobilissimæ Matronæ Ostroviæ gente Suchodoliæ, illius Petri Ostrovii gente Gryphii, viri Legatione Turcica & pluribus meritis in Rep. Clarissimi matris, postea alibi, ut suo loco dicemus, colligebatur; ubi una cum aliis Viris piis sermones pios miscens & diæ memoriæ Corporis Christi Domini sacra cantum ad ædem Cathedralem ferentium Sanctissimum illud, ut vocant, Sacramentum audiens, permotus Paclesi verbis ad illa: *Non est panis sed est Deus*, dicentis: *Eheu! Ubi sunt jam qui hanc idololatriam non ferrent*. Sponte se proripuit, & domo erumpens ac sacerdotem aggressus, quo familiariter utebatur, his verbis affatus. *Aliquoties te monui hoc ne faceres, quo peccas in Deum pollicitus es mihi te id amplius non facturum. Et tamen contumax es. Recita Orationem Dominicam.* Tradita alteri pyxide cum hostia, paret Sacerdos dictis. Post quam recitavit Pater noster qui es in cœlis, Orphinovius satis esse dixit, & corripuit hominem: *Verè dixisti Deum esse in cœlis. Non est igitur in pane, non in pyxide tua.* Inde hanc correptam in terram projecit & pedibus conculcavit. Rei novitate attoniti omnes idololatriæ sequaces, isti invisam audaciam mirari, detestari: alii ira efferri, vindictam minari, hæreticum temerarium male mulctandum judicare. At ille per mediam turbam transivit & contulit se in hospitium Viri nobilis, Petri Suchodolii gente Janinii, puriorem religionem sequentis. Inter hæc idololatriæ patroni magistratum adire, in vindictam ciere, provinciæ Propræfectum Petrum Suchodolium illius patruum, Pontificiorum errorum fortem patronum ea causa compellare: iste Arcis præfectum, quem vulgus *Burgrabium* vocat, ad Orphinovium comprehendendum mittere: ipse cum satellitibus idem tentare fratris filium ut reum traderet, flagitare: iste foribus hospitii obseratis patruo id negare, eundem vi abstineat monere, mitiora suadere, tandem omnibus malevolorum conatibus elusis, Orphinovius urbe excessit, & cum provinciæ illius incola esset ac bona ibi possideret multaque polleret necessitudine, nobilitate jura sua adversus arrogantiam Pontificum, quorum jurisdictio tandem legibus publicis tunc 1562. & 1565. abrogata fuit, acriter tutante, ab omni injuria immunis extitit. Nisi quod mandato Regio sistere se & facti rationem Comitio reddere jussus fuerit. Illuc ubi ventum, interposuit authoritatem suam *Nicolaus* ille *Rejus*, vir natalibus, meritis & dignitatibus (fuit enim Aulicus Regius & tunc Ablegatus ad Comitium Regni nomine Municipii Cracoviensis) Clarissimus, ad componendum istud inter partes dissidium. Cum autem Vir esset ingenio amœno & liberalibus jocis sermones sæpe condecret, verba tunc pro Orphinovio ita fecisse legitur: *Offendit Orphinovius Deum, ut putatur & hominem nempe Sacerdotem. Isti ita satisfaciet ex juris præscripto, cum eum deprecabitur & damnum illatum reparabit. Hoc admodum bene est, & facile compensandum, si scilicet sacerdoti pro fracto vitro obolum, pro fracta hostia panacia teruncium, (quo novum vitrum & tantillum farinæ comparetur) exsolvat. Dei injuria illius vindictæ relinquenda est. Illi namque soli ultio competit. Dandum itaque tempus vindictæ. Sumet hanc Deus, si sibi injuria illata fuerit, vel immissis fulminibus vel aperto terræ ore, vel alio aliquo modo horrendo. Nam si injuriam Mosi factam à Core, Dathane & Abirone severè puniit, cum istos cum familiis & fortunis terra vivos deglutiit: tantò magis nunc puniet istum, si se ita læsit, ut judicatur. Adhæc nulla tali facinori posita lex.* Hac ratione Orphinovium periculo exemit, lata tamen tunc est sententia, ut imposterum modestia ab omnibus circa sacra peragenda servetur. Atque dehinc sacrum illud cum machinis bellicis celebrari cæptum, quæ res deinceps exulceratis temporibus sæpè damnosa modestissimis quoque civibus Cracoviensibus, aliisque ab illa idololatria alienis extitit. Idem ille sacerdos ibidem Lublini talem hostiam ægroto paulo post porrigendam ferens, cum prætereundo tabernam, Judæum adstantem à tergo manu percussisset, dicens, Judæe procumbe

cumbe in genua, iste facto inopinato perculsus ac se subito obvertens motu hostiam manibus sacerdotis excussit. Ob quod multa, satis tamen levis, utpote quæ vix centum libras excessit; Judæo irrogato. At paulo ante memorandum quidpiam, isti casui simile, Vilnæ evenit. Agebat tunc in Aula *Semionus* Vir Nobilis Aulicus Regius, & solemnes per urbem ineunte mense Majo peragebantur cursitationes cum Idolis, quas processiones vulgus vocat. Prætereuntem Semioni diversorium sacerdotem & idolum illud quod is ferebat, famulus illius forte fortuna matulam (salvus sit oculis honos) effundens desuper per fenestras lotio abluit. Tractum à Pontificibus facinus in contemtum divinæ Majestatis, & casus in culpam transiit. Accusatus apud Regem Semionus, & in jus vocatus sistit se Regi. Comparent delatores numero & autoritate Patronorum fulti. Ibi Semionum accusare facinus exaggerare severam pœnam obtentu contumeliose habiti eoque graviter offensi numinis exigere. Semionus, cui multi Amici & Aulæ familiares aderant, defacta injuria quod cum possideret certa bona, tanquam incertæ sedis & fortunæ homo ac erro in jus tractus fuerit, queri, accusatorum iniquitatem importunam utpote, qui se ut famulum facti reum castigaret, non convenerint, nec verbo compellarint, dolere; vitam honestè semper & sine offensa in Aula transactam appellare: non processisse eos secundum gradus justitiæ & æquitatis, regerere. Illi vero factum excusare, vindicandam sibi pro virili fuisse injuriam Deo illatam, ejus enim non suam agi causam, suam privatam injuriam se illi condonare, testati. Tum demum Semionus adhibito de more præcone & testibus nobilibus inscribi protocollo verba Pontificum injuriam sc. suam Pontifices illi condonare & solam divinam vindicare velle, curavit, & quod ad Divinam injuriam attinet differri causam tanti momenti à Patrono defendendam, postulavit. Quod ei non negatum Digressus à Rege instruit convivium invitat amicos, quibus cum postquam largius se invitavit compellat istos: grande sibi negotium apud Regem expediendum esse: invitare se eos ut sibi tunc adsint: Non deserturum se vadimonium: habere enim se quod sibi sit solatio

solatio & præsidio: utpote cui Pontifices accusatores culpam suam condonarint, solam Divinam vindicaturi se id protocollo inseri curasse: nondum adesse terminum præfixum: antequam is appetat Deum illum ligneum in cœlos ascensurum ita in judicio non compariturum, plenam, prosequendæ, causæ potestatem Pontificibus non relicturum: ideò hos causam non prosecuturos: sed se denuò illis negotium justè & meritò ob illatam sibi injuriam facessiturum. Hæc postquam acceperunt illi, non comparuere ad diem dictam. Comparuit iste & publicè testatus accusatores, non venisse ad vadimonium, partem quæ dicitur læsa profectam esse in cœlos, nec mandatarium ullum comparere à parte adversa: nullius se criminis reum esse, petiit se absolvi. Ita & hæc causa in ludum & jocum vertit. Felicia ad huc erant illa tempora. Non tulit in hac ipsa urbe Vilnensi inultam parrhesiam solam festo illo corporis, ut vocatur, homines idoli sequaces officii admonentem *Francus de Franco* Italus, Anno 1611, Truci & nefanda morte sublatus sed & *Jvanus Tiscovicius* Bielsco Oppidi Podlachiæ incola, calumniâ in terram projecti & pedibus conculcati illius idoli obrutus, ac morte atroci Varsaviæ eodem anno peremtus, de quo suo loco dicemus.

CAP. III.

De Pædobaptismo oppugnato expugnato, ejecto.

Satis diu & impunè infantilis error orbi Christiano illusit, nullo prorsus divinæ auctoritatis fundamento nixus, & primævæ aliquot seculorum praxi contrarius. Namque in sacris litteris toties legitur institutio Christi cœlestissimi Magistri, & Apostolorum, de docendis, ad fidem & obedientiam pietatis perducendis ac demum baptizandis hominibus, sed nusquam de baptizandis vel baptizatis infantibus. Quod quidem tertio seculo in Africa, quæ semper monstra excludebat, fieri cœptum à non-

à nonnullis, ab aliis non in Asia solum sed & in ipsa Africa reprobatum, ita ut & quarto seculo liberi Episcoporum (testis Gregorius Nazianzenus) & aliorum fidelium, & vel ab Episcopis educati (testis Chrysostomus) in Christiana religione instituti, dicti catechumeni, pro quibus Catecheses conscribebantur, adulta demum ætate baptismum susceperint, ac nonnulli nondum baptizati vel miraculis inclaruisse (ut S. Martinus) vel ad Imperatoriam majestatem evecti, (ut Constantinus Magnus, Filius ejus Constantius, Theodosius Major, & Valentinianus) vel etiam ad Episcopatus curam (ut Ambrosius & Nectarius) assumpti legantur. Quos inter nonnulli studio baptismum ad suprema vitæ tempora differebant, ut falsa opinione inducti, lavacro illo in extremo Spiritu peccatorum maculas veluti abluerent. Inde constat Valentinianum Juniorem citra baptismum excessisse, Ambrosio tamen præclare laudatum & an eundem Constantinus Junior & Constans Fratres susceperint, ignorari. Quinti demum seculi Anno XVIII. in Consilio Milevitano (adeo hunc infantem nasci, ali, adolescere in Africa oportuit) necessitas baptismi infantibus, ut S. Eucharistiæ participes fieri possent, auctoritate Innocentii Pont. Rom. & Augustini Episcopi Hipponensis, imposita, quæ, communione licet infantium Concilii Tridentini authoritate sublatâ, etiamnum apud plerosque vim tyrannicam exercet. Non deerant quidem, qui subindè recepto isti errori prioribus seculis contradixerint, ut alibi docuimus. Sed in nostra Polonia primus eum *Mathias Albinus* Verbi Divini in Ivanoviciano ad Cracoviam Minister oppugnasse scribitur, ut superiori libro diximus. Secuti hunc *Petrus Pulchraninus* Germanus, Scholæ Bichaviensis in Provincia Lublinensi Rector, *Stanislaus Paklesius* Pastor Lublinensis; imprimis autem ille *Petrus Gonesius* (qui contra Pædobaptismum epistolam ad Laur. Crissovium Virum nobilem & verbi divini apud Litvanos Ministrum Anno 1562. scripsit) & *Hieronymus Piekarscius*, quos supra vidimus. Memoriæ proditum est, Cajavienses, quæ provincia Prussiæ contermina, primos in pædobaptismum insurrexisse auctore *Martino Czechovicio*, qui

qui ut alia dogmata, ita & hoc de baptismo adultorum à Petro illo Gonesio hauserat. Baptismus Infantium vel potius rhantismus, quæ vox scriptoribus sacris de aspersionibus legalibus usitata, cum pietatis & miserationis infantium speciem præferat, adhæc diuturna praxi inoleverit, & baptizantibus ac baptizatorum parentibus non parum lucri adferat, factum est, ut non tantùm Pontificii, sed & Calviniani non minus pro eo, quàm pro Deo Triuno acriter depugnarint purioris veritatis studiosis, è contrario fortiter bonam causam tutantibus. Exortum Vilnæ Litvanorum (ubi *Simon Zacius* Prossevicius Senior Ecclesiæ illius confessionem ediderat suæ Ecclesiæ pro pædobaptismo ibid: Anno 1559. impressam) ea de re dissidium, præsertim inter Martinum Czechovicium, cæteris magis oculatum, & Nicolaum Wendgogovium Ministros, illo oppugnante, isto propugnante pædobaptismum unà cum Paulo Superintendente Ecclesiarum Litvanicarum, effecit ut Anno 1565. ad d. 10. Junii Bræsiniam Cujaviorum Synodus indiceretur. Cui XXXII. Ministri, XVIII. auditores intererant: in qua quidem dissidium illud inter Czechowicium & Wendrogovium sopitum, sed negotium ipsum decidendum ad Synodum Wengroviæ in Podlachia celebrandam remissum fuit. Interim epistola ab illa Synodo ad cætum Wilnensem in hunc modum manu Stanislai Lutomirscii Ecclesiarum Minoris Poloniæ Superintendentis exarata fuit, cujus exemplar hic apponi veritatis & pietatis ratio exigit.

Gratiam & pacem æternam cum accremento lucis vobis Fratres dilecti sincero Christiano corde precamur.

„ AGant fideles debitas gratias Patri cœlesti, qui facit ut quotidie magis magisque perspiciamus fidelibus inter se unum cor & unam animam esse, licet longè ab se sint dissiti, prout id apparuerit magno cum omnium nostrûm solatio ex benevolentia vestra erga nos fratres vestros, missis ad nos per tot terrarum spatia, nulli parcendo sumtui, duobus fratribus è medio vestri, Wendrogowio & Andrea Ciznera, &

„ & quod majus eſt, declarata veſtrâ fiduciâ erga nos „ quibus exorta inibi diſſidia componenda commiſeritis „ Idem ille Pater cœleſtis vos & nos Spiritu ſuo Sancto „ roboret, ut in vera caritate creſcamus uſque ad vitam „ æternam. Nos viciſſim vobis, fratres perdilecti, cor- „ da noſtra ſincera & promtæ benevolentiæ plena offeri- „ mus, nulli dubitantes, vos ea eodem affectu, ut ſole- „ tis, grato ſuſcepturos: qua ſpe freti libenter accedimus „ ad componenda diſſidia inter vos ſuborta, eccleſiæ Dei „ noxia, ad gloriam Dei, in nomine Domini noſtri J. C. „ non ut vobis hac occaſione diſſidii dominemur. At pro- „ inde vos reddimus certiores, factam eſſe inter fratrem „ Wendrogovium ac Paulum Superintendentem ab una, „ & Martinum Czechowicium alioſque fratres, qui ſe „ injuria à Fratre Wendrogowio affectos opinabantur, „ parte ab altera conciliationem. Oſtendit enim ſpiritus „ S. ab utrinque peccatum fuiſſe, non leviter læſam & „ contriſtatam Eccleſiam Dei per facta eorum inconſi- „ derata & temeraria, quibus ante oculos eorum poſitis, „ operante Spiritu S. ad agnoſcendam culpam & agen- „ dam pœnitentiam, adeoque ad redintegrandam coram „ nobis concordiam perducti ſunt. Id ſolum reliquum „ eſt, ut offendiculum, quod fecerunt Fratres Wendro- „ govius & Martinus ibi ubi illud factum ſcil. coràm „ Eccleſia veſtra deponant, & miſſum faciant, citra invi- „ dioſam commemorationem injuriarum vel exacerbatio- „ nem animorum: publicè tantùm confitentes delicta ut pa- „ cem & caritatem gloriæ divinæ ſtudio conſervent ſecun- „ dum ſanctam Dei voluntatem, & apud fratres ſororeſque „ culpam verè contrito corde deprecentur. Cum autem „ acceperimus & alios fratres cætus veſtri, inprimis Ca- „ terlam & Carnicium magnam iſti ſcandalo præbuiſſe „ occaſionem; ideo per Deum oramus, ut humiliatis „ cordibus & mutua conciliatione ac deprecatione, non „ tantum illos fratres ſororeſque, ſed & nos conſolentur, „ quo Deus inde referat gloriam, Satanas verò hoſtis con- „ cordiæ & caritatis pudorem. Quod vos pro promta „ benevolentia veſtra facturos minimè dubitamus, ut „ triſtitia ex diſcordia orta tanto majus fidelibus adferat „ gaudium.

„ gaudium. Ut autem deinceps in omnibus actionibus veſtris „ modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, nihilque fiat „ ad contumelia afficiendum nomen Dei, ſed omnia in ſpiri- „ tu lenitatis & vera caritate peragantur, per Deum ro- „ gamus. Pariter obſecramus ut illud incommodi, quod „ ex ſuborta de baptiſmo diſceptatione evenit, in ſola- „ tium veſtrum & noſtrum mutuum vertat. Nam quod „ ad baptiſmum attinet, de quo nata inter vos eſt quæ- „ ſtio, ne omnino ſpiritui divino repugnemus, propriâ „ eaque crebrâ edocti experientiâ ex conſilio S.S. tale tem- „ peramentum inventum eſt à nobis, quò diſſidentes ſe „ invicem æquari putent, ne ab utrinque quiſpiam ad ali- „ quid reclamante conſcientiâ faciendum cogatur, ſed ut „ omnes pacem illibatam conſervent, abſtinentes titulis „ invidioſis Anabaptiſtarum vel antagoniſtarum, perſeve- „ rantes in precibus ad Deum ardentibus, expectantes tem- „ pus Synodo præfixum, quo Deus pro ſua miſericor- „ dia unam viam monſtrabit, in qua nullus fidelium „ impinget, cum ſit ovis obediens paſtori ſuo, quin „ potius tantò majori cum ſolatio geſtit ſolam Paſtoris „ ſui in negotio æternæ ſalutis audire vocem, prout id „ experti ſumus è triſti carcere & infinitorum Antichriſti „ errorum vinculis educti. Qua de re plenius vobis referent „ fratres. Nam hac quoque fini convocari Synodum „ curabunt per iſtum Superintendentem, quem vos con- „ corditer elegiſtis, & cui obedientiam in Domino ſecun- „ dum verbum Dei debetis, eique adjumento eſſe.

Synodus iſta Wengrovienſis, quod oppidum eſt in Podlachia, indicta eſt ad d. XXV. Dec. quo illucè vicinia tanto plures convenirent fratres Litvani, qui pædobaptiſmum propugnabant. Aderant ibi XLVII. Miniſtri, Proceres & Nobiles, præter populum, XIV. cujus præſes conſenſu omnium Hieronymus Philipovius conſtitutus eſt: Miſſæ ad hanc Synodum litteræ ab Illuſtriſſima Matrona Kiſciana Palatina Vitepſcenſi, ab Anna Radivilia, & ab aliis privatis fratribus ſororibuſque: tùm ab Eccleſiis & Senioribus diſtrictuum Sidlovienſis, Lublinenſis, Breſinenſis, & Chelmenſis, & à Synodo Eccleſiarum in regione Carpato monti ſubjecta, Qui omnes ſcri-

scriptis suis monebant, ne memores officii erga Deum paterentur quidquam Ecclesiis inferri, quod non ferrent Scripturæ Divinæ, sed darent sedulo operam, quò omnes concordiam inter eos & caritatem ad ædificationem, non contentiones & schismata vigere audirent. Post multas utriusque partis disceptationes, acerrimè tàm his oppugnantibus, quam illis propugnantibus Pædobaptismum, facta est conclusio talis.

Conclusio Sacræ Synodi Wengroviensis in Articulo veri baptismi jam decreti, confirmati ac conclusi penultima Dec. Anno Domini 1565.

Ad gloriam Dei nostri & Jesu Christi Filii ejus, & omnium fidelium solatium.

„ NEgotium quod hîc Wengroviæ præcipuè agitatum fuit, de baptismo, ut nihil jam de eo dicamus, hanc quæstionem jam à triennio in Polonia, „at longe prius in Litvania à fratribus excussam, cum „primis & publicè in Synodum Bresinensem, allatum „fuit. Cum autem ibi finem accipere non potuerit, „ex hac caussa, quòd se quidam illuc imparatos, alii „nullis mandatis fratrum, citra quorum voluntatem „quidquam inchoare religio sibi sit, instructos accessisse „dixerint, & aliam Synodum ea fini sine mora convocari postularint: ideò omnes eorum desiderio assensi „sunt, cum hac cautione, ne imposterum quisquam „ignorantiam ostendat, vel aliam excusationem adferat, „sed ut quivis se quàm optimè possit ad tuendam caussam suam præparet, & aliis quorum hæc scire intersit, „& qui illuc venire & de hac re agere velint, notum „faciat. Quod factum est Bresiniæ ad nuper elapsum „festum Pentecostes. Cui fini indicta jam est Synodus „huc Wengroviam, in præsens, id est ad festum, quo „memoria Natalitiorum Filii Dei anniversaria celebratur, consentiente illa priore Synodo, cui intererant „Superintendentes Frater Lutomirski, Nicolaus Zytno, „Danus Bylinius, Gregorius Paulus, Stanislaus Paclesius, „Martinus Crovicius, Bartholomæus ex Majori Polonia „Paulus ex Litvania, & alii multi Ministri & fratres. „Quos nominatos Superintendentes ratio officii à dicta Synodo Bresinensi impositi urgebat, ut domum „reversi Synodos indicerent, quo cuivis auditorum, „quibus eloquia Dei dispensant, constare de hoc negotio posset, & quò Ecclesiæ è medio sui quos vellent, ad „Synodum Wengroviensem, hujus quæstionis disceptandæ caussa, ablegarent. Ea fini Synodus ista convocata est huc Wengroviam, eò quòd fratres Litvaniam „incolentes semper se in Poloniam ad celebrandas Synodos evocari, fratribus Polonis nunquam propterea in „Litvaniam vel vicinam regionem commeantibus, quererentur, quo nomine piæ memoriæ Illustrissimus D. „Palatinus Vilnensis nos admonebat, quod monendum „hoc loco erat, ne quis nos autumet aliâ quadam de„caussâ locum hunc elegisse. In qua quidem Synodo iste „ordo servatus fuit, ut post absolutas singulis diebus „preces in Ecclesia, fratres in locum designatum convenerint, ubi proposita fuit ista quæstio: An baptismus infantium sit secundum verbi divini præscriptum institutus, „nec ne? In quam rem omnes & singuli suffragia ferebant ex „ordine, tàm Superintendentes & Ministri verbi Divini, „quam reliqui fratres, quovis rem istam secundum „modulum virium à Domino concessarum deducente. „Dehinc habiti sunt ea de re a nonnullis fratribus sermones ultro citroque tendentes. Id sex dierum spatio factum, & quidem ita, ut integri dies isti negotio impenderentur, non digredientibus fratribus. Alii demonstrabant ex Verbo Dei & historia Euangelica institutionem & mandatum Filii Dei de Baptismo: dein exempla ex Actis & epistolis Apostolicis, producentes multa „loca, quibus superstruebant sententiam suam & fundabant „fidem suam, proferebant, dicentes sufficere sibi solas „divinas scripturas. Cum vero multi humanam respiciant authoritatem, disquirentes quid retro actis seculis „gestum fuerit, ideo iidem aliorum caussà certis indiciis demonstrabant, in antiqua Ecclesia parvulos non „fuisse baptizatos, deducta assertione sua ex historia „Ecclesiastica, & scriptis veterum Patrum temporibus „Apo-

„ Apoſtolicis proximorum. Inſuper demonſtrabant hoc „ ex Agendis, id eſt libris, ex quibus baptiſmum peragunt Romanenſes, Ruſſi, Armeni, Græci, Wittebergenſes, & noſtris propriis, quibus vel huculque uſi fuerimus, vel etiam num utamur: ex quibus ad oculum patet cuivis, qui fideliter id conſiderare velit, rem hanc ad infantes non pertinere. Alii contra, quibus hæc res diſplicuit, iſtis repugnabant & ſat multum improbabant, propugnantes parvulorum baptiſmum, & argumenta adferentes novitiorum, qui multis de hac re ſcripſerunt, quæ etiam Eccleſia Vilnenſis deſcripta miſit, & quæ hîc fuére lecta. Inde talis concluſio ſecuta; ut iſti quidem qui parvulos baptizandos eſſe contenderint, ſuam opinionem mordicus retinuerint: alii verò qui hîc hæſitarint, & ſi nondum conſenſerint, noluerint tamen contumaciter contradicere, ſed potius promiſerint, velle ſe quod verum & rectum ſit, diſcere. Itaque cum in Eccleſia Dei vera alter alteri dominari non poſſit in fide, nec ad eam cogere utraque pars permanſit in ſua ſententia, prout tunc quidem divina voluntas tulit. Adeoque qui tunc in conſcientia verbi divini robore convicti fuére, nolunt amplius facere quidquam quod videant & ſentiant verbo Dei adverſum, quin potius quod cum verbo Dei ſincero convenit in poſterum ſincere debent docere, pariter & de hocnegotio libros edere poſſunt, dummodo nil publico inſciis Eccleſiarum vicinarum ſenioribus committant, tali tamen moderatione, nequemquam prægravent, vel nominent, præter hunc qui apertè & præfractè huic ordinationi Filii Dei adverſari ſuſtinuerit, quo hac ratione caritatem illibatam conſervent, dummodo nil ſit divinæ gloriæ contrarium, vel conſcientiam prægravans. Ad hæc mentio à nonnullis injecta, ut baptiſmus infantibus non conveniat, ita tanto minus quenquam baptizatorum in infantia opinari poſſe, ritè ſe baptizatum, quam rem rationibus & exemplis probatum ivêre. Quibus quidem pauci præbuêre aſſenſum. Erant tamen, qui de eo edoceri cuperent. Cum autem reperti fuerint, qui impium Monaſterienſium facinus in medium protulerint, ea fini ut noviter introductæ (de catechumenis baptizandis) ſententiæ invidiam conciliarent, & nos ad abjiciendam illam, intuitu turpis illius facinoris, inducerent; iccirco Deum hominesque teſtati ſunt, quos illa ſuſpicio petebat, quod quemadmodum adhuc ſincerè obtemperarint Magiſtratui à Deo dato, ita inpoſterum juvante Deo, tantò majorem daturi ſint operam, & pro ſua virili parte allaboraturi ad finem uſque, ut idem non verbis, ſed factis teſtentur, Deum invocantes & ei ſupplicantes, pro ſuo Magiſtratu non tantùm ob timorem, ſed etiam ob conſcientiam, prout Apoſtolus docet Rom. XIII. Quòd ſi quis aliud illis imputare velit, is coram tribunali divino tantæ calumniæ reddet rationem, ibidemque loci admonebant ſe officii, quo ſcil. & ipſi facerent, & auditores à Deo ſibi creditos pari modo ſolerter inſtituerent: tùm etiam exemplo veræ regenerationis & pietatis in modeſtia, ſincera caritate, & erga contradicentes lenitatis Spiritu conſpicuo prælucerent, & pro adverſariis Deum deprecarentur, ne contumelia Dei verbum afficeretur. Quum verò nulli non acquieverint, ne eis offendiculum poneretur admoniti ſunt memores ſint, cum Deus nos vinculis Antichriſti expedire occæperit, qui circa tractationem rerum minoris momenti, ſcil. de imaginibus, de miſſa, tùm de cæna Domini ſat diu, hinc de Mediatore: demum de cognitione unius veri Dei, & vero filio ejus unico, alia ut taceamus, multi conventus fuerint facti, in illis circa ſingula rerum capita ſubortæ contentiones, diſſidia: quàm non omnes verbum Dei receperint: quidam tamen in melius profecerint: alii contra defecerint, & poſtquam ſemel transfugæ facti ſunt, non amplius caſtra noſtra ſequantur; quod quidem & temporibus Apoſtolicis non erat inſolens: ad ultimum nec ipſi Filio Dei omnes fidem adhibuerunt, nec omnes ſimul crediderunt. Tunc & admoniti fuere omnes, nequiſquam id miretur, nec in ſequiorem trahat partem, quod in iſtis colloquiis habiti aliquando fuerint ſermones, qui cuipiam videri poſſint immodeſti & injurii: cum in ejus modi rebus vix aliter fieri poſſit.

„ possit. Verum tamen ibidem loci mutuò se deprecati
„ offensam condonavêre & in caritate ab invicem discesfêre.
„ Hæc autem cuncta memoriæ caussa adnotata sunt
„ pro temporis ratione, certum rei istius cuivis, qui
„ sufficienter de ea edoceri voluerit, fide idoneorum testium
„ probamus. Aderant enim isti transactioni omnes
„ ut Superintendentes, ita Ministri & fratres, in quorum
„ oculis & auribus cuncta hæc fuêre gesta, talis conclusio
„ facta, quæ postmodum conscripta, & coram omnibus
„ lecta. Adhæc omnes rogamus & admonemus,
„ si quid alicui in nobis minus placuerit, vel si quis nostræ
„ bonæ famæ detractum iverit, ne ad culpandam &
„ damnandam hanc rem properet, sed potius nobis alteram
„ relinquat aurem, ac demum utraque parte auditâ,
„ pro concesso sibi Divinitus dono, judicium ferat. Nos
„ parati sumus, divinâ assistente nobis gratiâ, cuivis rationem
„ sufficientem de his ex verbo Dei reddere, pro-
„ ut & ipsi ex eo discimus, cui soli in solidum acquiescimus,
„ & per omnia semper acquiescere volumus: Deo
„ gratias agendo, quòd nos ex hac abominanda Babylone
„ educat, in eo maximum collocantes gaudium & solatium,
„ quòd omnibus reliquis optamus, eosdemque
„ commonefacimus, ne ab inanibus seculi istius pendeant,
„ quæ cito relinquere necesse habebunt, & comparere
„ coram illo Domino, qui nullos, etiam maxima pollentes
„ auctoritate, verebitur, & cui quemque oportebit
„ omnium factorum reddere rationem. Dabantur
„ Wengroviæ d. 10: Dec. 1565.

Stanislaus Lutomirsci Superintendens consentiente Synodo.

HAcce Synodo soluta postquam Vilnam, qui ad eam ablegati fuerant, reverterunt, ac quomodo utraque pars hanc rem controversam discusserit, quidve de ea conclusum ibi fuerit retulerunt, ac demonstrarunt se & paucis nonnullis Litvaniæ Ministris exceptis, uno animo & una voce sententiam illam de rejiciendo parvulorum & reducendo catechumenorum & credentium baptismo,

ptismo, latam fuisse; non acquieverunt huic transactioni Vilnenses, quin potius literas aculeato stylo ad Brestenses exararunt, quarum exemplar merito appono. *Magnum fratres in Christo dilecti, concepimus omnes dolorem, quem & alii fideles concipiant necesse est, videndo adeò dolenda & noxia in Ecclesia Dei dissidia, his præsertim ultimis, & calamitosis temporibus*, quibus, *secundum prædictionem Christi, Apostolorum & Prophetarum Domini apertam, multi apparent, qui fidelibus timorem incussuri erant, prout etiam incutiunt, nominatim & imprimis isti qui sententiæ suæ nimium falsi adeo vehementer & præfractè infidelium parentum liberorum baptismum debacchantur, quales Prophetæ apud vos, & apud nos non pauci reperiuntur. Hanc abominandam pestem alia sequuntur, quod nonnulli haud ita pridem magna cum jactura experti, quod aperta scriptorum testimonia docent. Itaque nos fratres dilecti, officio Christianis conveniente defungi volentes, vos pro ea, qua vos fraterna complectimur caritate adhortamur & oramus per Deum, ne circumferamini levibus ventis dogmatum ab hominibus maleferiatis profectorum sedulo ac constanter providentes quid mali inde sequatur. Certum est ex ista jam olim ab Ecclesia Dei sibilis explosa sententia conversionem Reip. & eversionem Ecclesiæ Domini provenire. Rem ita se habere, haut ita pridem Deus manifestavit; Videmus enim quomodo in instituto suo miseri isti homunciones procedant. Testati sunt ante hac acquieturos se, si solos adultos bona dictante conscientia baptizent. In præsens jam de Virtute in Virtutem progredientes baptismum suum indubium vocarunt, aperte dicentes, se non fuisse baptizatos. Postquam verò voti compotes fient, judicabunt se tali baptismate factos liberos & verè spirituales. Ita se dilatabunt plus plusque artes suas ut boni isti Spirituales hos qui e medio lapsi fuerint vel peccârint, æternæ damnationi & infernali pœnæ addicant, negatâ eis pœnitentiâ. Hæc libertas eos, ut nimiam de se opinionem concipiant, stimulabit quæ ambitiosa opinio eò perducet eos, ut neminem supra se patiantur, imo ut omnes, judice Apostolo Paulo, libertatem velamen cupiditatum suarum habeant. Ut nil dicam de aliis facinoribus, quæ ex isto fætido rivo antehac promanarunt,*

 quæ

quæque etiamnum inde, si res eis ex voto cedat promanare oportet, & si isti qui hujus instituti fundamenta ponunt, speciosis id commendare nitantur coloribus & incrustent. Sed omnia hæc dies Domini patefaciet. Iterum iterumque vos hortamur, & rogamus, fratres dilecti, ut longe fugiatis hanc pestem Anabaptisticam, & alios commonefaciatis acquiescentes simplici institutioni & Euangelio Christi, quod talia subtilia phantasmata ignorat, sed omnibus Dominum accedentibus gratiam & vitam æternam pollicetur. Putamus fratres dilecti vos hanc nostram admonitionem fraternam boni & æqui consulturos, & constantiam ad extremum servaturos, orantes nobiscum Patrem cœlestem, ut nos ab ejusmodi inquietis hominibus in integritate, & pace clementer conservet. His vos Deo commendamus. Dabantur Vilnæ Anno 1566.

Ministri & Seniores & Diaconi Ecclesiæ Christi quæ Vilnæ colligitur.

Ad has literas tam acerbas Bresteuses tale responsum remiserunt.

Deus Pater Domini Jesu augeat vestram fidem. Amen.

INgentes vobis, fratres dilecti, agimus gratias, quòd nos fratres vestros, non tantum litteris compelletis, sed & tristi corde commonefaciatis, & adhortemini, ut diligenter nobis à falsis Prophetis caveamus. Nos equidem in his oris adjuvante Deo ejusmodi Pseudoprophetis non auscultavimus, nec auscultare volumus, quin imò ut nos semel verbo Dei & Patris nostri subjecimus, ita adhuc in hoc instituto constantes permanemus, & auxiliante eodem Patre clementissimo auscultabimus unico Magistro, quem ille nobis dedit & declaravit, ut nostræ professioni satisfaciamus. Christianorum namque nomine insignimur ab isto Filio Dei Christo Domino nostro. Cum autem memineritis, futurum fuisse ut fideles dogmatis Pseudoprophetarum turbarentur, hoc equidem convenit cum eloquiis Doctoris nostri Pseudoprophetas qui ante se venerant & extra se hominibus vitam æternam pollicebantur, fures & latrones appellantis, & docentis, oves

oves vocem eorum non audivisse, nec vocem alienorum nosse, sed obedire & obsequi unico Pastori suo. Hujus Euangelium non est occultatum nisi perituris. Iccirco nos nullum in eo scandalum patimur, nec ulla ratione turbamur eo quo vos turbamini, nimium vobis tribuentes. Nam Pædobaptismum verbi divini auctoritate fundari dicitis, nec tamen illum inde documentum ejus profertis. Hoc solum in subsidium causæ sumitis, quod docentes Pseudoprophetis non esse adhibendam fidem, ipsimet de his prophetis quæ nec nostram nec Ministrorum nostrorum mentem subiêre. Appellatis hanc pestem & ruinam Reip. ac Ecclesiæ Dei. Nos vero id judicamus esse emendationem Ecclesiæ Apostolicæ, ut credentes & confitentes fidem ac regenerati sacramentorum Domini participes evadant. Admonetis nos ne circumferamur quovis dogmatum humanorum vento, & ipsi institutum filii Dei humana auctoritate subvertitis, prout id & in proxime habita Synodo patuit. Nil enim illuc ex verbo Dei depromptum misistis, sed illos quos vobismet in testes elegistis, & lapides adversus Filium Dei collegistis proferentes Virgam Magistratus. At enim nos juvante Deo non retrocedemus, nec sibilis nos ab institutione Filii Dei absterreri & explodi patiemur. Omnes hic junctim sumus per Dei gratiam, nec discimus ferociam vel illa abominanda Antichristi, vel etiam Monasteriensium facinora, sed potius doctrinam Christi, Magistratus reverentiam & obsequium, non tantum ob metum, sed & ob conscientiam. Discimus etiam vitam piam domi agere cum uxoribus nostris, ut qui sciamus Deum soli homini mulierem creasse, & digamos punivisse: quod ubique scripturæ docent, quod filii digamorum vel cubilia paterna polluerint, vel domibus ejecerint, vel violentas manus sibimet intulerint. Discimus etiam ex facultatibus nostris ministrare usibus gloriæ divinæ, scientes integrum esse fratribus possidere prædia: cum & Apostolus Paulus ab his divitibus eleëmosynas collegerit & Ecclesiæ detulerit. Conamur etiam Deo adjuvante fieri spirituales & liberi ab omnibus quibus conscientias nostras homines prægravabant. Hanc vero Spiritualem perfectionem non ita Ministri nostri (quos miseros homunciones indigitatis) intelligunt, ne qui semel colla jugo verbi divini submiserè,

misère, amplius labantur, vel quasi tentationi non sint obnoxii. Namque Dominus electos perpetuò orare jussit Patrem suum, ut sibi debita vel delicta condonet. Apostoli quoque baptizatis liberis Dei cum peccant, Mediatorem & Advocatum Jesum Christum apud Deum ostendunt. Quin imo necesse foret verè regnum Christi ipsi hic datum, nisi lapsi spe remissionis peccatorum erigerentur. Altera enim pars regni ejus, in eo sita, ut agat Mediatorem & Propitiatorem his qui pastoratum ejus nôrunt. In judicio Dei, ad quod & vos provocatis, reddent rationem Domino nostro isti Prophetæ, qui veritate & certo eloquiorum Dei defecti, convolant ad arma, quæ adhuc Antichristus arripere solebat. Cum enim institutionem culpare non potuerit, convertit se ad aliud stratagema, ut prædicârit adversus electos Dei, quasi illi propter explendas carnis libidines Euangelium receperint. Ac proinde per Deum rogamus, ne armis Antichristi adversus Agnum illum, cujus unicus pes plus valet, quàm omnia ista universi arma, bellum geratis. Nos quidem grato animo hoc à vobis accipimus, quod nos ad verbum Dei amplectendum moneatis. Sed cum dolore audimus, vos obedire hominibus. Verum enimvero istis prophetiis vestris institutionem Domini, & fidem nostram non convelletis. Namque Deo auxiliante pro nostra virili parte ex rivis Antichristi egredimur, nec amplius in cœno illorum volutabimur. Acquiescemus etiam, ut aitis, simplici Christo, & simplici ejus Evangelio, qui sceptrum regni sui in prædicatione Euangelii electis Patris sui misit. Quapropter citra subtilitates commentariorum hac sinceritate simplici contenti vivimus, & nos dictis Magistri nostri obedientes semper exhibebimus auxiliante Deo. Prout verò antea doluimus veriti Ministrum nostrum à nobis avocatum iri, ita nunc Deo gratias agimus, quod eum nobis relinquere dignatus fuerit, qui etiam isti pusillo gregi se adhærere sibimet gratulatur. Rogamus igitur vos iterum iterumque ne nos in cursu nostro sufflaminetis, qui ad metam nobis propositam accedimus, ut brabeon referamus: quin imò ut abjectis prophetiis de rebus fœdis Deum oretis, ut quemadmodum incæpit nos educere ex Babylone, ita & perficiat. Nos etiam orationibus vestris jungendis non deerimus. Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus nobis Amen. Dabantur Brestiæ d. 20. Febr. 1566.

Omnibus Fratribus nostris in Christo dilectis

Ecclesiæ Vilnensis tradantur in manus proprias.

Servi Christi, fratres vobis benevoli
in Ecclesia Brestensi.

RApit nos, licet aliorsum properantes memorandum illius Nicolai Wendrogowii exemplum. Morti enim vicinus hypocriseos crimen coram Deo se commisisse confessus est. Rogatus, Quomodo? respondit: quòd cùm se ministrum Domini cœlestis appellaret, sæpe in spem non ejus, sed hominum gratiæ docuerit, vociferans: *Laus mea in opprobrium vertatur, quia quæsivi gloriam meam non Dei*, notante Budcinio. Non mirum eum ab Andrea Regenvolscio in historia Eccles. præteritum.

Postquam hanc controversiam à Polonis & Litvanis acriter agitari Ecclesiæ Transylvanicæ acceperunt, aliquoties datis literis eosdem monuerunt, ne contentiones & rixas de hac re traherent, quæ minus illis necessaria visa, quasi antiquis illis temporibus & conversis ex Judæis, vel gentibus ad Christum conveniens, quod prolixo scripto tunc docuerunt, in quo & Judaizantis Spiritus indicia apparuêre. Questi sunt inter alia baptismi ritui necessitatem salutis alligari, & ex baptismo novum veluti Servatorem fieri, ac, idolum æneo illi serpenti simile: adeoque qui hoc faciant, perinde facere quam si quis arcam Noachi, vel jugum Jeremiæ, vel sagittas Regis Johasi quærere & captare velit. Adhæc prolixè docent baptismum primordii Christianismi, conversionis gentium & miraculorum secutorum respectu ut Agni Paschalis sanguinem & ænei serpentis conspectum non posterioribus convenire, cum & ipsi Apostoli liberos alteru-

alterutro parentum fidelium natos pro ſanctis judicarint, & res ipſa doceat, liberos utroque parente Chriſtiano ſatos & in religionis Chriſtianæ pietate educatos Sanctos & fideles, ac minime, etſi baptizati non fuerint, perituros eſſe: tùm ſublato errore de peccato originali, conſectarium ejus ablutionem ſcil. ejus per baptiſmi lavacrum, tolli. Quæ cuncta cum grano ſalis accipienda. Neque tamen illa controverſia inter diſſentientes ſopita, imò maximo conatu his oppugnantibus, illis propugnantibus pædobaptiſmum tandem veritas de catechumenis per baptiſmum Eccleſiæ ſolenniter inſerendis, ut ex attritione chalybis & ſilicis, ignis, emicuit. Quamvis enim hæc controverſia de baptiſmi neceſſitate & renovatione inter Martinum Czechovicium & FauſtumSocinum ſcriptis etiam publicis contentè fuerit diſputata; tandem tamen & veritati & caritati, id eſt ſimplicitati & prudentiæ ſatisfactum, poſtquam rejecto pædobaptiſmo verus & primitivus catechumenorum baptiſmusEccleſiæ reſtitutus & in ea confirmatus fuit, ac adæquatum diſſidentibus ſententiis conciliandis inventum medium, ne pædobaptiſmus omninò damnaretur quibuſdam locis, (ut in Tranſylvania, ubi majoris ſcandali vitandi cauſſa & parendo neceſſitati parvuli baptizantur, quod & in hac gravi perſecutione fratres in Pruſſia faciunt) toleraretur, illis vero qui in infantia è ſacro baptiſmo levati fuêre, libertas relinqueretur verum baptiſmum in ætate adulta ſuſcipiendi, vel omittendi, ne cujuſquam conſcientia gravaretur. Meretur hic commemorationis officium *Nicolaus Cecocius* Vir ut nobilitate generis, ita & pietatis conſtantia ac ſingulari hoſpitalitate, in Curavienſes advenas (quorum duces *Joan. Nemojevius* Judex terræ Inovroclavienſis, gente Rolitius, Vir genere, meritis & pietate eximius ac depoſito magiſtratu, licet piè geſto, verus ſeculi fallacis transfuga & germaniſſimus ejus amicus *Valentinus Breſinius* Senior Anno 1564. fuêre) in provincia Lublinenſi exercitu præclarus. Is enim diu baptiſmum, priſco illo more, dilatum, morbo diuturno & gravi præpeditus ex voto non ſuſcepit. Primus qui genuinum baptiſmum illo puerili (quem cum per aſperſionem non per immerſionem fiat rhantiſmum potius quam baptiſmum dicendum

cendum eſſe ſupra affirmavimus) rejecto ſuſciperet,

Joannes Securinius erat, Vir ſimplicitatis eximiæ, at in ſacris litteris exercitatiſſimus, concionator facundus, gravis acutus: quem non unus ſuorum vitiorum, ut Demoſthenes Phocionem argumentorum, ſecurim dicebat, monitor zelo flagrans, veri tenaciſſimus. Pietatis, etiam in cultu corporis, qui ei per exiguus imo vilis erat, obſervantiſſimus, quem cum auditurus animi cauſſa *Joannes Seninius* gente Debnius Palatinus Podoliæ, Vir Illuſtriſſimus & elegantiſſimus mundi aſſecla acceſſiſſet, flexanima eloquentia & ſingulari ardore perculſus, ut dum concio haberetur aliquot ſudaria lacrumis madefecerit, & inde egreſſus, rogante Petro Caſimirio gente Biberſteynio ſtrenuo veritatis confeſſore, licet ei frater Epiſcopus Xiovienſis fuerit (quem utpote militem regenitum Orphanovius in Heroibus Chriſtianis Cornelio Centurioni illi pio comparat) num ridere nunc placeret, reſponderet: *Niſi ita ut iſte Vir pius docuit, vixerimus, omnes æternum peribimus.* Inter primos reputandus & *Petrus* ille *Pulchraninus*, quem ſupra vidimus, quem hac de cauſa nobilis quidam genere, at moribus ferus, è Laſctziorum gente malè multatum in Stagnum profundum conjecit, quem tamen Deus mirabili ratione præſenti tunc vitæ periculo eripuit. Quibus merito accenſendus *Andreas Lubieniecius* Senior *Staniſlao* & N. *Sobievia* natus, quod cum liberaliter educatus, Regis Henrici Valleſii ſumtu, commendante eum Budzovio Palatino Breſtenſi Cujavienſi (hæc illi patria) ut pote ſanguine junctum & magnæ expectationis juvenem, in Academia Pariſienſi, unà cum aliis ſelectis equitibus Polonis vi pactorum cum Rep. factorum altus, & ad præclara quæque natus videretur Magno illi Famoſcio, quem pariter ſanguine attingebat, & qui bona ingenia benigne, quod vel exemplum Staniſlai Follievii (è qua gente Andreæ Noverca fuit) ejus in utroque Magiſtratu ſupremi Cancellarii & exercituum Ducis, ſucceſſoris, docet, promovebatur, quin & gratia Regis Stephani, cujus Aulam ſequebatur, polleret, ac inſignes honores ſperare poterat, relictâ Aulâ Cracoviæ Veliciam, tertio ab urbe lapide oppidum ſe

se conferens genuino ritu baptismi splendide vestibus suscepto Ecclesiæ magna cum Aulæ admiratione se adjunxit. Quin imò & ministerii munus postea in se suscepit, illudque solus proprio stipendio obivit, ac fratribus natu minoribus Stanislao & Christophoro bono exemplo prævivit. Martinus ille Cechovicius postquam ex Cujavia sedes cum sex fratribus Lublinum transtulit, multos ad iterandum vel potius rhantismo commutandum baptismum permoverat. Nam acriter oppugnaverat Pædobaptismum, non tantùm scriptis Polonicis, sed & Libro Latino, cui titulus: *de Pædobaptistarum errorum origine & de ea opinione, qua infantes baptizandos esse in primo nativitatis eorum exortu creditur*, quem typis Theophili Adamidis impressum Anno 1575. Viro illustrissima dignitate & summa pietate conspicuo Joanni Kiscæ à Ciechanoviec, Generali Præsidi Samogitiæ & in Magno Litv. Ducatu S. R. M. Pincernæ inscripserat. Is manibus hominum etiamnum teritur stylo sat acuto exaratus & grandem invidiæ molem in eum devolverat & in discrimen salutis conjecerat, dum illa *virga magistratus* peteretur prout ipse in dedicatione hujus libri memorat. Sociam ei navarunt operam Niemojevius ille, tum Gregorius Pauli, Securinius, Calinovii & alii Racoviæ degentes, quod oppidum in provincia Sendomiriensi Sieninius ille Palatinus à nomine uxoris suæ Gnoiniæ gentis Polonicè nostro idiomate *Rak*; id est, Cancer Anno 1569. exædificari cæptum, appellaverat. Auctor tamen vitæ F. Socini Magnus ille *Samuel Przypkovius* adnotat Securinium primum sententias Socini & amplexum fuisse & propugnasse: tum secutos alios, & inter eos tergeminos illos fratres Lubieniecios, tum demum Juniores Ministros, qui ad amplectendam mitiorem ac mediam Socini sententiam, non obstanti senili auctoritatę & præconceptæ opinis præjudicio erant faciliores. Czechovicius qui ut Socino infensus, ita & Andreæ Lubieniecio ob diversam de baptismo sententiam iniquior fuit, morti tamen vicinus sui sequaces ad perseverandum in Ecclesia Minori (sic tum nostra vocabatur, posteaquam se ab ea separavit Calviniana Major dicta) admonuit. Magnum partibus Socini addiderat nomen tum ut Alberti Coscenii, qui in Ministerio Ecclesiæ Cracoviensis successerat Gregorio, invidia Calvinianorum, Palatinum & Præfectum Urbis Stanislaum Myscovium sibi addictum in eum concitantium, ferventi tincta veneno Cracoviâ Racoviam pulsi, moderatio, ita præcipue Stanislai Lutomirii Superattendentis Ecclesiarum Minoris Poloniæ, viri eximia pietate, eruditione & prudentia conspicui auctoritas. Cum enim eum *Nicolaus Paruta* Italus de hac controversia litteris compellasset, vulgo recepta tuens dogmata, his verbis ei inter alia respondet: *æque ut cœnam Domini ita & baptismum in cætu piorum administrari debere non negant cordati pietatis amantes. Scimus tamen locis & temporibus non esse allegatos. Facessat superstitio ædificationi, omnia serviant paci ac tranquillitati Ecclesiæ.* Volebat quippe, notante Budzinio, Paruta, ut cum baptismi iterationem ad salutem crederent necessariam, fieret ea per ablutionem in Ecclesia, ne se immergendo publice immergerent periculo, ob solum ritum. Sed in eo assensum illorum non obtinuit. At moderatio illa Ecclesiæ firmo talo consistens etiamnum inconcussa permanet. Verum tamen & genuinum baptismum Robcoviæ in provincia Cracoviensi suscipiendi Viro nobili & pio Christophoro Wiscovio Pincernæ Bielscensi, olim Ducis Janussii Radzivili Aulico, & duro Calviniano, sed post modum regenito & vero Christiano, omnes seculi illecebras & uxoris iras spernenti, relicta Anno 1653 libertas.

CAPUT IV.

De persecutionibus ob impugnata dogmata de Trinitate & Pædobaptismo à Pontificiis & Calvinianis adversus veritatis confessores excitatis.

NEmo æquus mirari, nemo pius indignari & queri satis potest homines qui Christiani vel Catholici, vel Evangelici vel Reformati, omnes Orthodoxi appel-

lari volunt in homines ſententia de rebus fidei diſſidentes Chriſtianos tamen religione, multos etiam populares imo & neceſſarios, ob ſolam differentem religionem tantopere ſævire poſſe. Me quidem judice, nulla tetrior hæreſis ſub ſole datur. Eſt enim tyrannis iſta ſacra, non tantùm in regalem caritatis legem ac majeſtatem divini numinis, cui utpote cordium auctori & ſcruatori omnipotenti & omniſcio, eoque unico mentium Regi & judici omni exceptioni majori, imperium in conſcientias competit, ſed & in ipſam humanitatem ac civilem ſocietatem injuria. Adeoque doctrina iſta divinis ſcripturis, leni manſuetoque Chriſti Spiritui, inſtitutioni & praxi Apoſtolicæ, ac moribus primitivæ, quin & trium priorum ſeculorum Eccleſiæ contraria, Satanam auctorem, duces Cainum Judæos, gentiles, Antichriſtum Romanum habet. Quàm teterrimis & internecinis prope bellis Germania utraque, Gallia & Anglia ex hac cauſſa concuſſæ & miſerum in modum afflictæ fuerint, in præſens perſequi noſtri non eſt inſtituti, a præſertim cum id officii ſeræ poſteritati alias præſtiterimus. Felicem dixero noſtram olim Poloniam, quæ ſe ejuſmodi ſacris & exitialibus bellis implicari non permiſerit, & ad cruentas perſecutiones, exceptis paucis quibuſdam privatis hominibus, quos ſupra vidimus, non deſcenderit. Atrox tamen præ cæteris invidia Hieronymum illum Philipovium appetiit ſingulari ſtudio Divinæ veritatis propagandæ accerſita, ita quidem, ut in eum omnes veri oſores licet alioqui non levibus tàm diſſidiis quàm odiis laborantes invicem conſpiraſſe ſe merito dici potuerint. Mota de officio Mediatoris, de perſona Filii Dei ante mundum conditum geniti, de iterando baptiſmo certamina magnam confeſſoribus veritatis conflaverant invidiam. Idcirco inſtigantibus adverſariis Romano & Lemano Spiritu ductis, Rex Auguſtus in Comitio Lublinenſi Anno 1566. Legem horrendi carminis in Anabaptiſtas, & Trideitas latam promulgari curavit, qua ii intra menſem regni finibus excedere juſſi. Atque hoc inprimis Philipovium perculit, qui tunc non tantùm religionis, ſed & Matrimonii cum uxore gente Comorovia Comitum Ziveccenſium familiâ oriunda, & My-

a In Hiſtor. Comet.

ſcovii Caſtellani Velunenſis vidua contracti, quod Myſcovios defuncti fratres & neceſſarios dignitatibus & opibus illuſtres peſſimè habuit, tum & quæſturæ invidiâ quam in provincia Cracovienſi patria exercebat, premebatur. Provinciales indictionem certam ſanxerant. Quam cum Rex appeteret, Primores ne hæc Regi traderetur; Quæſtori Philipoviæ injunxerunt. Interim qui in eum malè affecti erant, Regis odium ei per hoc accerſiverunt. Igitur id egerunt, ut per legem illam Philipovius, tanquam Anabaptiſtarum fautor, capitis ſupplicio afficeretur. Etiam Cracovienſis municipii ablegati eum deſeruêre. Solus ex illis Prilecius cauſſam juſtam tutabatur. Tanta rei indignitas & iniquitas generoſum pectus permovit, ut in Concilio in hæc verba eruperit. *Nunc quidem vos injuria afficitis me miſerum. Sed veniet tempus, quo alius Rex jus dicet & ſuperior cauſſa evadet, qui ſuos tutabitur.* Id quidem ille quod & fides ac probitas ejus intaminata & res ipſa docet, de cæleſti Rege protulit. Verum tamen traxit id in ſuſpicionem & crimen Joan. Zamoſcius unus ex Delegatis Provincialibus, ſequius id de Joanne Principe Hungariæ, quem Regis Auguſti ſorore natum ſupra vidimus, interpretans, & dextrâ porrecta ſiniſtrâ accipiens, imo & de ſuo apud Regem addens Philipovii criminandi cauſſa, quaſi is adventum Joannis ad invadendam tyrannidem intra annum pollicitus fuerit. Pupugit hæc dilatio Regis animum, ut qui quidpiam ſimile mente divinationibus & præſtigiis obnoxia concepiſſet. Concepit ideò & indignationem ac in innocentem Philipovium offenſam & iram. Concepit & Philipovius merito indignationem & dolorem & in animo habuit de injuriâ à calumniatore ſibi illatâ ac læſâ bonâ famâ queri. Sed avertit eum à propoſito Staniſlaus ille Cicovius, boni & prudentis viri officio functus, poſtquam ipſi in aurem dixit, tùm ardenti odio Zamoſcium in ſe flagrare, ut id ei coram Rege certo objecturus ſit. Ita profuſis lacrymis opportuno ſilentio tegens intimo conceptum dolorem, & prudenti conſilio obſecundans, à propoſito deſtitit. Neque tamen, ut cordatus erat, bonam cauſam per inertiam deſeruit. Sed Zamoſcii patrem, qui tunc jam Caſtellani Chelmenſis Se-

natoria fungebatur dignitate, adiit, inque sinum ejus acerbum effudit dolorem. Pater tàm atrox delatoris & calumniatoris nomen de filio audiens, & quam Philipovius vitæ fuerit integer, probè gnarus, accitum filium graviter & severe corripuit, abdicaturum se eum & vel necaturum, ni tàm pudendum facinus linquat sminitans. Ita eum formidine pœnæ coërcuit. At Philipovius tuendæ saluti invigilans, summo mane Amicis juvantibus, à Rege auditus. Ibi ille de atroci injuria sibi à malevolis illata queri: dolorem etiam justum de Regis animo contra innatam benignitatem delatione & calumnia exasperato fateri: innocentiam vindicare, productis documentis authenticis invidiam negati sibi tributi amoliri, malevolorum fraudes prodere: Regi per omnia fide probata satisfacere: isti dictis veritate fundatis acquiescere, non sine lacrymis fateri. *Gens tua & Populus tuus, Philipovi, tradiderunt te mihi*: offensam ex corde ejicere. Placato Rege exsultavit innocentia. *Et finem pietas contigit ista suum.* Interim malevoli in regiam, sub ipsum prandii tempus convolant magno numero, nec minore ausu, Regem in Philipovii mortem propellere conantur, tempore nimis alieno, postquam in multam lucem stertcrunt ut indomitum despumarent falernum. Quamobrem Rex negotium eorum per jocum boletis comparavit Doctoris Mechovitæ in arte Medica præstantissimi, qui de istis terræ ulceribus dicere solebat, purgandos in aqua, elixandos in olla, torrendos in butyro, tandem cum frictorio per fenestram, ne lethum afferant ejiciendos. Ussit omnes malevolos, & adussit quosdam eorum ardens in vindictam ira, pudore licet velut frigida suffusa, sed eo ipso renitente malitia plus plusque exardescens & excandescens, ita ut tandem nonnulli igne proprio è vistigio consumti fuerint, cumprimis Myscovius Mareschalcus Curiæ Regni, Volscius Castellanus Sendomiriensis & Zucovius Delegatorum provincialium unus. Sed ut *Nunquam bella piis nunquam certamina desunt : Et qui cum certet mens pia semper habet* : ita Vir iste pius assiduis fere Satanæ assultibus appetebatur. Quod etiam tunc paulo post evenit. Cum enim fratris filiam Viro nobilissimo Gnoinio, gente

te Rakio matrimonio in Petricoviciano collocaret, *Simon* ille *Zacius* cætus Cracoviani Minister, habita concione hora diei 14, prædixit pro cathedra quid in loco aliquot milliaribus ab urbe dissito hora 18, qua novorum nuptorum par solemni ritu cum impertita benedictione copulabatur, gestum fuerit aliquoties ingeminans Philipovium Neonymphos in horto sub picea (ubi mendacem oportebat esse ex veteri dicto, memorem, cùm Juniperus non picea esset) nudos expositurum conspectui hominum. Memoriæ tradit Budzinius testis omnium oculatus, & quorum pars magna fuit, (œconomum enim in illis nuptiis egit) *Prosperum Provanam* natione Italum, virum pium & candidum, qui illi concioni interfuerat, literis ad Philipovium datis eum de hac re reddidisse certiorem. Quibus publice inter convivas lectis, omnes tàm majoris quàm minoris Ecclesiæ asseclæ & extranei perversitatem viri illius mirari satis non poterant. Sparsus tamen in vulgus falsus iste rumor etiam in Regiam serpsit. Hinc Padnevius Episcopus Cracovius Budzinium tributum pendentem obtestatus, an hæc ita se habuerint seriò rogavit. Comperta autem veritate, *Viden'*, inquit, *Budzini*, *tuos Euangelicos*, *non meos Catholicos talia de vobis dicere! Quomodo fides reliquis adhibenda, dum ita mentitus est iste Minister, isque senex?* Addit hic epiphonematis loco Budzinius: *Qui & fides habenda Episcopis tot horrenda de Ario spargentibus. Id quod & de Paulo Samosateno, Photino, aliisque, quorum omnia scripta adversæ partis impotentia pro libitu grassans nobis invidit, sentiendum.* Finito illo comitio Lublinensi, & latâ à Rege illa atroci in Anabaptistas, auctoribus Proceribus Evangelicis, & hos instigantibus Ministris illis Sarnicio, Gilovio, Sylvio & Zacio, ac Trecio homine Scholastico notæ perversitatis viro, sententiâ, haud tuta fuit inermis & injuriis obnoxia innocentia. Hanc quippe adversariorum veritatis factio viribus ut præpollens, ita & ferociens ac ut studio partium, ita & iræ ob adamatos errores vitiis patrocinantes conceptæ nimium indulgens acriter appetebat. Qua in re cum N. Myscovius metropoleos regni præfectus cæteros feritate superaret,

 Gre-

Gregorius Pauli infensum eum sibi sciens, præsens periculum tempestive subterfugit. Albinus tamen ex Ivanoviciano & alii nonnulli fratres velut dispersas luporum metu oves collegêre. Quibus tandem Pastor Albertus ille Coscenius datus. Nonnulli rus vitæ quietæ amore illecti, concessêre. Budzinius quoque domum quæstori Philipovio designatam inhabitans fratribus cogendis, solandis, monendis, ad preces secum fundendas alliciendis non defuit, usque dum sæva illa procella desæviit. Nec immerito imbellem Christi turbam ferox ille Anti-Christi Spiritus potentia virium & favore seculi armatus gravi perculit metu, postquam Geneva à Roma Sacram tyrannidem atrocibus suppliciis & acerbis Scriptis asserere didicit. Erant adhuc in oculis recentia Serveti, Valentini Gentilis, Sylvani Gribaldi, Ochini exempla, quos Genevensis ille vel perdidit vel ad mortem persequebatur Spiritus zelo fervido & ferro armatus, qui etiam cunctis hæreseos damnatis, quales non minus inventorum Calvini æmuli, quam omnes reliqui Romanensium judicio sunt, improvidè feralem ictum intentavit. Terrebat & exemplum Adami illius Neusneri quem integro decennio Heydelberga tetro carceri mancipatum tenuit, quem nec pietas nec eruditio eximia, nec præclara merita, tantæ calamitati subducere poterant. Sed Deus optimus maximus qui mirabilis est in suis operibus, modo prorsus admirando bonum hunc Virum veluti misso ei Angelo liberatore, quod de Petro Apostolo in historia Sacra legimus, ex carcere eduxit. Res ita se habet & commemorationem meretur præeunte Budzinio. Additus ei erat ex ordine custos satellitum Electoralium unus. Is dubio procul pietatis Adami conscius & diuturnæ afflictionis ejus misertus, carcerem ingrediens cum eo unà cubaturus, pro salutatione compellare hominem; *Adhuc ne es in isto carcere?* Is respondere, *quidni hîc sim miser, quem dura attinet custodia?* Ille verò dicere: *Nonne tibi sunt oculi? vel nonne es ratione præditus?* Hîc demum Adamus agnoscere, missum sibi à Deo Angelum ad se liberandum: tùm isto absolutâ custodiæ vice digresso, an possit effringere fores, quæ pergulam & aream respiciebant, unde, utpote, ex loco edito haud facilis descensus erat, circumspicere: tandem modum diuturnâ miseriâ semet expediendi monstrante Deo invenere. Illum Satellitem digressum excepit alter homo elatioris Spiritus & vino deditus, eoque ad faciendum custodiæ officium minime, sed ad dandum captivo exeundi tempus maximè, idoneus. Is carcerem ingressus & lectum, in quo ei unà cum captivo cubandum erat, adspiciens sordidum, istum dedignari, carcerem, captivo compellato: *Cuba tu hic in istis sordibus, ego interim in hospitio cubabo*, claudere, linquere. At miser captivus opportunitati semet carcere tetro liberandi invigilans, omnes stragulas & quidquid linei & lanei ad manus erat, in cingulos conscindere, ista simul instar funis ligare hinc fores illas effringere, tandem se deorsum demittere. Atque ita vir ille pius truculentas adversariorum manus evasit. Inde fugiens Gallias & Belgium peragravit, nequicquam tutum quærens receptum, odiis & bellis sacris flagrante orbe. Ita Smiglam Poloniæ Majoris oppidum venit, ubi aliquandiu subsistit. Sed cum nec ibi tuto vitam agere posset, in Transylvaniam, in qua Joanne Scepusio, Principe illo pio & veritatis amantissimo pax sacra florebat, se contulit. Cracoviam à quodam Ministro verbi divini deductus, quo & Joan. Sonerus Vir pereruditus (qui odia malevolorum pariter fugiens) eodem die venerat. Ita simul die 15 April: in iter se dedêre comitantibus aliquantum fratribus. Postquam Claudiopolin venêre, periculum mox, quæ sors est cultorum veritatis, invenêre. Erat enim aliquis explorator, qui eos ad Magistratum detulit. Rerum tunc ibi Stephanus Rex Poloniæ, delato ad Fratrem Christophorum Batoreum imperio, potiebatur. Ita tunc Transylvania dispari domino dominabatur: præsertim cum Franciscus Forgacius, olim Episcopus, Pontificio Spiritu, veritati & omni æquitati inimico, plenus, in locum Czascii Viri grandævi, qui sub Principe Pontificio provinciam Cancellarii obire nolebat & sponte Magistratu se abdicârat, suffectus esset. Hinc à vitâ libertate religionis diminutâ & patriis juribus violatis, trito tramite ad exilia,

exilia, carceres, cædes, indomita ferebatur tyrannis. Quæ cum Adamum quoque peteret Claudiopolitani non tantùm vultûs ejus, gravitate, sed & eruditionis præstantiâ ac morum sanctimoniâ in cultum & amorem ejus pertracti, etiam capitis periculo & corporis objecta eum tutari volebant. Sic ei parta quies. Brevis tamen. Nam, exacto trimestri necesse habebat, periculo sibi ab exploratoribus Cæsareis imminente, solum vertere, & Constantinopolin (quam & Alciati fortunam fuisse supra vidimus, adeò Turcæ ante Christianos æquitate & humanitate longe sunt!) confugere. Ibi eum compellavit Palæologus ille, qui deplorabat sortem hominis. Nil amplius de eo memoriæ quod sciam, proditum est. In præsens de Palæologo (*de Palæologi vita, moribus, & morte, Vid. Socinum F. contra Unjelium editionis secundæ cap. 2. fol. 42.* occasione mentionis de eo factæ, aliquid dicendum venit, quanquam & ipsum argumentum, quod præ manibus habemus, illuc nos ducit. Hujus historiam brevem, ut & plurima historiæ huic inserta, eximiæ diligentiæ Jacobi Riniovicii (: qui consilio fratrum urgente persecutorum malitia Trembecii maternum assumsit nomen:) viri pereruditi, pii & de Ecclesiis Polonicis optimè meriti, imo & in hacce dispersione adhuc optimè merentis, debeo. Fuit is vetere & illustri Imperatorum Græcorum sanguine cretus, qui ut Romam venit, & dissensum à vulgò receptis dogmatis prodidit, officio Sacræ, ut vocatur, Inquisitonis, quæ est vera mentium & corporum Antichristiana carnificina, subjectus, & in carcerem conjectus fuit. Inde effracto carcere in Germaniam primum ad Protestantes, inde in Poloniam ad nostrates confugit: quibus cum ei in articulis maximi momenti, scil de Filii Dei divinitate & invocatione, ac magistratus jure non convenit. Inde in Moraviam digressus, frustra Pii v. Pontif. Romani insidiis appetitus, tandem postulante Gregorio XIII. ab Imp. Maximiliano captus, & Romam missus fuit. Ubi tetro carceri mancipatus, sententiæ suæ tenax, ad Rogum damnatus est. Quem, ut & duos veneficos palis alligatos, vidit, horrore acerbissimæ mortis perculsus, palinodiam se velle canere pro-

fessus, à rogo retrahitur. Cum autem in vinculis adhuc hæreret, pristinæ sententiæ retinens visus, denuo ad flammas damnatus miseranda periit morte.

CAP. V.

De exorto aperto Ecclesiarum Schismate posthabitum in conventu Petricoviano 1565. colloquium.

DUrante quinque vel sex annis de Trinitate dissidio, pars veritati & paci amica, ne id in apertum schisma erumperet, omni nisu prohibere conabatur; confessionem religionis æquitate, modestia & caritate cunctis commendare studens. Commodum autem accidit, ut ad celebrandum Ordinum regni conventum Anno 1565. Petrocoviam plurimi omnis generis homines confluxerint, adeoque & Ministri verbi, quos Magnates & Equites secum in Comitium florente jam tunc libertate, licet nullis legibus cautâ, adducere solebant. Hos cum inter & Gregorius Pauli esset, omnem movebat is lapidem, quò concordia post liminio revocari posset, instituto præsentibus Patronis, viris gravibus & moderatis, colloquio. Atque hoc tandem sollicitis precibus Philipovius divinæ gloriæ flagrans zelo, pro ea qua pollebat auctoritate cum aliis nonnullis Equestris Ordinis viris, præsertim cum non pauci fuerint, qui neutras partes sequerentur, obtinuit. A parte confessorum veritatis designati collocutores Gregorius ille Pauli, & Georgius Schomanus Minister Lublinensis, præsentibus ex ordine Senatorio & Equestri Joanne Lutomirscio Castellano Siradiensi, Nicolao Sienicio (Demosthene illo Sarmatico) Cameræ Equestris Præside, Joanne Nemojevio Judice & Delegato Inovladislaviensi, Stanislao illo Lutomirscio Secretario Regio, Superintendente Eccl. Min. Pol. & Hieronymo Philipovio, qui Director concilii à parte sua constitutus est. Aderat & Joannes Paclesius minister verbi, ut testis & judex unà cùm aliis. Notarius hujus partis erat constitutus Albertus Romeus Minister Bressinensis. A parte Trinita-

nitariorum collocutores & schismatis auctores fuêre Stanislaus Sarnicius cum suo Discordia, Jacobus Sylvius, Joannes Rocita & Christophorus Trecius Rector Scholæ Cracoviensis. Judices & testes eis fuêre Joannes Firley Palatinus Lublinensis & Magnus per Regnum Mareschalcus, Joannes Tomicius Castellanus Gnesnensis & Jacobus Comes Ostrorogus: Præses Stanislaus Myscowius Castellanus Sendomiriensis: Notarius actorum colloquii fuit eis Nicolaus Dlusejus junior. Postquam in condictum locum ventum est, Gregorius in illo Concilio in hunc fermè modum verba fecit:

Memini ego me ante annos aliquot in Synodo Secimi-
,, nensi ex ore Petri Gonesii, quem ego virum & pium
,, & doctum, licet à me in nonnullis dissentientem, meri-
,, tò magni facio, per quos gradus ultra primævam veri-
,, tatem processum sit, & errores provecti fuerint, au-
,, dire. Quæ quidem, fateor, tunc animum meum per-
,, culerant, & mox ad investigandum solertius primævæ
,, veritatis certum permoverunt. Hinc ego me totum
,, denuò diligentiori SS. LL. lectioni & acriori earum exa-
,, mini tradere: veteris & Novi Instrumenti monumen-
,, ta, in illis promissa divina de Messia, in his istorum
,, effectum conferre: cuncta simul comparare: veterum
,, etiam scripta excutere. Sed post multos labores & co-
,, natus, nil æquè tutum, quàm divinæ scripturæ lectio-
,, nem, & genuinum ejus sensum, quem clarissima ver-
,, ba satis produnt, reperiri, & ad hunc Lydium lapidem
,, cuncta humana, uno animo unoque ore consentiente an-
,, tiquitate, jurè meritoque examinanda esse, video, si
,, quid video. In ipso certe Symbolo quod Apostolicum
,, vocatur, quæ de descensu ad inferos leguntur, possunt
,, quidem cum scriptura conciliari, stylum tamen Apo-
,, stolicum in tàm brevi articulorum fidei creditu ad salu-
,, tem necessariorum compendio, non sapiunt. Unde
,, illa nec Orientale vetus, nec Romanorum Symbolum,
,, legunt. Sed nec regula fidei, quam unam *solam im-*
,, *mobilem & irreformabilem.* [a] Tertullianus alicubi vo-
,, cat. Ubi nec illa tertia Symboli pars legitur, quæ
,, etiam stylum Apostolicum in tam exiguo credendorum
com-

[a] l. de vel, virgin.

,, compendio, ut res ipsa docet, non redolet quamvis
,, cum eo, sicut & illud prius, conciliari queat. Quod
,, si symbolum Apostolicum, in quod omnes, qui Chri-
,, stiano censemur nomine, Patrem, Filium & Spiritum
,, S. confitendo baptizamur, æqua & benignâ explica-
,, tione opus habet, tantò magis Nicenum eâ opus ha-
,, bebit. In hoc enim vox τοῦ ὁμοουσίου (*consubstantialis* sive
,, *coëssentialis*) de Filio contra Arium inventa, & licet scri-
,, pturæ ignota, tamen in Ecclesiam, frustra nitentibus
,, multis, qui id vocabuli, nonnullis quoque qui & id
,, ipsum dogmatis rejiciebant, introducta est, sicut mul-
,, ti veteres & recentiores apertè fatentur, & nemo pro-
,, fectò rerum gnarus negare potest. Id autem vocabuli
,, novitii tantum diffidium attulit, ut totus orbis Chri-
,, stianus propter unum apicem atrocissimis bellis com-
,, mitteretur, dum alii Homousion, alii Homojusion
,, Patri Filium statuerent. Cui quidem voci, si in S.
,, Script. extaret, nequaquam jota addendum fuis-
,, set. Atque utinam nunquam illa adjectis vocis pe-
,, regrinæ SS. LL. ignotæ, citra quam Arius erro-
,, ris per istarum claram institutionem de uno Deo
,, Patre & de filio ejus Jesu Nazareno virtute Spiri-
,, tus S. ex virgine genito, Christo Dei, Rege cœle-
,, sti convinci potuisset, facta fuisset! Pravo enim con-
,, silio & tristissimo eventu factam esse res docet. Tantò
,, magis cum Homousian novitium dogma armis præfra-
,, ctè tuerentur, & Arium convitiis & calumniis one-
,, rarent. Atque id etiamnum injuria faciunt Monachi Ro-
,, manensium, sed & isti qui à Papatu recesserunt, cum
,, tamen Arius Antenicænos, imprimis Origenem, Ter-
,, tullianum, Theophilum, Antiochenum, Dionysium, Ale-
,, xandrinum, Lactantium, magni nominis Duces de fi-
,, lio Dei Antesculari vel Antemundano, qui à Patre alius
sit numero & substantia, Deo, secutus fuerit. Quâ sen-
,, tentia, si latum unguem à veritate discedamus, nulla
,, est antiquior. Licentia illa in Arium exercita, quàm
,, multorum dehinc malorum, Reip. Christianæ infau-
,, storum, causa fuerit, & quæ partium studia, quæ in-
,, vidiosa sectarum & hæreseon nomina, quæ internecina
odia

„ odia (quæ proh dolor ! etiamnum durant) pepererit,
„ notum est. His artibus crevit dogma de Trinitate, in-
„ jurium in Deum: cum isti idolo non magis cum Dei
„ verbo, quàm spissis tenebris cum Sole conveniat. Il-
„ lud tamen Symbolum Nicænum in verbis *Credo in Spi-*
„ *ritum S.* subsistit. Quibus demum reliqua in concilio
„ Constantinopolitano, illa verò FILIOQUE etiam lon-
„ ge serius addita fuêre. Jam quid dicam de Symbolo,
„ quod Athanasii esse dicitur? quamvis non desint ra-
„ tiones validæ, quæ probent non esse ab illo conscri-
„ ptum, cùm & institutioni fidei ab eo in aliis libris
„ traditæ non conveniat, & post ejus tempora fuerit
„ vulgatum, ideò nec in censum librorum ejus relatum.
„ Nam Nicæni quidem Unum Deum Patrem, rerum
„ creatorem cum Symbolo Apostolico (quamvis id in
„ Concilio demum Nicæno, & ita quarto seculo compo-
„ situm esse quidam viri docti, & inter eos Valla & E-
rasmus Viri præstantissimi, augurentur) & cum univer-
„ sa Scriptura Sacra ac prima antiquitate confessi sunt;
„ Filium autem Patri quidem consubstantialem, sed ta-
„ men *Deum de Deo*, *lumen de lumine*, Patri originem
„ Deitatis adscribentes, agnoverunt. Sed de Spiritu S.
„ nihil definite dixerunt, genium illius seculi, quo vel
„ Spiritus S. Spiritus Dei, virtus, donum, os Dei crede-
„ batur, vel cum Verbo Dei ante secula sive initio re-
„ rum creato, facto, genito confundebatur, at Patris
„ & Filii confessioni connexus, nec à Patris & Filii con-
„ fessione separandus, nec adorandus vel invocandus,
„ sed promerendus & expetendus, imò nec æque ut Pa-
„ ter & Filius credendus, sed tantum cognoscendus ju-
„ dicabatur, secuti, temere quæstionem à curiosis,
„ scripturæ simplicitate non contentis, motam, atque sic
„ arduam redditam decidere nolentes. Unde illa Gre-
„ gorii Nazianzeni ad Clidonium querela Nicænos Pa-
„ tres non perfectam de Sp. S. tradidisse doctrinam. Cæ-
„ terum Symbolum, quod Athanasii nomine vulgo cir-
„ cumfertur, Unum Deum Patrem Filium & Sp. S. esse
„ per extremam audaciam pronunciat. Hinc quivis per
„ quas semitas à via Primævæ veritatis Regia discessum
„ & in avia aberratum sit, videt: Neminem autem latet
Sp.S.

„ Sp. S. per os Apostolorum heterodoxias sive alienas do-
„ ctrinas & corruptelas, imò defectionem à fide prædixis-
„ se, & indicasse, nobisque nunc velut extenso digito mon-
„ strare. Ex his quisque salutis æternæ amans, ab errori-
„ bus ad veritatem primævam redeundum esse, conclu-
„ dat necesse est. Neque verò mea quæ adfero, nova vel nu-
„ pera videri possunt. Imo vero ego nil secundum pietatem
„ magis, quàm primævam simplicitatem & illam quæ
„ est secundum pietatem doctrinam, commendo, & urgeo.
„ Itaque quod reliquum est, Deum illum, qui solus bonus,
„ solus sapiens, solus potens, in Script. SS. prædicatur, Deum
„ dico & Patrem Domini nostri Jesu Christi per hunc, ut
„ unicum & solum Mediatorem, ut nos omnes ex spissis
„ tenebris prælucente verbi sui face eductos ab aviis in vias
„ suas rectas & planas reducat, in iis Spiritus sui Sancti
„ virtute regat, & per eas ad æterna gaudia perducat, &
„ his piis cogitationibus & studiis intento huic conventui
„ & colloquio adsit propitius, ex animo precor & veneror.
Ita quidem tunc veritas causam suam, voce & scriptis egit.
Istius copiam sibi fieri pars altera postularunt, quasi po-
stridie ad hoc responsuri: Sed non steterunt promissis, ge-
nium adversariorum veritatis apprime referentes, qui ar-
gumentorum pondere defecti ad inania seculi, splendorem
dignitatum, ampullas titulorum fucum antiquitatis tu-
morem potentiæ, philtra promissorum venena calumnia-
rum quin & ad jacula persecutionum, confugiunt. Nam
pro responso ad præstitutam diem exhibendo, & assertio-
ne sententiæ suæ silentium confessoribus veritatis imperant
perpetuum, lege lata non amplius de his controversiis
faciendos sermones. Quin, ne quid injuriæ deesset,
nec conclusum illud ab se parti adversæ communicarunt,
nec responsioni vel defensioni ulli locum dederunt,
auctoritate & potentia Firlei sceptrigeri, comitium uni-
versum dirigentis armati. Ut autem ægrè facerent veri-
tatis cultoribus, communes adversarios Pontificios in eos
instigarunt, quasi in SS. Trinit. blasphemos, hinc in uni-
versam Christianam religionem injurias. Quin & in istis
lentorem arguerunt quod non in tales, ad exemplum scil.
Genevensium & Bernensium animadverterent, graviter
etiam ferentes Hosium Cardinalem agnovisse dogmata de
Trinit.

Trinit. & de Pædobaptiſmo ex ſolis ſcript. SS. probari non poſſe. Ipſos inſuper Epiſcopos ut negligentes officii culparunt, quod permiſerint iſtis blaſphemis tot incautos à fide in SS. Triadem reductos perdere. Uſi ſunt & ſueto adverſariorum veritatis artificio, ut acta colloquii propere publico commiſerint, & triumphum citra victoriam cecinerint, imperito & præconcepta opinione laboranti populo imponentes, ut ſtrenui Orthodoxæ religionis viderentur defenſores. Admiſcuerunt calumnias, quarum maculis intaminatam Laſſocii & Philipovii, Virorum integerrimorum famam adſpergere conabantur, Sarnicius præſertim & Sylvius, ingrati animi deteſtabile crimen non horrentes in Patronos & benefactores ſuos commiſſam perfidiam in patriam eis objicientes. Ita enim illi: *Quid iſti in patriam moliti fuerint, poſſet & Deſpotes, ſi in vivis eſſent dicere.* Sed ſi quilibet ex præſcripto juris civilis præſumitur bonus donec probetur contrarium, certe illorum duorum Virorum moribus ita probatorum, ut de iis fama utcunque honeſti inimica, mentiri verita, ſemper fuerit, optima exiſtimatio periclitari hic non poteſt. Atqui hiſtoria quoque de Deſpota ſupra memorata innocentiam eorum probat. Accedit quod & res ipſa vel apud iniquiſſimos judices omni ſuſpicione eos liberat. Procul enim omnes cauſas habuerunt tam odii, imò impietatis vel in patriâm, in qua illuſtribus familiis editi Illuſtriſſimis etiàm ſanguine vel adfinitate juncti, præclaris officiis admoti ac Remp. in Comitio & alias aſſiduè tractantes, libertate in ſacris etiam ad invidiam uſque gaudentes, opimas facultates poſſidentes, vel in Regem, Principem Feliciſſimum, ſapientiſſimum, Optimum, quàm affectus in Principem extraneum, profugum, imperium apud gentem fluxa fide celeberrimam appetentem. Itaque ardens illud, calumniæ telum, in aquam innocentiæ improvide conjecerant malèvoli, ſubito exſtinctum. Verum tamen ex eò miſerum in modum ſciſſa Eccleſia communium adverſariorum inſultibus tanto magis fuit opportuna, & injuriis obnoxia. Factum tunc è veſtigio initium à tribus pauperibus Fratribus, quos Parochus Biecenſis in urbe ſua aliquot annis degentes aggreſſus, vigore ſententiæ nuper à Rege in Anabaptiſtas & Arianos & novitios hæreticos latæ urbe ejicere, obtento à Rege ad Magiſtratum loci mandato parabat. Cæterum illi, quamvis viri ſimplicitatis columbinæ ſerpentinam prudentiam ictum intentatum evitando adhibuerunt. Dixerunt nempè ſe nec Anabaptiſtas nec Arianos eſſe, nec novitiam religionem introducere, ſed adhærere Primævæ & Catholicæ. Symbolo Apoſtolico comprehenſæ nec ab ea vel tranſverſum unguem recedere, etſi ſe quis ab ea humani ingenii verſutis ratiociniis abſtrahere velit. Ita illæſo Regio mandato, & ſalva Magiſtratus Biecenſis obedientia boni illi viri pace & libertate in urbe illa gaviſi ſunt.

CAPUT VI.

Tabulas ultimæ voluntatis Georgii Schomani, ita integram vitæ & mortis, tum plurium actuum Eccleſiaſticorum hiſtoriam continens.

DIximus adhuc certamina de Trinitate & Pædobaptiſmo, perſecutiones ea ſubſecutas, mox certamina de Sp. S. deitate & invocatione viſuri. His cunctis opportunè inſeram tabulas ultimæ voluntatis Georgii Schomani viri eruditione & pietate Clariſſimi, de Schola & Eccleſia optimè meriti, utpote non tantùm integram vitæ & mortis ejus hiſtoriam, ſed & non parvam hiſtoriæ Eccleſiarum noſtrarum partem continentes. Accedit quod & de perſecutionibus confeſſorum veritatis aliquid contineant, & iſti Schomano in Eccleſiæ Luſlavianæ miniſterio ſucceſſor datus ſit Petrus Scatorius Petri illius, qui controverſiam de Sp. S. movit, filius. Et eſt quidem ſcriptum hocce omni ex parte memoria poſterorum dignum, cum & pietatis & induſtriæ & prudentiæ, ſed & paternæ ϛοργῆς eximium ſit ſpecimen, merito omnibus imitandum. Verùm tamen ego ut illud operi iſti inſeram, cauſſam habeo particularem, nec ſane, ut mihi quidem videtur contemnendam

emnendam. Cum enim ante annos xxx. cum patre beatæ memoriæ Rybelino, Voliniæ oppido, quo Vetere & illustri familia ortus Georgius Craplicius Spanovius Vir cum cura aliàs, Deo volente, dicendus, pulsas Racoviâ Musas receperat, iter facerem, atque ille mihi parcus temporis dispensator & rigidus ejus exactor hosce à Beato Schomano conditum testamentum in rheda legendum tradidisset, & de meliore nota commendasset, factum est, ut lectio & æstivus ardor mihi juveni somnum accersiverint. Ita scriptum manibus excidi. Quod ubi Parens comperit me curru descendere & scriptum amissum quærere jussit, ipse interim iter ad locum destinatum se: qui milliari inde dissitum persequutus. Parenti morem gerens remensus pedibus iter, Scriptum inveni, & bonos nactus itineris socios Parentem sero vespere in loco destinato reperi. Tanti ille scriptum hoc faciebat! Tanti & mihi jactura ejus tum constitit. GEORGIUS SCHOMANUS. *Vid. Bibliothecam Antitrin. pl.* 191.

CAPUT. VII.

Certamina de Sp. S. persona & Deitate continens.

At Trigimus superius qua ratione tum *Spiritus*, natione Belga Spiritus S. invocationem animo expendendi occasionem dederit, tum Remianus Chelmius eam in Synodo Pinczoviana Nov. XII. Anno 1559. habita in dubium vocarit, tum Petrus Statorius in hoc se gesserit, tum denique Gregorius Pauli & alii viri pii ac veritatis amantissimi negotium hoc matura deliberatione discusserint vulgare dogma de Trinitate ad judicii stateram revocantes & ad Verbi Divini Lydium Lapidem examinantes. Diximus tunc responsum super hoc negotio Chelmio datum fuisse, Cæterum cum Statorius qui ei convivebat & scriptam Sententiam manibus habebat, in Synodo Pinczoviana Nov. XIX. Anno 1561. habita prius significasset, non benè eum contentum fuisse illo responso, eidemque Statorio injunctum esset ei plenius responderet, pro ut instinctu numinis, respondet ille quidem

quidem sed ita ut non appareat ejus animi sensus de ea materia (quod ipsum Nepotem ejus Joannem Stonium, Clarissimum illum Ecclesiæ Racovianæ Ministrum adnotasse comperio) tantum dicit, Blandratam à Calvino notatum, quasi virus Servetianæ impietatis aleret. Interea sententiam ejusdem, quam in Synodo proposuit, ab omnibus ait laudatam sed tamen ab illo postulatum, num pluralitatem Deorum statuat, cum Patrem ait ingenitum, unum Filium genitum credit. *Nos vero omnes* (verba sunt illius) *nescio quo pacto in hæreseos suspicionem venimus, qui cum Blandrata vivimus. Sed si hæretici sunt, qui Patrem Filium & Sp. S. credunt ex Sacrarum Litterarum præscripto, me ex illorum numero libens esse fateor. Nondum venit illa de Sp. S. invidia quam malus ille dæmon mihi conciliaverat, sed ego in bona mea conscientia acquiesco.* Mitto quæ *Regenvolscius* de Statorio Historiæ suæ Ecclesiarum Slavonicarum inseruit, in vulgus nota. Budzinius memoriæ prodit eum de hinc regimini Scholæ Pinczoviensis admotum professum esse veram de Spiritu S. doctrinam, idololatriam scil. esse, dum ante sacrorum celebrationem in templis & Scholis Spiritus S. ut ad se veniat, invocatur, cum ejus nec unico verbo in Scriptura S. tradatur, imo nec ejus invocatio, quin nec eum personam aliquam in Divinis vel etiam credendum in eum esse divinis oraculis doceatur. Adde quod aliquot sæculorum Ecclesiæ Doctoribus, ut vidimus, dogma hoc prorsus ignoratum, quarto demum seculo declinante stabilitum fuerit. Orto inter Statorium & quosdam Theologos certamine, ille eos acriter Sacrarum Litterarum auctoritate urgere, isti opinionem præconceptam obtentu quorundam Sacræ Scripturæ Locorum difficiliorum & posteriorum Ecclesiæ Doctorum testimoniis tueri studere: Ille contra eos ex verbo divino docere & asserere, Spiritum S. personam haud quaquam sed Virtutem & donum esse Dei quos is fidelibus elargiatur & partiatur pro beneplacito diversa adhibita mensura, sed Christo ut pote filio unigenito & omnium bonorum suorum hæredi, majorem supra cunctos copiam ejus dederit, adeoque cum isthoc oleo lætitiæ supra omnes con-

consortes ejus unxerit, ita quidem ut de hac plenitudine, quam in Christo inhabitare voluerit reliqui omnes differentes particulas acceperint: ut ita appareat Sanctum illum Spiritum nec creatorem cæli & terræ nec Deum aliquem adeoque nec invocandum esse cùm donari mensurari, & dividi in partes possit, quod in Deum non cadat. Ita veritas à certamine illo illustrior surgere cæpit. Multi enim, etiam qui in adversis Statorio partibus steterant, & caput illud fidei, contra eum promoverant, rationibus ejus velut ex alto somno expergefacti pondere earum pressi veritati cessere. Invenio litterarum monumentis traditum, istis eos argumentis usos, quæ hic adponere operæ pretium judicavi.

Christus cum rogaret discipulos, an in Deum vel Deo crederent, & in se credere præcepit. Nusquam vero legimus eum ut in Spiritum S. crederent mandasse.

Discipuli ejus cum doctrinam de Spiritu S. traderent, præceperunt fidelibus, ut probarent Spiritus an ex Deo essent.

Christus cum doceret Apostolos qua in re vitæ æternæ consequendæ ratio consisteret dixit, *Patrem esse solum verum* Deum, se vero, nempe *Jesum esse ejus Christum* & Legatum nulla Spiritus S. personæ facta mentione.

Christus redivivus à mortuis cœlum petiturus, fidelibus *adscensurum se ad Patrem suum & Patrem eorum, ad Deum suum & Deum eorum*, nullâ adscensus ad Spiritum S injectâ mentione, dixit. Ibidem S. Evangelista memoriæ scriptum reliquit, longe quidem plura miracula Jesum patrasse, quam vel ille adnotavit, vel mundus eorum rationem comprehendere possit, sed se libro Evangelii certa quædam tantum adnotasse, *ea fini, ut discipuli crederent, Jesum esse Christum filium Dei: & ita vitam æternam adipiscerentur*. Neque hic meminit Spiritus S. dum de vitæ æternæ consequendæ agit modo.

Verum quidem est in Symbolo, quod Apostolicum vocatur, nos profiteri: Credo & in Spiritum S. Sed hoc nil facit ad adstruendas orationes, quæ ad Spiritum S. in Ecclesiis vulgo diriguntur: Nam etsi Christus docuerit in se quo-

quoque, non in Deum tantum, credendum esse, diversa tamen ratione fides ad Deum & fides ad Christum dirigitur, cum per Christum ut Mediatorem in eum tendat, & in eo terminetur. At longe magis diversâ ratione creditur in Deum, & in Spiritum S. Sic etiam in eodem illo Symbolo nos & in Sanctam Ecclesiam Christi credere confitemur. Cum autem Apostolus scribat ad Philemonem, gratias se agere Deo quod acceperit *de ejus charitate & fide in Dominum Jesum & in omnes sanctos*, probabile est hinc sumtam inserendi illa de fidei in Sanctam Ecclesiam occasionem. Oportet igitur prius cognoscere ipsam rem, ut de hinc causa & modus fidei ejus vel in eam convertendæ pernoscatur. Produnt etiam Sacra monumenta populum in Deum & in Mosen credidisse. Sed ut diversus erat Moses à Deo, ita & fides. Ita igitur & fides in Christum Mediatorem, & in Spiritum S. & in Sanctos diversa est ab ea quæ in Deum tendit Altissimum. In hunc enim credere est fidem adhibere omnibus ejus præceptis & promissis & obsequi voluntati ejus prout eum per Angelos, Prophetas & novissime per Filium suum revelavit. Credere in Christum est fidem ei ut Mediatori & Legato Dei, nomine paterno docenti adhibere, eumque imitari, sed & ut pote Dominum & Christum à Deo effectum, ad gloriam Dei Patris adorare & invocare, cum ita in Christum credatur, ut per eum credamus in Deum & ita Christus adoretur & invocetur ut per eum adoretur & invocetur ipse Deus, docente id apertè Scripturâ, quidquid hic vel ille Semi-Judaico ductus Spiritu ogganierit, quasi cultu Christi cultus Altissimi diminuatur, cum per eum vel maxime stabiliatur, augeaturque imò non aliter sub N. T. fieri possit ipso Christo dicente: *Doctrina mea non est mea, sed ejus, qui me misit*: &; *Qui credit in me, non in me credit, sed in eum, qui me misit*: quod pari jure & de cultu ac invocatione Christi dici potest ac debet: sed & Apostolo illis verbis *ad gloriam Dei patris* omnem scrupulum eximendo. Porro credere in Spir. S. est credere eum esse Dei spiritum afflatum, virtutem, donum, à Deo expetendum, qui ejus participes faciat fideles eosque ad divinos usus consecret, & eo ad vitæ æternæ hæreditatem, dato

hocce arrhabone obsignet. Credere in S. Ecclesiam, est credere Christi Ecclesiam debere esse sanctam, inculpatam, gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut quicquam ejusmodi, cum Christus ea fini sanguinem suum in cruce profuderit, ut eam talem sibi sisteret, docente Apostolo. Unde patet citra idololatriæ periculum non fieri, dum plures Dii adorandi & invocandi inducuntur, cum Apostolus idem expresse doceat. Unum esse Deum, Deum Patrem ex quo omnia & nos per eum.

De Spiritu autem Sancto ita ore & scriptis Apostoli docuerunt.

Accipite (inquit Christus) *Spiritum S. quem à meo abitu Deus mittet vobis loco mei alium Paracletum & perfectissimum Doctorem, qui vobis omnia in memoriam revocabit, quæ à me audivistis, & educet vos in omnem veritatem.* Ideo scriptum est *ex plenitudine ejus nos omnes accepimus*: & iste Spiritus S. vocatur *Spiritus Christi.* Ita enim Christus eum dividit & largitur, ut olim inter seniores populi divisus fuit Spiritus Mosis.

Cui ille Spiritus inest, is profunda Dei scrutatur. Quibus is non inest, illi sunt animales, qui non capiunt cælestia. *Nam ut quæ sunt in homine nemo scit nisi Spiritus qui est in homine: ita nemo quæ in Deo, nisi Spiritus Dei:* docente Apostolo, qui etiam infra ait: *Qui autem agglutinatur Domino unus est Spiritus cum eo.* Hoc profecto magnum quidpiam est, cùm & Christus dicat. *Ego sum in Patre & Pater in me. Ego & Pater unum sumus*, propter conjunctionem scil. arctissimam quæ fit per Spirit. S. Iste nos ducit ad omne opus bonum, & *in eo clamamus Abba* (Pater) Ideo corpora nostra sunt templa Dei & Spiritus S. (cum Deus in nobis habitat per Spiritum S. quem nobis dedit) ita ut & corpus nostrum & Spiritus noster sint Dei.

Idem Spiritus in nobis *scrutatur omnia & intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Deus autem novit quid desideret. Spiritus* iste *attestatur spiritui nostro, quod filii Dei simus.* Talem Spiritum non habuit Ananias cum mentiretur. Contra hunc Spiritum qui peccat, Spiritui immundo opera ejus per extremam malitiam adscribendo, nullam remissionem consequitur. Isti Spiritui S. semper Judæi, confitente Stephano restiterunt. Iste Spiritus revelavit, quod Christum Domini viderit.

Iste Spiritus per Apostolos locutus est coram Regibus & Judicibus Terræ. Qui eo præditus non est, tetrior est omni bestia. Hunc Spiritum adeo ardentem, ut postea non habuerint Apostoli, antequam D. Jesus esset glorificatus. Non habuit Petrus, cum eum abnegaret. Non habuerunt Apostoli, cùm ignem è cælo ad perdendum Samaritas inhospitales deducere vellent, nescientes quo Spiritu ducerentur.

Hunc Spiritum S. dat Pater petentibus à se, inquit Christus.

Hunc Mundus non novit, nec recipere vult, præferent amicitiam Satanæ amicitiæ *Dei: Hoc Spiritu* acti Apostoli *prædicarunt magnalia Dei*, postquam eorum discipuli eum esse cognoverunt.

Eodem Deus Filium supra modum unxit.

Per eundem Prophetæ prædicarunt afflictiones Christo obventuras. Hunc nec norunt qui *Veni Spiritus Creator*; canunt.

De hoc *Hugo Cardinalis* in explicatione Missæ sub finem memoriæ scriptum reliquit. *Quare etiam non dirigitur oratio ad Spiritum S? quia Spiritus S. non est Deus, sed est donum Dei. Igitur non est dirigenda ad donum, sed ad largitorem doni.*

Hæc quidem tunc non minore animo quam virtute Spiritus pro asserenda Spiritus S. qui sit Spiritus Dei non ipse Deus, natura urserunt veritatis confessores. Statorius tunc merito cum Poëta dixisse *fungar vice cotis acutum Reddere quæ ferrum valet, exsors ipsa secandi.*

Exacuit enim bona ingenia illa initialis ejus de Spiritu S. institutio, quam in eo amor seculi hebetavit. Nam in Synodo Lancuti Anno 1567. habita, cum controversia de Spiritu S. agitaretur, & non tantum de Spiritu S. sed & de filio Dei multus sermo inter partes haberetur, ab adversis stetit partibus, & se unquam id de Spiritu S. docuisse, negavit, ne ab adversariis vitæ mediis privaretur veritus. Licet autem *Alexius Rodecius* typographus in os ei dixerit, se cum studiis Pinczoviæ, cui Scholæ Statorium præfuisse dixi

diximus, daret operam, hunc articulum de Spiritu S. ab eo didicisse: nihilominus ille in faciem negavit dicens, Spiritum S. Deum esse, ut Deum colendum, & qui aliter deceat, ex Patre Diabolo esse. Notat Budzinius hanc ejus fluxam fidem, ideo Proteum vocat, à quo Spiritus iste Dei recesserit, qui etiam scripto patrocinium errori præbuerit, & paulo post mortuum esse adnotat. Sed & Orphinovius arguit, eum talentis sibi creditis (vir enim fuit pereruditus & eloquens ac solers, quod vel ex Grammatica Polonica ab eo natione Gallo edita patet) non usquequaque ad tuendam veritatem usum, potentiori tandem Trinitariorum parti adhæsisse.

CAPUT VIII.

De studiis concordiæ inter tot sententiarum dissidia, & certamina, præcipue de Synodis Lancutensi & Scrinensi Anno 1567. habitis.

ET si sæpius & multum sectata aliis, ut supra vidimus, concordiæ restaurandæ & pacis in Ecclesiam Christi postliminio reducendæ, minimum tolerantiæ Christianæ in eam introducendæ media, præsertim canones in Synodis Petricoviensi 1562. & Mordensi 1563, dati frustra fuerint patronis errorum potentia carnalis brachii patrocinante, eosque in dies efferante, tamen veritatis amantium studia in redintegranda pace Ecclesiastica non destiterunt. Dolebat eis graviter scissam adeo Ecclesiam, à colloquio cum primis Petricoviæ Anno 1565. habito, ut non mirum sit Gregorium ad Procop. Nazianzenum olim de infelici omnium conciliorum, in quibus magis ambitioni quam pietati detur opera, exitu questum fuisse. Magis vero etiam dolebat eis non compositis inter Trinitarios & Unitarios de Deo, Dei filio, Dei Spiritu S. deque baptismo controversiis, novum schisma auctoribus Petro Gonesio & N. Farnovio, qui Arii sententiam propugnabant, & quidem acriter ita ut multa virulenta in confessores veritatis, non tantum ore, sed & calamo effutierint, inque hac malevolentia, ad extremum perstiterint, non satis bene bonis ingeniis usi. Mirum eos qui ab adversariis veritatis in articulis de Trinitate & Baptismo dissenserint, cum illis tamen consilia & studia in confessores veritatis velut conjuratione inita, sociasse.

Peræque utraque pars veritatis confessoribus imposuerant invidiosa nomina Ebionitarum, Samosatenianorum & Arianorum, cum tamen illi duo nil nisi Ariani novi fuerint. Gonesium qui ante decennium Polonias cum sententia Serveti de præeminentia Patris intratas commoverat, dubio procul Wittebergenses in veri cultores armarunt, sed & alii, quibus cum ore vel per litteras contulit. Indicta Lancutum Synodo & processu promulgato omnes, quibus cordi esset gloria Dei illuc convocarunt. Ac proinde è medio Ecclesiæ Cracoviensis profecti illuc quatuor auditores, *Simon* (ut puto) *Ronenbergius* Pharmacopola Cracoviensis vir eximie pius, & singulari dono in precibus publice fundendis divinitus præditus ut Spiritum illum gratiæ & orationum accepisse merito dicendus sit, *Budzinius*, *Alexius* (forte ille Rodecius) & *Zalasovius*, & duo Ministri verbi, *Securinius* Junior & *Stanislaus Lutomirius*, qui diu multumque veritati reluctatus, tandem ei victas dedit manus, memor exempli *Stanislai Orichovii*, qui etiam postquam diu & acriter *Joanni Lasco*, ejus Socero restiterat, tandem publicè his verbis ei valedixit. Has victas vir Dei tibi porrigo manus. Volebant nempe & isti testari veritatem & gloriam divinam cordi curæque sibi fuisse. Sed licet inexpectati ingrati tamen hospites illuc advenerant, quo diversa quidem dogmata foventes convenerant, sed & in eo, ut confessores nominis Filii hominis acerbis odiis insectarentur inter se convenerant. Budzinius, qui horum pars magna fuit, notat multos nobilium moderatiores ministris verbis fuisse, solum si excipias Jvanum illum Carninscium, quem supra modum virulentum & omni non tantùm Calviniano sed & Ethnico pejorem, propria edoctus experientia appellat. Qui cum vir quidam nobilis Sicorius, etsi diversæ de Filio Dei sententiæ addictus, sed non ita, ut reliqui exulceratus, acriter congressus sermonem

nem ab his verbis orsus est: *A fructibus eorum cognoscetis eos: & Probate Spiritus an ex Deo sint*, *monita sunt ab ipso Spiritu S. profecta nobis omnibus per necessaria, & ubique usurpanda. Itaque & mihi nunc, Ivane, adhibenda sunt, dum te amaro zelo flagrare animadverto. Non possum quin ex officii ratione sincerè & cordatè tibi dicam, te non Dei, non Christi Spiritu, qui levis & humilis est duci. Consedisti enim hic sponte in medio eorum, qui pariter sponte ex locis longè dissitis huc confluxerunt, & vis eis imperare, ac necessitatem hoc quod tu verè credis credendi imponere, convitiis adhibitis, ita ut corda pia in spem tuæ gratiæ aliter sentiant, aliter credant, aliter loquantur quam judicant. Quæ quidem tyrannis nec inter Ethnicos in politicis rebus locum habet. Tantum abest ut locum habere possit in rebus divinis, ubi de salute æterna cujusque agitur, ubi sermo est de erroribus, ex quibus velut ex innabilibus & inamabilibus paludibus pedes eruere tentamus. Tune hic Stentorea voce vel etiam opprobriis caussam obtinere cupis iisdem scil. quibus Romanus Papa contra te caussam se obtinuisse putat? Ego vero emorior, dum talia audio. Nam & ipse huc veni, non ut me aliquis inconditis clamoribus obruat, vel ego alium, sed ut in caritate colloquamur? Nempe hic non imperiosæ vociferationi tuæ vel ullius hominum nec tristi supercilio, sed mansueto verbo Dei & suavi jugo Christi colla libera submittimus.* Volebat Ivanus sublata voce impotentiam animi tueri, sed oportebat eum pudore confusum desistere cœpto & ori silentium imponere, victum verecundia præsentibus Goleciis, Balo, Domaracio & aliis viris nobilitate generis & gravitate morum conspicuis. Hinc Cracovienses è medio conventus egredi jussi. Tum reliqui consilia agitare, an cum eis de Filio Dei cominus congrediendum sit, necne? His & illis in diversa euntibus, Petrus ille Statorius licet Ivano comes itineris fuerit, sed qui veritatis gnarus *vapidam servans sub pectore vulpem* sensa animi eruere noluerit, congressum disvadere, & dicere. *Causa cadent & confusi pudore recedent. Novi eos, Novi vos. Scio quid dicam.*

Tum Ivanus animi & linguæ immodicus eum acribus verbis adoriri, partium studium & objicere, & animosa voce clamare. *Quidni cominus cum eis pugnemus? Nonne nobis in promtu sunt divina oracula? Michææ V. legimus, Et egressus ejus à diebus æternitatis. Et 1 Joan. V. Qui diligit eum qui genuit, diligit eum & qui genitus est ex eo.* Sed illum locum Farnovius ad rem non quadrare agnovit. Istum ipse Statorius, ut pote in quo de generatione fidelium ex semine verbi non Christi agatur ei eripuit. Ita Ivani ardor ille disputandi defrixit. Qui tamen se ab aliis correptum & correctum in intelligentia verborum Sacræ Scripturæ graviter tulit. Verum enimvero Farnovius animum ad tuendam Præeternitatem Filii impulit sumto sententiæ ex initio Evangelii Joannis de Verbo vel potius sermone qui in principio fuerit, præsidio. Ibi Joannes Securinius eum rogare: Ubi possit monstrare verbum à principio mundi operans: & affirmare, se contra luci monstraturum Verbum à principio Evangelii temporibus utriusque Joannis Baptistæ scil. & Evangelistæ, operans. Ibi tum Farnovius nec animo nec Linguæ temperare quitus, eum clamoribus obtundere, conari, & rationibus defectus ad convitia devenire, ea velut è plaustro fundere. Quod ubi Assessores viderunt, quibus iniquum, indecorum & noxium visum rem silentio tegere rixas cohibuerunt & contentionibus animosis finem imposuerunt, & ex communi consensu Synodum ad diem 24 Junii Scrinam minoris Poloniæ oppidum, indixerunt, & ad eam habendam omnes salutis propriæ & gloriæ Dei ac Christi ejus invitarunt. Solus tunc Ivanus, zeli nimius juravit nunquam se interfuturum colloquio, cum secta, ut ajebat, in Deum blasphema habendo, imo daturum operam, ut Synodus illa disturbaretur. Omnes ex Synodo Lancutensi illæsâ caritate ab se discesserunt invicem datâ fide, concordiæ se operam daturos, & intra modestiæ fines usque ad proximam Synodum permansuros. Solus hic Ivanus ab omnibus discessit, & nuncium alterius partis nominatum Philipovii, amicitiæ remisit. Qua in re supra modum constans, vel ut commodiore utamur verbo, pervicax usque ad suprema perstitit, rigido illo Calvini Spiritu actus. Postquam præfixa Synodo

nodo dies venit ad quam centum & decem ex utraque Polonia & Litvania nobiles & Ministri convolarunt, præter turbam vicini populi utriusque sexus, cunctis ad audienda de rebus divinis colloquia animos erigentibus & aures arrigentibus. Conventus istius Præses & moderator communi suffragio Philipovius creatus, insigni fiducia de prudentia, pietate, & moderatione viri illius Egregii ab omnibus concepta. Nec fefellerat eos spes.

Cautum ante omnia tam idoneo æquitatis auctore, ut occurrendo rixosis & acerbis certaminibus, utraque pars mansuetudinem & modestiam servaret ac leniter sententias suas per electos Collocutores proponeret, quod si quispiam necessarium quid rogare voluerit, faceret id cum bona venia loquentis, cum actus prælongi in illo Conventu adhibiti fuerint. Hæc igitur pars quæ contendebat Verbum, sive Filium Dei ante Matrem extitisse ac cælum & terram cum Patre creasse, elegit Collocutores Joannem Casanovium, Farnovium, Joannem Niemojevium, Judicem Inovladislaviensem jam tunc à Cechovicio baptizatum, Nicolaum Zitinium, Joannem Falconium, Martinum Cechovicium, Danielem Bielinium, demandata Notariorum provincia Laurentio Criscovio & Thomæ Swzechovio. Pars vero altera, quæ tuebatur veritatem Primævam Sacris proditam monumentis, Filium Dei Verbum sive Sermonem, quod paternæ voluntatis interpres fuerit, dictum non extitisse ante mundum conditum, sed initium existentiæ accepisse certo tempore, viventibus, scil. Joanne Baptista & altero Joanne Evangelista & Apostolo, sub imperio Romanorum Imperatoris Octavii Augusti, expresse perhibente id Sacra Historia, elegit Collocutores Georgium Schomanum, Gregorium Pauli, Joannem Securinium, Mathiam Albinum, Joannem Baptistam è Litvania, Martinum Crovicium, Simonem Budneum & Jacobum Calinovium. Notarios constituerat Albertum Coscianium & Stanislaum Budzinium, cujus ut testis locupletis, fide intexenda ista historia nitimur. Utraque pars citra anxiam ordinis Scholastici curam in colloquiis, in quibus non de Philosophicis quæstionibus, ac inani laureola, quæ vulgo pedibus manibusque in mustaceo

staceo quæritur, sed de eruenda primæva veritate ac consequenda æterna cælesti gloria agebatur, solis Scripturarum Sacrarum verbis rem peragebat. Cum autem ista diversam explicationem admittant & ferre videantur, ita in eo processum, ut alterum alteri comparatum clara obscuris, facilia difficilibus lumen adferrent atque ita ratione veritas ex tenebris ignorantiæ erueretur, atque proferretur in lucem. Prodit Budzinius notæ fidei & industriæ scriptor, nullum propemodum locum tam prioris quam posterioris Instrumenti fuisse: quem non alterutra pars in medium protulerit: quod prosequi longum foret. Ad ultimum ita ab se discesserunt ut ista pars illi dixerit, nolle se alium Filium Dei & mundi Servatorem nosse, quam Jesum Christum crucifixum, quem Deus Sancto Spiritu castæ Virginæ genuerit, eodem unxerit, in mundum miserit, à mortuis excitatum à dextris in cælestibus collocaverit, ac nuncium se mittere verbo illi præ æterno de quo Augustinus scriptum reliquerit, quod si se ipsum miserit, seipsum sanctificaverit, ipsemet à se & suo nomine venerit. Ex hac Synodo digressi, & si sententiis in diversa abierunt, tamen nullam acerbitatem inde retulerunt, præter Farnovium, qui & de hinc aculeatis scriptis partem adversam appetiit. Verum tamen ista famæ & saluti suæ consulens, utpote assultibus trium quatuorve sectarum Pontificiæ videlicet, Lutheranæ, Calvinianæ & Binaturiæ sive Farnovianæ, quamvis iste eidę Uno Deo & eminentia illius assenserit, omnem rei tunc gestæ seriem curante Stanislao Cicovio Archicamerario Cracoviensi publico commiserunt, responsionibus ad omnes partes adversæ objectiones adpositis. Singularem meretur & dicentis curam & legentis memoriam conclusio sive regula ac lex omnibus consentientibus à Præside conventus illius conscripta & ab iis recepta; neutiquam tamen servata, quæ sic se habet. *Piè & Sanctè Trinitas retinenda est ea lege, ut fraterna caritas ex præscripto Filii Dei servetur, & alter alterius infirmitates toleret nullo vero prorsus modo alter alterum convitiis incessat. Quod si quis aliter fecerit Deo rationem reddet. Interea integrum est per scripta de eo agere, sed ita, ne alter alterum calumnietur, convitiis proscindat, vel damnet vel in privatis vel*

vel in publicis. Orationes & conciones Sacras alii aliorum audire possunt ea cautione sicuti orationes peractæ fuerint eâ formâ quæ in verbo Dei est tradita. Quod si aliquis orationes instituerit, vel pro concione docuerit non servato Scripturæ Sacræ solito stylo, hic quisque ductum propriæ conscientiæ sequatur. Si forte illas orationes vel conciones audire nolens foras exierit non est id ei vitio ferendum, quasi vinculum fraternæ dilectionis solveret. Pari ratione in Baptismo parvulorum & celebrando memoriæ mortis Christi Domini actu sequendus cuique est propriæ consciencia ductus, cunctis expectaturis, quid cuique & quo modo ostensurus sit in ista difficili confusione rerum per Romanenses introducta, & ardentes preces missuris, ut vera institutione uno animo in emendatione vitæ ad gloriam Dei & mutuum solatium utamur, alter alterius fidei imperare nolens, cum istius dominus & Largitor sit ipse Deus, usquequo is miserit sapientiores Ministros Angelos suos tempore suo zizaniâ avulsuros, & à tritico separaturos, interim nos alii alios non evellamus, nec laceremus. Hoc enim Christus noluit permittere Apostolis, tanto minus id nobis permisit. Actum Sorinnæ die 29 Junii Anno 1567.

Atque hæc quidem tunc prudenter agitata & ex æquo fuere peracta. Sed non servata ab illis, qui suscepto semel errorum inolitorum patrocinio nihil non tentabant, ut lubidini suæ obsequerentur & cultoribus veritatis ægrefacerent. Prætulit signum dissidii Famovius ille, Arianæ opinionis fautor accerrimus, ambitionis typho, inflatus, qui patronum nactus Menzicum Præfectum Sandecensem sedem in illa urbe Hungariæ vicina fixit, & ludum ibi aperuit, acerbe Prææternitatem sive præexistentiam Filii ante mundum conditum propugnans. Quam acriter non tantum Pontificii sed & Calviniani pædobaptismum defenderint, & quam superbe veritatis cultores hanc Ecclesiæ corruptelam corrigere studentes rejecerint, supra vidimus.

C A-

CAPUT IX.

De Reformatorum odio in cultores veritatis in Synodo Cracoviensi Anno 1568. exercita, quæ res Andreæ Duditio præbuit offendiculum & sic incentivum subdidit ad inquirendam veritatem de cujus vita & morte paucis dictum.

QUam in veritatis confessores malevolentiam Christophorus Trecius Scholæ Cracovianæ Rector partes Sarnicii & Discordiæ secutus, verbis & conatibus ac litteris ad Helvetios scriptis prodiderat eandem ipso facto erga Andream Fricium Modreovium Virum illum pietate & Eruditione, ut de generis nobilitate & officii dignitate nil dicam, præstantissimum ac inter primos ætatis Viros numerandum exeruit. Jusserat hunc, utpote Secretarium suum, Rex Augustus colligere omnes diversas de Trinitate sententias, imo eos dissidentes ad concordiam reducere. Id ille Rege ad bellum Moschicum profecto 1565. orsus præstantissimum illud Sylvarum 4. opus feliciter composuit; Quod quidem ille Anno 1569. perfecit, sed se vivo ob rationes varias publico committere non potuit. Cujus rei rationem reddens præfatione in Sylvam quartam satis modeste unius populariam suorum technas notat. Intelligit verò Trecium illum, qui Basileam, quo Fricius opus illud suum veteri amico & solerti typographo Oporino excudendum miserat, veniens & ab se imprimi talem Fricii librum audiens, copiam sibi ejus videndi fieri petiit; quod cum illi vir bonus ex suo candore alienam versutiam metiens, indulsisset, ille prædam petitam in casses suos nactus & inibi argumenta veritatis responsionibus, exceptionibus & objectionibus Trinitariorum longè fortiora animadvertens, Basilea protinus excessit, evasit, erupit, & librum Fricianum bona fide sibi commodatum abstulit & sic editionem libri sufflaminavit. Ita in Poloniam reversus obviam Fricio Cracoviæ factus, & ab eo rogatus annon Oporinum viderit

derit & de editione libri ſui aliquid inaudiverit, fortè eum in ſinu geſtans, nec Oporinum, nec librum ſe vidiſſe reſpondit. Oporinus igitur ſe ab impoſtore deluſum videns, de hoc Trecii dolo malo Fricium certiorem fecit, qui ut eum vidit, acriter in eum invectus, ferream frontem in eo deprehendit. Ac proinde actum ſe agere in eripienda Cerbero offa animadvertens rem Staniſlao Miſcovio Palatino & Præfecto Cracovienſi cum dolore juſto expoſuit. Quem præconcepta opinione laborantem & ſtudio partium nimis deditum ut comperit, de fraude Trecii plagiarii apud Palatinum queri reſtitutionem libri inſtanter urgere, injuriam ſibi illatam etiam contemtui Palatino habitam dolere, acriter jus ſuum proſequi, tandem potentiæ Palatini Trecio patrocinantis cedere: poſtremo ſcrinia ſua excutere & rejecta omni mora opus, illud ex adverſariis & chartis ferè rejectaneis denuo moliri, & abſolvere, antequam mors eum occuparet. Atque ita tandem præſtantiſſimum illud, licet mole perexiguum Sylvarum opus, ab interitu vindicatum habemus. Inter hæc cordati & veritatis amantes Viri iſti tuendæ & propagandæ omnem impenderunt operam, nihil morati adverſariorum impotentiam animi, iras & inſultus, quibus bonam cauſam malitioſè impedire nitebantur. Nullo tamen aut certè exiguò ſucceſſu, cunctis veri & honeſti cultoribus adverſùs cuncta mundi obſtacula tanto animoſius ad laudis veræ decus enitentibus. Quos inter primas tunc meritus eſt *Andræas Duditius Sbardellatus* olimque Epiſcopus Tinienſis, poſt Chanadienſis tandem Quinqueeccleſienſis, trium Imperatorum Ferdinandi I. Maximiliani & Rudolphi Conſiliarius in concilio Tridentino nomine Cleri Hungarici & in Aula Polonica perpetua legatione perfunctus. Vir recondita eruditione, linguarum ſcientia, & quod præcipuum, morum caſtimonia, inter primos qui unquam fuerunt merito ponendus. Quomodo is è medio Papatu & ſeculi illecebris ad purioris veritatis notitiam pervenerit: & non tantum honeſtè miniſterium Cæſareum, ſed & Epiſcopatum opimum fortiter reſignavit, ac matrimonium propè vocante cœlo, inierit. Pontificis ideo Romani & univerſi Papatus

Papatus indignationem & iram Romæ in imagine exuſtus meruerit aliis memoratum prætereo. Illud tacere non poſſum, quod ſolus annotavit Budzinius, eum fixa Cracoviæ ſede frequentaſſe eccleſiam Calvinianorum, & notaſſe diligenter iſtorum odia & injurias quibus veritatis cultores ad bonam cauſam deſerendam impellere ſtudebant, & qua erat modeſtia ſingulari ac verecundiæ Matronæ potius quam Viro, ſi Budzinio credimus, convenıente animum ab illis avertiſſe. Præcipua ei præbita cauſa fuit in magna Synodo à Calvinianis Anno 1568. Cracoviæ in aula illius Miſcovii Palatini habita. Ad quam exoſæ veritatis confeſſores ablegarunt aliquot Viros graves impoſita Philippovio, utpote notæ modeſtiæ viro perorandi provincià. Is in illo conventu ſic locutus ſcribitur.

Satis quidem, Fratres & Amici in Chriſto honoratiſ„ſimi utpote è communi eccleſia ejectis à ſocietate frater„na excluſis ſpretis & abjectis nobis toties repulſam paſ„ſis, & indigne habitis à ſparte Veſtra (à pleriſque certè, „inſonti modeſtiæ ſuus maneat honos) cauſſæ præbitum „eſt, ut nos noſtra virtute involveremus, intra fines non „tantum inexpugnabiles patientiæ & inſuperabilis mo„deſtiæ, ſed & neceſſarii ſilentii poſiti. Fecit tamen „flagrantiſſimus in Dei gloriam, in concordiam omni „conatu redintegrandam, in veritatem illuſtrandam, in „ſalutem veſtrum omnium aliorumque procurandam „amor, ut magis tot officiorum quam injuriarum me„mores, ad hunc quoque Conventum veſtrum adeo fre„quentem acceſſerimus. Non venimus ardelionum „importunorum more. Non temere quidquam gerimus, „non præfractè quidquam geremus. Comparemus in „iſto Illuſtri cætu tanquam Ablegati à Fratribus noſtris, „qui & veſtri non nomine tantum, ſed & re ipſâ eſſe „ex animo optant & percupiunt. Adſumus, non rem levem „vel ingloriam ſed qua nulla gravior, nulla glorioſior (de„bentur iſta caritati Chriſtianæ encomia ipſius veritatis „ore) publico nomine in loco publico decenter tractaturi. „Ne putetis quæſo nos Vobis moleſtiam faceſſituros. „Injurias condonamus, concordiam, minimum tole-
rantiam

„ rantiam & moderationem animi officiosi requirimus. „ Non turbabimus circulos rationum Vestrarum, intra „ circulum æquitatis cuncta reducere volentes. Non tur- „ babimus & quietem vestram, nil nisi pacem omnibus „ votis & studiis quærentes. Non alienarum rerum cu- „ riosi ingerimus nos negotiis vestris, Christi imo Ve- „ strum proprium negotium apud vos acturi. Par au- „ tem concordiæ studium & æquitatis officium à parte „ vestra, nisi nos omnia fallant nobis pollicemur. Ipsa „ vel invita fatebitur invidia, nos in omnibus Sacris „ Conventibus in hac ipsa regni Metropoli. Anno 1561. „ Xiansiæ Pinczoviæ Rogoviæ anno 1562. Mordi „ anno 1563. tum Petricoviæ 1565. tum Lancuti de- „ nique Scrinæ anno superiori habitis omnem servasse mo- „ destiam, etiam cum acerbius appetiti non ex æquo „ tractaremur. Præcipuè verò quæ in priore Pinczoviana „ Mordensi & Scrinensi de tolerantia servanda sancita „ erant, intemerata custodivimus nulla re magis quam „ omnis generis afflictionibus, quas ab omnibus pro- „ pter filium hominis patimur nobilitati. Annon ita- „ que officium verorum Christi discipulorum studentes „ servare unitatem spiritus in vinculo pacis fecerimus, ipsi „ judicate. Sed ut nullam officii partem negligeremus, „ etiamnum vobis conventis opus fuit. Testamur coram „ Deo mentium auctore & inspectore nos soli infallibili „ & omni exceptione majori Sacrarum litterarum au- „ ctoritati acquiescere, & primævæ integritati adhærere „ ex animo, illi doctrinæ & veritati quæ secundum pieta- „ tem est addictos. Nec falsi sumus dum asserimus „ quicquid in omni antiquitate cum immobili regula „ veritatis divinæ convenit, nobiscum facere, pro nobis „ militare exceptis Philosophicis tricis, quæ nobis simplicio- „ ribus, qui tamen majorem semper Ecclesiæ partem con- „ stituunt ignotæ sunt, à quibus tamen doctrina Christia- „ na nulla re magis quam simplicitate se commendans „ paulò post Apostolorum tempora pendere cœpit, quem „ primum fuisse gradum Ecclesiæ ad deteriora prolaben- „ tis, Magnus ille jure meritoque judicat Erasmus præ- „ fat in Hilarium. Ita decerto veritatis plene persuasi & „ sen-

„ sententiæ nostræ firmiter confisi, alios minime odi- „ mus, damnamus, insectamur, verbo, opere, vel et- „ iam animo. Judicium de occultis incorrupto illi „ Judici relinquamus. Vos etiam atque etiam ora- „ mus & hortamur, ut memores officii propter glo- „ riam Omnipotentis Dei & Filii ejus unigeniti Domini „ nostri Jesu Christi nobiscum fraternè & amicè ex so- „ lis sacris scripturis de veritate illustranda, de caritate „ retinenda, de concordia postliminio revocanda agatis, „ omnes vero rixas, simultates, iras facessere jubeatis, „ nil nisi gloriam divinam & mutuam ædificationem „ quærentes. Atque hæc sunt quæ pro fratribus meis, „ id est, pro veritate fidei, pro pietate morum, pro con- „ cordia & pace Ecclesiæ apud vos dicenda habui: qui- „ bus si aures puæbueritis faciles, felices nos judicabi- „ mus, nos bonam causam non tantum bene sed & „ prospere egisse: Sin autem, ut adhuc res secus ceci- „ derit: dolebimus in vobis quoque illud verum esse, „ quod ibidem Erasmus addit: Accreverunt opes & accessit „ vis. Porro admixta huic negotio Cæsarum auctoritas, non „ multum promovit fidei sinceritatem. Tandem res dedu- „ cta est ad sophisticas contentiones articulorum myriades „ proruperunt. Hinc deventum est ad terrores & minas.

Hæc quidem tunc Philipovius in frequentissima illa Panegygri in oculis auribusque ut plurimorum aliorum etiam Pontificiorum ita & Duditii peropportunè dixit; omnesque viri senili prudentiâ & auctoritate gravis, partes implevit. Sed quos amor hujus sæculi & fiducia potentiæ transversos egerant virum canitie venerandum, & magnæ in Rep. quoque auctoritatis non reveriti cum acerbitatis ac contumeliæ pleno responso dimiserunt. Quo profecto omnium æquiorum ipsorum quoque Pontificiorum, quibus ex facili judicare erat, illos ipsius hospitalitatis & juris gentium in tractandis & dimittendis Legatis oblitos fuisse, animos offenderunt. Et certe magno eis tanta iniquitas constitit, jactura scil. Magni Duditii, quem quanti Maximi quique viri Thuanus, Lipsius, Crato, Monavius, Muretus, ipsique adeo gravissimi adversarii Beza, Romundus

 fecerint;

fecerint, non attinet dicere utpote orbi notum. Nam ille quidem tunc pro tempore dissensum dissimulabat. Cuncta tamen tacitus pectore condebat suo. Malevoli interim, quibus solemne est cuncta, etiam alienissima, in partes trahere, & silentium opportunum pro consensu interpretari pudendum facinus tanti viri auctoritate velare contendebant, & ab exteris (non enim domi continere se nimia sui fiducia poterat) qui tantam in Duditio pietatem collaudarent, & ad induendum zelum exstimularent, flagitabant. Ita apud multos non equidem lynceos, multum de tanti nominis existimatione detractum, operâ cumprimis Trecii viri garrulitatis, levitatis & ambitionis notæ, quem eruditio pulveri Scholastico conveniens, intrata Helvetia simplicioribus vix cognita, & commercium litterarum cum Calvino ante quadriennium demum defuncto, Beza eorumque gregalibus cultum inflabant. Ideo vir ut veri, ita & bonæ existimationis servantissimus, quam ei læva manus detractoris adsperserat maculam dextrâ adhibitâ prudentis scriptionis spongia abstersit. De hinc partes amplexus meliores Ecclesiæ quidem ut minori ita & veriori nomen non dedit, ejus tamen fautor & Smiglæ, Majoris Poloniæ oppido (nam ob maxima merita inter regni indigenas Anno 1565. in Comitiis Petricoviensibus cooptatus adfinitate quoque præclara nitebatur, ut qui secundis nuptiis Elisabetam splendidis natalibus ortam Zboroviam cujus pater Senatus Politici Princeps, quatuor fratres Regni Senatores tres reliqui illustribus admoti officiis fuere, domum duxerit) patronus imo fundator fuerat, & vitam agens Christianam ad extremum usque Vratislaviæ certus supremæ horæ & vitæ melioris, placido fato cessit, Vir ut natalium sorte, ita cunctis animi dotibus, meritorum excellentia, dignitatum sacrarum civiliumque splendore, adfinitate, vita & morte piâ, præcipuis quibusque in orbe Viris & Heroibus Christianis (quod etiam Orphinovius in suis rythmis fecit) meritissimo accensendus, cùm & incomparabilis dici meruerit.

C A-

CAPUT X.

De itinere à Philipovio & Schomano in Moraviam suscepto, & de fratribus Moravis.

CElebertimam Synodum Cracovianam, de qua superiore capite egimus, & quam prisco Conciliorum exemplo veritati puriori inimicam diximus, non meliori fato ab eodem illo Philipovio & Georgio Schomano susceptum in Moraviam iter excepit. Nempe Lucas Mundius urbis Vilnensis Senator dignitate & patria relicta impetum pietatis secutus ut varia loca peragrare amabat, ita Anno 1569. in sectam Moravorum fratrum (qui . . .
. . . .
. . . . incidit. Quibus aliquot hebdomadibus cohabitans, Ecclesias Polonicas, quasi eis per omnia, excepta honorum communione consentientes commendavit. Ita acceperant auditione viri illi eximii multa de illorum fratrum Moravorum singulari pietate, modestia, caritate, disciplina morum. Sed & ibi non parum minuit, præsentia famam. Duo enim illi viri multa præclara, sed eosdem vulgare dogma de Trinitate mordicus retinentes, & qui si contradicant, odio persequentes, ab eis abhorrentes, præter opinionem offenderunt. Nam nos puræ per gratiam divinam veritatis confessores, & unius Dei creatoris & patris per Jesum Christum Mediatorem & Servatorem, summum Pontificem, Regem cælestem, Dominum & judicem universorum in Spiritum S. (qua fide nil magis Catholicum Apostolicum, Christianum, divinum est) cultores Ethnicos appellare ausi sunt. Ut ita iter & conatus illorum duorum virorum fuerit irritus bonis istis viris à præconcepta opinione & inolito errore ne latum, quod dicitur unguem discedere volentibus, adeò ut & ab istis, alioqui mundo exosis & hujus judicio, abjectis odia propter nomen Jesu Nazareni pati necesse habeamus.

C A-

CAPUT XI.

De bello Trinitario in Transylvania orto, & certaminibus Georgii Blandratæ & Fausti Socini adversus Franciscum Davidis pro Christo invocando susceptis.

NOn ita bellum de Trinitate in Poloniis & Litvania gestum, quin & Transylvanos è vicinia subinde exerceret. Luculenta tam errorum oppugnandorum, quam tuendæ & propagandæ veritatis præbita occasio sub Joanne Sigismundo Principe Transylvaniæ, cui amissum Regnum Hungariæ paternum Rex Regum notitia mysteriorum regni cælestis pensavit in Schola patientiæ strenuè ad pietatem veram exercito, ac velut divina dextra educto. Evocarat ille Claudiopolin non paucos Viros in sacris litteris exercitatos, quorum piis colloquiis integris decem diebus habitis assiduo interfuit & præfuit, & hisce pietatis studiis constanter deditus vitam hanc ærumnarum plenam illa cælesti ac beata Anno 1579. d. 14. Martii commutavit. Multa sub hoc Principe Magnanimo & virtutibus Christianis prædito ac proinde Eximio in illis oris ad propagandum genuinum divini nominis cultum gesta. Et anno quidem 1578. Tordæ in *Transylvania* ad Synodum congregati fuere CCCXXII. Ministri Unitarii, in qua Pædobaptismus rejectus fuit, uti in suis notavit Adversariis Valent. Smalcius. Verum tamen & excitati in simpulo fluctus, *Francisco Davidis* pastore Claudiopolitano invocationem Christi, quam Majestas Regis cælestis jure suo requirit, idque tanto magis quod ad gloriam Dei Patris fiat, oppugnante. Huic primus Blandrata, cujus apud Principem magna erat auctoritas, se opposuit. Utrumque acerbis scriptis vellicarunt Theodorus Beza & Georgius Major Prof. Wittebergensis, & iste quidem postquam ante victoriam triumphum cecinit, pudore confusus quievit. Extat in scriniis Budzinianis excerptum ex litteris à Blandrata Segesvaria ad Ecclesias Minoris Poloniæ Anno

Anno 1568. d. 27. Jan. exaratis, quod hîc inserere placuit utpote ad rem, de qua agimus, pertinens.

Quia facti jam pridem fuistis certiores de rebus no-
„ stris & Ecclesiarum nostrarum per Dominum Prospe-
„ rum Provanam fratrem, nunc breviter omnia per-
„ stringam. Primum opinor vos Bezæ libellum famosum
„ in Valentini Gentilis cineres & nos omnes sigillatim
„ debacchantem vidisse, in quo magno opere Bernensium
„ in trucidando homine illo facinus divinum esse com-
„ mendat, cui quo abundantius virus posset depromere,
„ epistolam præfixit, cujus authorem filium Satanæ esse
„ constat. Interea nihil ad rem vel ad causæ cognitio-
„ nem. In calce horrendum postea canit classicum, Se-
„ renissimum Regem Poloniæ & Serenissimum Regem
„ Transylvaniæ ad sæviendum in nos adhortando. Tur-
„ pe est referre scurræ petulantiam & rabulæ infamem
„ procacitatem. Sic verò operæ pretium erit, ut hostes
„ nostri, pro ingenita ipsorum impietate scribant. Ca-
„ veamus vero ne maledicendo illis similes unquam
„ videri possimus. Misit Petrus ille Melius Pastor De-
„ brecinensis Convocatorias ad Synodum indictam per
„ suos Debrecini cum Thesibus disputandis. Id verò vafer
„ impostor, habitâ intelligentiâ cum Germanis, quò
„ nos captivarent, ex professo fecit, qui & nuper quèm
„ per Lazarum Svendi jusserat in carcerem conjici Do-
„ minum Lucam Agriensem Pastorum omnium eruditis-
„ simum fratrem nostrum, qui tametsi rem totam ad
„ unguem non teneat, disputabat ad mortem usque pa-
„ ratus subeundum Verbum ante carnem Filium Dei nisi
„ in prædestinatione nec dici nec esse posse, nunc au-
„ dimus salvum utique evasisse, sed proscriptum. Hic
„ Melius nos omnes non secus atque Beza in epistola
„ præliminari traducit, & convitiis lacessit, animadver-
„ tensque nos eò venire nulla ratione posse, jactando in
„ fine habet: si illi ad nos non venerint, omnibus constabit
„ homines esse, qui lucem fugiant, & malam defendant
„ causam. Quamobrem nostras Synodos additis thesi-
„ bus quarum exemplaria 40. per Valentinum Seniorem
„ Ecclesiæ Lublinensis mittimus. Orate Dominum ut

„ quemadmodum in publica illa disputatione Albensi no-
„ bis strenuus adfuit, in hacquoque Tordensi suo Spiritu
„ per Jesum Christum muniat & doceat. Cæterum, a-
„ mantissimi fratres, credite Dominum nunc hic habere
„ athletas suos, qui propalam & privatim unicum &
„ Altissimum Deum unicumque ejus filium de Spiritu S.
„ conceptum tanto animi fervore prædicant, ut nullis
„ possint deterreri tormentis. Vos scitis Domini fuisse
„ institutum, ut tantæ molis columna hic per nos ex-
„ ereretur, & super montes inaccessibiles poneretur.
„ Cogitate quæso initia, media, & quanam ratione nunc
„ transigantur. Non arbitror me prorsus extra nu-
„ merum eorum esse, qui caussæ promovendæ causam
„ dederint. Interea ingenue coram Deo fateor, me igno-
„ rare quonam pacto vel in quem usum & finem Deus
„ hæc per nos movenda esse voluerit. Reliquum est,
„ ut oremus incessanter illum Deum & Patrem omnis
„ consolationis & misericordiæ, ut perficiat quod per nos
„ incepit opus ad sacro sancti nominis sui gloriam. Ha-
„ bemus typographum planè nostrum, & Serenissimum
„ Principem, qui audire omnia, expendere & justo judicio
„ persequi velit. Nec est procul dubio cur insolentia aut
„ fucata rhetoricandi arte Luciani milites vel Thrasones
„ Bezam cum illis suis Claudianis tonitruis ne pilum qui-
„ dem posse promovere contendant. Orate quæso Do-
„ minum ut hunc Serenissimum Principem saltem nobis
„ custodiat, si tamen erit voluntas ipsius.

Satis inde apparet quàm acres adversarios Trinitarios experti tunc fuerint veritatis cultores. Nam & Petrus ille Melius satis malus, illarum turbarum in Hungaria fax extitit. Qua de causa in Synodis Tordæ & Albæ Juliæ habitis actum est. Cuncta ibi gesta libris publicis edita ad nos non pervenerunt, præter solos titulos eorum. Alter est *Refutatio scripti Georgii Majoris, in quo Deum trinunum personis & unum essentia, unicum deinde ejus Filium in persona & duplicem in naturis ex lacunis Antichristi probare conatus est.* Alter *Refutatio scripti Petri Melii, quo nomine Synodi Detrecinæ docet Jehovalitatem & Trinitarium Deum Patriarchis, Prophetis & Apostolis cognitum.* Finitis illis duabus Synodis, imò & tertia longè celeberrimâ, licet hæ non parum labefactarint erronea dogmata, præcipue sectæ Romanæ pessimæ & idololatricæ, ut Budzinii verbis utar, sparsis per Poloniam, Germaniam, Italiam libris de controversiis religionis. * * *

*Transferemus huc etiam litteras * * * ad Hallopegium datas, ubi & de libris clam edendis & aliis quibusdam Lectori tædio, ut speramus, non futuris agitur.*

„ ET præsentem fortunam tuam tibi gratulor, & gra-
„ tias ago quod meam mihi à Deo humaniter fue-
„ ris gratulatus, utriusque est curare ne tanta Dei in nos
„ clementia benignitateque abutamur. Excusationem
„ silentii adferre non fuit opus, tempestivè satis scripsisti,
„ qui nunquam etiam sine ulla turpitudinis nota potuisti,
„ grata mihi tamen tui in me animi tanta propensio, pro
„ qua vicissim iterum absenti offero, quæ alias præsenti
„ obtuli id est quæcunque possum debeoque.

„ De libro quem hic intercessione mea velles impri-
„ mi, paucis accipe; Scis hoc hominum, i.e. typographo-
„ rum genus non esse tale, ut propriis sumptibus im-
„ pressionem librorum penes se recipere soleat, cum li-
„ bri auctoribus offeruntur, quorum famam excellenti-
„ amque non apud eos aut saltem multos esse celebrem
„ putent, questum unum ipsis sibi proponunt & nihil
„ præterea: nisi liber ille popularis tui qui proximè edi-
„ tus fuit Wittembergiæ quasi defensionem Doctoris
„ Georgii Majoris præ se tulisset, & ipse certè vix fuis-
„ set excusus, non temere loquor.

„ Laudo consilium tuum qui Deo servire & proximo
„ consulere opera tua in re tanti momenti studeas, sed ne
„ rogo sis quorundam imitator: quid intelligam tu conji-
„ cies.

„ Extant jam multa à Transylvanis contra istos, & ab
„ istis ac nostris contra Transylvanos: nec plura â vobis
„ proponi vel allegari posse puto. Ad omnia tamen

„ Franc. Davidis in libro de vera & falſa religione, in „ reſponſo ad D. Georg. Majorem & alibi ad Davidem „ viciſſim noſtri multa reſponderunt. Vide igitur ne tu „ actum agas, ſed vel melius ſi poſſis reſpondeas, vel „ omnino taceas. Tu unum ex illis haud credo, qui ex „ Galli cantu ſeu audita cum Petrus Chriſtum Dei abne- „ gavit, Trinitatem perſonarum in unitate volunt ex- „ tundere, ac proinde ludibrio adhuc magis noſtris iſtis „ exponere. De cætero in hiſce rebus nobis dictum me- „ minerimus Uni tantum Deo dandam eſſe gloriam nul- „ la nos ambitione (quis eſt mortalium qui tali ſcabie „ non eſt infectus?) gloriæ propriæ hic titillari vel turge- „ re oportere. Magnum quippiam videtur noſtrum no- „ men tipis excuſum circumferri quod tamen in aliis ar- „ gumentis minori cum damno noſtro eſſe poteſt: at in „ iſtis divinis, non ſine irati divini numinis vindicta. „ Quid agas, abſtine à furiis illis Genevenſibus, i. e. Con- „ tumeliis, verbis ne jungas Sacroſanctam Dei ſcientiam: „ Non enim ab alio quam Diaboli Spiritu ducuntur qui „ in tam prophana verba de iſtis myſteriis erumpunt. „ Rabies non allicit ad ſe animos adverſariorum, maledi- „ cta non probant convitia, non perſuadent, propria hæc „ eorum dicit eſſe Ariſtoteles in Rhetoricis, qui minus „ in cauſſa valent.

Voces autem illæ aqua, ignis, ferrum laqueus voces „ ſunt anthropophagino Chriſtiani diſputatoris, & quaſi „ verò res ipſa vel vera vel falſa ſit, unà cum ipſis homini- „ bus comburatur vel pereat.

Quod ſi quis non auſcultet noſtro Sermoni, inquit Pau- „ lus ad Theſſalon. *hunc notate ut eum pudeat, neque* „ *tamen ut inimicum ducite, ſed admonete ut fratrem.* „ Atque Timotheo ſcribens definit nobis Paſtorem Ec- „ cleſiæ cum ait: *ſervum Domini non oportet pugnare,* „ *ſed placidum eſſe ergà omnes aptum ad docendum, tole-* „ *rantem malos, cum lenitate erudientem eos qui contrario* „ *animo ſunt affecti, ecquando det eis Deus ut reſipiſcentes* „ *agnoſcant veritatem.*

Adducuntur huc à Sarcophagis illis Genevenſibus limi- „ tationes, ſed quales illæ fuerint, Deus ille unus, an- „ te

„ te cujus tribunal aliquando ſtabimus omnes judicabit. „ Zizania volunt omnino exſtirpari rectè ſed à quo? „ Chriſtus ipſe Dei Filius altiſſimi proſpiciens multos „ poſtremo iſto ſeculo fore, qui pro zizaniis triticum „ ex agro Dei eſſent eradicaturi, juſſit ne nos colligere- „ mus ipſi, ſed creſcere ſineremus uſque ad meſſem. „ Tunc enim ait, mittet filius hominis angelos ejus „ (hi non falluntur, nos falli diſcernendo triticum à Zizaniis „ poſſumus) qui colligent omnia ſcandala & projicient „ in fornacem ignis.

Hæc à Præceptore tuo, ſi gratus eſſe velis diſcipulus, „ accipies animo quo dicuntur, i. eſt. candido & ſincero. „ Inter pios & impios nullum diſcrimen impietatis eſt: qui „ Politico magiſtratui cum omni reverentia tam in lu- „ cro quam in damno ſe ſubjicit, is, ut Ariſtoteles ex „ Homero inquit, ἅμα καὶ πολέμου ἐπιθυμητής. At non „ hoc petimus quæſtio eſt num hominum conſcientiæ „ quod ad cognitionem pertinet, ſint, igne, aqua ferro „ unquam vel uſquam cogendæ?

Quæſtio eſt num ji qui miniſterium verbi Dei profitentur „ Principes terræ ad ignem unquam ad aquam, ad fer- „ rum, ad laqueum debeant incitare. Vocabula quædam „ ex Philoſophia petita & abs te uſurpata ad revelatum „ hoc myſterium Trinitatis explicandum voluiſſe à me „ planius declarari benè erit, mi Hallopegi, ſi præter- „ miſſa Philoſophia rem totam Theologicè tractes. Et „ enim in noſtrate diſciplina iſta nihil eſt quod iſti articu- „ lo ne non ex diametro repugnet, ut de vocibus illis „ differre, idem eſſe realiter eſſentaliter, ratione unum, „ trinum, eſſentia, hipoſtaſis & hujus modi aliis de „ quibus ſanctiſſime ſcripſerat alicubi Lutherus, meras „ nimirum eſſe nugas quæque obſcurent magis Trini- „ tatem quam illuſtrent: & ſanè ſi ad regulas Ariſto- „ telicæ Philoſophiæ revocare vellem ipſas, actum „ omnino nobis erit. Quid ergo dices tot tantorumque „ virorum & Philoſophorum ſententias damnas atque „ eorum etiam quos antea laudaſti? hanc certe ut falſam „ Chimericam jure damno ut noxiam abhorreo. Lau- „ davi antea, quia cum cæcutientibus cæcutivi, nunc

 videor

„ videor mihi aliquantum acutius in nostrate Philosophia „ ista cernere posse, sit nomen Domini benedictum. „ Concludam in angustum quod volo, dabis adversariis „ nostris ansam ridendi magis & plura respondendi, quò „ tu plus Philosophiæ isti dispensationi tuæ immiscebis. „ Thomas & Scotus qui viri & quanti ante te fuerunt? re- „ liqua per te ipse intelliges. Vale, & me ama præter „ cætera rogo & obscero ut quoties ad me literas dederis, „ velim autem dare frequenter, de toto statu istius re- „ ligionis facias me quàm diligentissimè certiorem. I- „ terum Vale. Lipsiæ 15. Maji. Anno. Domini „ 1571.

Addemus & alias Joannis Someri *Scholæ Claudiopolitanæ Lectoris*, (de quo vid. Biblioth. Antitrin. p. 57.) *præfixas thesibus in quibus indicare conatus est Auctores dogmatis vulgò recepti de Trinitate, unà cum Thesibus ipsis.*

„ DIu multumque hactenus de Deo Uno Trino, „ idque cum summa animorum contentione disce- „ ptatum est, sed fructus est idem utrinque consecutus. „ Ut enim nostri animi facti sunt non paulo confirmatio- „ res, ita adversariorum multi quidem facti sunt obsti- „ natiores, sive quod eos cedere pudeat, sive quod me- „ lius non intelligant. Alii vero cum scripta apud E- „ vangelistas & Apostolos non reperiantur, quæ pro con- „ firmatione dogmatis afferuntur, animo pendent, eò „ quod non satis sciant unde interpretationes illorum sint „ haustæ. Putavi itaque me operæ facturum pretium, si „ paucis thesibus comprehensa illorum doctrinæ auctores „ ostenderem, à quibus ista omnia accepta sint: quando- „ quidem & inter ipsos multos esse nequaquam dubito, „ quod nihil minus sibi persuadent quam se Platonis do- „ ctrinam pro Christi Evangelio defendere. Et nostro- „ rum quoque multi sunt, qui in horum auctorum „ lectione non adeo sunt versati. Græcia propter Philo- „ sophiæ studium Christi & Apostolorum tempore flore- „ bat admodum, & sectarum auctores præcipui erant „ Chrysippus, Plato, Aristoteles & quorum opiniones qui „ ignoraret, in eruditis nequaquam numerabatur. Ex „ illorum Scholis cum multi ad Christum accederent, ne „ cum vulgo communem haberent doctrinam, studue- „ runt Evangelium cum Platone conciliare, quod ipsis „ perquam videbatur facile, cum utrinque easdem voces „ λόγε, πνεύματος, ψυχῆς, verbi, Spiritus, animæ, prin- „ cipii quanquam sensu diverso reperirent. Vide & Pau- „ lum verisimile enim queri, quod Græci requirerent in „ ipso Sophiam quod conjectare licet ei qui Dionysii illius „ quem Pauli fuisse discipulum volunt, scripta legerit. „ Amelius Philosophus Platonicus discipulus Ammonii, „ cum legisset initium Euangelii Joannis, exclamavit „ *Dispeream nisi barbarus ille* (nam ipse Græcus erat) „ *breviter complexus est, quæ divina ratione principio &* „ *dispositione divinus Plato & Heraclitus tradiderunt*, ut „ Postellus lib. 1. c. 3. refert. Talia fuerunt initia, sub- „ secuta tempora omnia magis ac magis corruperunt, quod „ etiam in libris Lactantii manifeste videre licet. Bene „ vale Christiane lector; ex his paucis totum dogma, ex „ digito quod ajunt pedem æstima ac obstupesce Clau- „ diopoli: die 15. Maji Anno D. 1571.

THESIS I.

U*Nus est Deus Pater Filius & Spiritus S. in essentia indivisus, tribus personis distinctus juxta illud, hi tres unum sunt. Probatio:* Plato in Timæo Essentia indivi- dua & semper secundùm eandem se habens formam & rursus ex dividua tertiam speciem ex ambabus mediam commiscuit, quæ rursus ex ejusdem & alterius. Nam hærent. Et acceptis his quæ tria essent, omnia in unam ideam commiscuit.

Id. Epistola 6. Adjuratis Deum omnium Ducem, tum eorum qui sunt & Ducis ac causam Patrem Dominum, *Et ecce Trinitatem, Patrem, Ducem & causam.* Marsil. Tic.

II. *Hi-*

II.

Hi tres simul sunt creator cæli & terræ non Pater tantum. *Probatio: Aristoteles* 8. *Physic.* Tribus regitur mundus, Motore non moto, moto motore & motore non movente, *i. e. ac si diceret, Pater increatus generat æternum filium à quo & Patre procedit Spiritus S. in quo est finis divinitatis.* Post. de orb. concord. l. 1. c. 3. Plot. Elucit. 2. l. 9. c. 2. Tria sunt rerum Principia Ipsum bonum, filius ejus intellectus ex prima luce luminis more manans & mundi anima ex intellectu divino velut Spiritus per omnia profluens. *Marsil. Ticin. in Tim. cap.* 9. Universum hoc judicant Platonici ab ipso bono per intellectum divinum, quod boni illius filius est, animamque universi producere. *Idem in summa Enn.* 5. *l.* 2. Bonum includit paternæ fœcunditatis intellectum, intellectualis filii emanatio, animam processio Spiritus per voluntatis modum.

III.

Pater æternus intuens sempiternum gignit Filium imaginem suam, lumen de lumine.

Probatio. *Plat. in Tim.* Opifex ille pulcherrimi & optimi Perfectissimum Deum generavit. *Plot. Enn.* 3. *lib.* 8. *c.* 10. Qui mundum intelligibilem intuetur, eum oportet effectorem ejus diligenter inquirere, quisnam ille sit, ubi vel quando talem genuerit filium, intellectum puerum puer & formosum formosus filium inquam à Patre primum. *Id. Enn.* 6. *l.* 8. *c.* 18. Quale enim est id quam in mente tale ferme cogitatur quod enim in uno aliquo quam jussit longè præstantius, perinde ac si lumen longè diffusum ex uno aliquo in se manente penitusque perspicuo prodeat. Ubi profectò quod est diffusum alterius est imago illud autem unde hoc emicat lumen est proculdubio verum non tantum imago diffusa aliena est & dissimilis forma.

IV.

Filius lumen de lumine & imago prioris doctrinæ quia essentiæ illius est particeps. Probatio.

Plato in Timæo. Imaginem in alio fieri convenit ita ut essentiam quoque usurpet quodammodo, aut ipsa penitus nihil sit. Idem in definitionibus Generatio est motus ad essentiam: assumptio essentiæ, progressio ad hoc ut sit. Marsil. Ticin. in Tim. c. 10. Imago boni sit pendet ut bono sicut lumen extra solem à luce intra solem quam fundit ex se splendorem sicut lumen.

V.

Cum Filius sit principium oportet esse æternum sine alio principio temporis non factum. Probatio Plato in Phædro. Principium factum non est, ex principio necesse est quicquid sit fieri, imprimis vero ex nullo. Si enim ex aliquo fieret, utique ex principio fieret, & cum factum non sit, etiam corrumpi non potest.

VI.

Hic logos creavit coelum & terram cum Spiritu S. & gubernat omnia. Probatio. Plato in Tim. Intellectus vel ratio filius boni, & architectus mundi. Idem in Epim. Ratio divinissima vel verbum divinissimum mundum constituit visibilem. Idem in primo de legibus. Anima quæ Deus est adjungens sibi mentem quæ & ipsa Deus est semper recte & fideliter gubernat omnia. *Idem in Cratylo*: Mens & anima omnium aliarum rerum naturam dispensat,

Ibidem Anaxagoras dicit, Mentem imperatorem summum existentem & nulli permixtum exornare res per omnia transeuntem.

In Philebo, Omnes sapientes consentiunt, quod mens sit Rex cæli & terræ. Ibidem dicimus mentem & prudentiam quandam admirabilem componere & gubernare hoc quod vocamus universum.

VII.

Filius Dei habet in una persona duas naturas, alteram divinam ex patre alteram humanam ex matre: quarum illa immortalis hæc vero mortalis est. Probatio.

Primo auctoritate Homeri qui Odyss. l. 2. Herculem dimidiatum tantum esse mortuum, & humana tantum natura mortuum, idolum apud inferos esse solam divinam naturam cum cælestibus, recumbere. 2. *Probatur auctoritate Luciani in dialogis mortuorum, ubi idolum Herculis rationes reddit, quomodo duæ naturæ copulatæ sint. Interrogat enim Diogenes sic:* Per Herculem tuum dic quæso, dum ille vivebat, eras

erasne cum ipso etiam tunc imago existens? aut unus quidem eratis in vita, postquam autem ex vita excessistis seperati, ille quidem ad Deos immortales avolavit, tu vero umbra illius ad inferos devenisti? *Herc.* Quicquid Amphitryonis in Hercnle erat, id ipsum morte affectum est, quod nempe ego sum totum quod autem ex Jove erat, cum diis immortalibus conversatur. *Diog.* Perspicue nunc intelligo, dicis eadem vice Alemenam duos peperisse unum quidem ex Amphitryone alterum vero ex suo Jove, ex quo factum est ut gemini in unius matris utero lætaremini.

Hercul. Nequaquam ô insane. Idem profecto eramus ambo.

Diog. Neque adhuc intelligo si est facile duos Hercules in unum copulatos esse hominem videl. & Deum.

Herc. Annon homines eodem pacto tibi componi videntur animo videl. & corpore? *Consonat cum his symbolum Athanasii, qui* 200. *annis post floruit*, quemadmodum corpus & anima sunt unus homo, ita Deus & homo sunt unus Christus.

VIII.

Spiritus S. procedit ex essentia Patris per amoris emanationem. Probatio Plat. Enn. 6. l. 8. cap. 16. Idem autem Deus intra se æque per totum quasi penetrat, tanquam se ipsum amans puram lucem, ipse hoc ipsum quod amat existens, id est autem in hypostasin se producens. *Jehovalitas & Æternitas recens nata sunt Debrecinii, ideo veterum testimoniis destituuntur.*

Non caruerunt hæc & alia ejusdem generis scripta effectu suo, quæ etsi damnata & vetita, prisco tamen humano ingenio tantò ardentius appetebantur, & hos ad tolerantiam, illos etiam ad veritatis notitiam pertrahebant. Quin imò & calumniæ aliaque persecutionum tela idem adversus veritatem quod nebulæ adversus solem poterant.

CAPUT XII.

De fundata Racoviâ, & Synodo quæ ibi aliquot annis duravit, habitis de rebus fidei per multos viros pios colloquiis, multis & illustribus divinæ providentiæ super locum illum argumentis usque ad ruinam ejus 1638. *factam.*

TEmpus & occasio me monent, ut hoc loco historiam celeberrimæ Racoviæ contexam. In hoc enim oppido & avia mea Anna patre Erasmo illo Otphinovio nata, & pater nuptias cum matre mea Catharina Philipovia, Hieronymi illius nepte, contraxit, & ego vitæ initium accepi & qualescunque, in studiis humanioribus profectus in illa celebri Schola Consilio patrui mei magni Stanislai Lubieniecii fundata, cepi, ut ita sine ingrati animi nota natales natalis loci imò sine sacrilegio divinæ providentiæ quæ illud oppidum toties servavit prorsus mirabiliter insignia documenta silentio præterire non possim. *Joannes Sieninius*, Olesniciorum eadem arma gentilitia Dembno dicta gerentium consanguineus, Castellanus Zarnoviensis postmodum Palatinus Podoliæ professione Reformatus Anno 1569. oppidum hoc in Palatinatu Sendomiriensi, uno à Sidlovia lapide, fundavit à gentilitio uxoris è Gnojeniorum avita stirpe. stemmate *Rak*, id est *Cancer* nuncupatum. Solum quidem illud fuit arenosum, adeoque minus lætus ager. Suppeditavit tamen quantum satis erat, etiam ad victum commodum, ad hæc temperato & salubri aëre, & amæno situ, planitie, stagnis, fontibus, sylvis proximis arboribus etiam in ordinem consitis, gaudens ac pratis luxurians. Multos piorum, etiam longius remotos, loci illius commoditas, & sub pio patrono gratissima libertas, ad sedes illuc transferendas & figendas allexerat. Nam & Gregorius Pauli & Albinus Cracovia illuc commigraverant. Calinovii quoque, Georgius Schomanus

Securinius, & alii locum illum in domicilium elegerunt. Idem Mundius ille urbis Vilnensis Senator & alii è Lithvania fratres fecerant. Adeòque justum collegium illi ibidem formarant & Synodum aliquot annis ibidem celebrarunt assiduo divinæ rei vacantes & de sacris inter se conferentes. Sed veritatis amantes principii difficultates ita feliciter eluctari non poterant, quin in tanto hominum numero, dissidia orta fuerint, captis plurium superstitione animis ad temnendum corporis cultum, ad Linquendum magistratus & cunctas vocationes, etiam ministerii, quasi perfectioni & æqualitati Christianæ adversantes & communionem bonorum introducendam Schomanus memoriæ scriptum reliquit, Deum misertum suorum res prope disjectas opera Optimi viri *Simonis Pharmacopæi* (non dubito quin illum *Ronenbergium*, Cracoviensem, virum Spiritu gratiæ & orationum præditum intelligat) tanquam novi Esdræ, collegisse in unum, & cum illæ collapsæ humanitus viderentur, ministerium cum baptismo adultorum Anno 1570. in illis tumultibus erexisse. Blandrata eos ex Transylvania datis ad Philipovium litteris officii admonuit quò scil. abjecta superstitione inter homines agerent, eisque vitæ exemplo ad veritatem & pietatem sectandam prælucerent. Gubernarunt illam Ecclesiam Viri undecunque eximii *Christophorus Ostorodus*, *Petrus Statorius*, *Valentinus Smalcius*, *Stanislaus & Christophorus Lubieniecii fratres*, *Joannes Crellius*, *Jonas Schlichtingius*, *Petrus Morscovius*, *Joannes Stoinius*, *Salomon Paludius*. Schola inibi Anno 1602. fundata egregia sumserat incrementa, & ita brevi interjecto tempore feliciter Curatoribus præter Patronum virum indefessæ Solertiæ Viris undique Præstantissimis Hieronymo Moscorovio, Erasmo Otphinovio, Adamo & Andræa Goslaviis aliisque ut inter illustriores totius Poloniæ haberetur. Idcirco multi Pontificiorum fama nominis virorum doctorum, *Pauli Crokeri*, *Ioannis Crelliis Martini Ruari*, *Pauli Rinovicii*, *Ioachimi Stegmanni Senioris*, *Adami Franci*, *Georgii Nigrini*, *& Laurentii Stegmani* (qui post cladem Racovianam Fribander dictus est) post *Martinum Borrhaum*, *Georgium Manlium & Samuelem* *Nece-*

Nececium Scholam illam rexerunt, invitati, liberos suos illuc tanquam ad mercatum bonarum litterarum mittebant. Ac inter eos viri nuper etiamnum in patria Illustrissimi ac dignitate Senatoria conspicui Lescinii, Barnicii, Tarlones, Niezabitovii, aliique fuere. Nempe quod præter incomparabilem Præceptorum diligentiam & legum Scholasticarum auctoritatem bonis moribus in illis Athenis Sarmaticis, imbueretur generosa Juventus. Ad hanc Scholam ac typographiam fundandam, ut & libertatem oppidanis concedendam permotus est *Jacobus Sieninius*, Joannis, filius, Heros immortali memoria dignissimus persuasionibus ut dixi, Stanislai Lubieniezii quo olim amico in Aula Stephani Regis usus est, & qui ministrum verbi in illa Colonia Racoviana agebat unà cum Christophoro Ostorodo Goslaviensi, Viro eximiè docto & pio. Vivebant ibi id temporis Sacro dediti otio duo eximii Viri Hieronymus Moscorovius Pilaucicus; Non tantum splendore natalium, utpote vetere & illustri gente ortus, tum necessitudinibus, quas cum Dudithiis, Zborovii, Tamoviæ Comitibus aiisque insignibus in Regno familiis contraxerat, sed & ingenii dotibus ac meritis in Remp. & quod maximum est, inimitabili morum Comitate, modestia & vitæ Sanctimonia præclarus, *& Matthæus Radecius* eruditione & pi tate præstans, qui antequam divinæ veritatis consors fieret, amplissimo Syndici munere apud Gedanenses functus est. Faustus Socinus Vir nunquam sine laude nominandus litteris ad illum Ostorodum ex agro Luclaviano Anno 1602 datis gratulatur tunc ei de Patroni Sieninii facta ad Ecclesiam accessione, ut ita appareat veritatis cultores diu inibi benigno Sieninii patris & Filii, licet utriusque Evangelicæ Reformatæ religioni addicti, gavisos fuisse. Sed jam operæ pretium facturum me credo, si eximia, divinæ providentiæ in loco illo tutando & servando sæpius conspicuæ documenta in exemplum fiduciæ in Deo positæ memoravero. Intonuerat sæva belli civilis in Polonia procella Anno 1606. arma pro libertate adversus Regem Sigismundum III. Austriacis addictiorem populo capiente, cujus partes, quæ Reip. esse credebantur, patronus Ecclesiæ & Scholæ

illius Sieninius vir Illustres natales illustribus in Rep.& Ecclesia meritis exornans, sequebatur. Rex victor oppidum transiens cum universo exercitu, etsi multi Magnatum & militum instigantibus Pontificibus in locum illum capitali odio flagrantibus, Regis animum accenderent, & ultimum excidium loco illi minarentur, prudenter & moderatè victoria usus, loco illi pepercit, hactenus etiam præclaram illam OB CIVES SERVATOS coronam meritus. Merito hic adnotabo singulare divinæ providentiæ super Vidua Philipovii Hieronymi illius nuru, è Golecia gente, avia mea materna tam dubio & arduo tempore beneficium, Ut oppidani nuncium de fortuna Regiarum partium acceperunt, Patrono adversas partes sequente, omnes fuga salutem petiere, & fortunas in tutiora subduxere. Vidua illa annis gravis cum admodum paucis in oppido, soli Deo confisa remanserat. Ad hanc venit homo quidam, vel certe humana specie Angelus: qui eam his fere verbis compellavit: *Itane Domina tu sola in hoc oppido manes, cæteris fuga dilapsis?* Illa respondente, se senio confectam divinæ providentiæ salutem credere, vel certe hic inter spem & metum, quam inter tot fugæ assidua incommoda mori malle: confirmavit eam & se ei præsidio futurum promisit. Stetit promissis, & ita quidem ut accedentes milites viso eo, quasi in præsidium dato, ut mos est, salutis custode, semper recesserint sine maleficio. Postquam omnes illæ copiæ præterierunt, vidua debitis Deo gratiis actis, erga illum quoque salutis custodem officio functa quodnam præmium sibi adnumerari velit, rogavit. Sed ille id recusavit, seque à Deo ad eam tutandam missum esse affirmavit. Simile exemplum alias, volente Deo in servato miraculosa ratione Licinio Sene, imò plura in Petro Statorio, Michaele Gittichio Venetiano, & Patre meo, utroque inopinatis malis furori perditorum hominum erepto, infra dicam. Intra sexennium secutum illud fœdus militis Polonici in Moscovia merentis stipendia, moderante illud Josepho Ceclinio, ut multa damna Reip. attulerat, ita & oppido illi extrema minitabatur. Sed ei paratum à Pontificibus castrensibus novum ictum mirabili ratione divina avertit manus. Imo aliquoties ibi milites fœderati concilia sua

sua generalia quietè peregerunt. Inter fœderatos istos clarus fuit Cisovius, cujus ductum & auspicia secuti Lisovii sive Lisoviani dicti, non tantum patriæ sed & vicinæ Hungariæ ac Silesiæ cædibus & rapinis graves erant. Inter horum tribunos erat Oporovius, qui acri odio oppidi illius Dominum Sieninium persequebatur. Qui ideò opportunitatem exercendæ vindictæ nactus, & uti ea volens aliquot turmas meliores in vicinia disposuerat, loco illi imminens, ipse cum duabus turmis Sidloviæ in oppido illo Regio satis vicino consistens, & oppidum quod copia pannificum aliorumque opificum, imò & mercatorum ac civium opulentiorum abundans, avaritiam & ferociam militis præsertim illius licentiosi & nulli justo Duci parentis exacuerat, ex compacto postridie declinante Anno 1620. aggressurus. Erat inter commilitones ejus *Elias Arcissevius*, qui postea in Dania & patria Tribunus acer militiæ bellis Prussicis & Moscoviticis inclaruit veritatis quidem exosæ cultoribus corde & ubi commodum videbatur, ut genius fert hominum seculo deditorum, ore, sed non moribus addictus. De religione ejus Tribuno nil constabat. Is pravæ molitionis conscius sero vespere Racoviam advolans incolas de ingruente eis excidio opportune admonuit. Et erat quidem oppidum natura loci & manu munitum, utpote ab una parte stagno profundo, cætera sepimento ligneo cinctum, tum verò etiam justo numero civium ad arma justa salutis tuendæ causâ capienda & propulsandam injuriam promptorum, perpetuas excubias agentium instructum. Sed hæc omnia adversus tantam vim eamque subito torrentis instar ingruentem invalidum præbebant præsidium. Itaque omnes post Deum in fuga sibi subsidium ponentes fuga salutem petere nocte illum ideoque nimis incommoda, præsertim cum obscurum illius pluvia nivi mista & gelu aquas & paludes non satis adstringeret contenderunt, opaca silvarum petentes, quod vicinos pagos miles infestus compleverat. Omnibus ita vel fugam capessentibus vel ei se accingentibus Deus è cœlo misso Angelo salutem peperit. Nam nocte multa venit in oppidum vir nobilitatis generosæ è Grussinia gente Regi à cubiculis, ab eo districta mandata dies noctesque illi Tribuno Oporovio nullo

nullo temporis momento intermisso turmas dimittendi ferens. Accidit autem ut iste cubicularius oppidi vicum Urenboviensem, qui lapidibus non stratus & valde cænosus erat intempesta nocte equis fatigatis ingressus perdifficilem invenerit transitum, & in luto aliquandiu hæserit. Luctans cum luto & equis auriga & reliqui famuli crebris vocibus vigilem inter alios pro salute pharmacopolam *Danielem Cunavum*, virum Germanum natione & opulentum, Deo adgubernante ad opem sibi ferendam excitarunt. Gratissimus illis adventus ejus, gratissima & opera, sed & humanitas invitantis in proximam domum nitidam, commodam, omnibus rebus, etiam ad delicias, abundantem, ac hospitalitatis omnia officia in lassos & iter festinantes exercita fuêre. Atque id ille tanto alacrius & accuratius fecit, quantò magis gaudebat missum illuc cælitus servatorem, qui quærenti quis esset? se Cubicularium Regium missu ejus mandata Tribuno Oporovio exauctorandi militem licentiosum quam ocyssime ferre (hac enim ratione operam unguentarii tanto magis ad se in itinere quamprimum prosequendo juvandum provocare studebat, insciens Medicamentarium & totum oppidum longe magis operâ suâ ad avertendum maturata profectione periculum indiguisse) respondit, & sine mora in stationem & commilitones inquisivit. Imo ut humanitatem & industriam hospitis (cui non melius obtingere poterat officium) ad festinandum accenderet, quam multæ & atroces querelæ Provincialium Regis aures transverberarint & animum perculerint, ut sub pæna mortis ejusque atrocissimæ & ignominiosissimæ, qualem paulo ante *Carva* ejusdem farinæ homo subierit acutæ cruci infixus denunciari ei mandaverit, quo eo ipso temporis articulo, quo mandatum acceperit missionem det militibus retulit. Ita cum maximo utriusque desiderio nil satis festinaretur, re ad Patronum Sieninium patris instar de salute civium, sed & de propria sollicitum festinanter, ut par erat, delata equis defatigatis alii recentibus viribus subditi secunda vigilia Cubicularem in *Sidlovios* detulerunt. Ex quo illuc ventum, Minister & Mandatarius Regius confert se in curiam, mandata Regia Consuli & Tribuno è vestigio exponit, ac isti cumprimis militem missum faciat capite sancit. Is rem inexpectatam mirari, dolere, indignari exiguum moræ spatium aliquot minimum dierum (nempe ut Racoviam vel deprædaretur tantum, quod quidem destinatum Ministro Regio non aperuit, sed invidiâ religionis excusari posse speravit) sibi dari postulare, difficultates velut insuperabiles obtendere: ille contra mandata Regia fortissimè urgere, observantiam promtam rigidâ pœnâ sancire, ac certum exitium denunciare: coactæ concioni litteras Regias prælegere, minas adhibere: Arcissevius etiam occulto in Racovienses propendens studio commilitonibus obedientiam suadere, metum incutere; ut tandem legio illa exauctorata huc & illuc dilabi necesse habuerit. Ita Racovienses parato subducti exitio divinam providentiam admirabilem laudibus debitis extollere, gratiarum actione solemni venerari fiduciam in Deo positam saluti sibi in tempore fuisse, agnoscere, hanc aliis commendare & semet in ea firmare: Cubicularium illum Regium velut liberatorem omnibus humanitatis officiis equitem splendidissimum & generosissimum integris octo diebus prosequi, non indonatum grati animi testandi causa dimittere. Paulo temporis intervallo grassante scil. illa Lissoviani militis licentiâ apparuit ibidem novum providentiæ divinæ documentum. Stationem sumserant in oppido duæ eorum turmæ, numero militum & virorum fortium famigeratissimæ, altera atrum, altera rubrum ferens signum, optimæ prædæ spe illecti: nulli certo Duci obedientes. Inde orta inter eos *Siracii*, *Zalescii* & *Ruzicii* partium studia. Imprimis iste ortu quidem sed non altu, non mente rusticus, nimius animi & vini, ideoque ad quodvis flagitium perpetrandum audax, qui ut capite, ita & ferocia supereminebat omnes, tribunatus honorem ambire: commilitones largitionibus & conviviis demulcere, in partes trahere, se unum ex ministris verbi divini in æde sacra de laqueari suspensurum, hanc deinceps igni exustuтam minari. At Deus qui perpetuam suorum gerit curam, in tempore metu perculsis fidelibus novum liber-

tatis & salutis assertorem misit *Fridericum Ivanicium* virum nobili genere natum & necessitudine Ivaniciis veritatis divinæ cultoribus conjunctum, & qui ab uno eorum cui nomen Gabrieli & provincia gemina Judicis & Propræfecti Volodimiriensis ob spectatam prudentiam & probitatem credita erat, ejus cognitionem hauserat. Is ut illuc constitutus à Rege Tribunus illam virorum fortium manum in *Gabrielem Betlemum* Transylvaniæ Principem extemplo ducturus cum manipulo selecti militis advenit, Ruzicii ferociam & maledicentiam ex invidia profectam iniquo tulit animo: præsertim cum eum Ilcussio oppido oriundum sciret. Itaque ad suos conversus acclamat, se auctore quisquam illorum singulare certamen cum eo ineat eumque impune opprimat. Id oneris & honoris ut quidem militum fert genius suscepit in se *Beicovius*, corpore parvus, magnus animo & manu promtus, qui eum in duello graviter vulnerat & ad turpem fugam capessendam cruentum adigit. Saucius adhibito ad obligandum vulnus hospite suo Simone Polano præstante Chymico & Medicinæ non ignaro Magni illius Hieronymi Moscorovii, qui ejusmodi studiis multum delectabatur administro, desuper immissam pœnam meditari in insontes facinoris ultricem agnoscere culpam fateri admissis, dolere, hospitem Polonum deprecari & dicere. *Non sine causa nocere eis ante hoc infortunium non potui, & si maxime volui, quasi fuissem delinitus: vel quasi me aliquis cohiberet hoc ne facerem.* Mox Tribunum qui Ruzicii à partibus stabant convenerunt eum, facti rationem ab eo reposturi. Sed cum hunc invenissent & ad dandam facti justam rationem, & ad expedienda arma paratum à proposito destiterunt. Hæc dum ita fiunt tristis hospiti Tribuni *Joanni Gucio* adfertur nuncius Ruzicii commilitonem *Chrustovium Litvanum* ad mortem verberibus tractare communem hospitem suum avum ejus *Petrum Gucium* Florentinum, senem octogenario majorem, qui una cum aliis Italis patriam reliquerat, Reginam Bonam, sed postmodum Regem Christum, cognita pura veritate secutus, qui & quandiu Ecclesia Cracoviæ vigebat, tamdiu ibi degit: illinc Pinczoviam tum Chmielniciam, tandem Racoviam,

viam, ecclesiæ Cracoviensis ambulatoriam, ut sic dicam, fortunam secutus commigravit. Hospes vestigio Tribuni pedibus advolutus à Ruzicii socio avum suum trucidari cum lacrumis questus opem ejus imploravit. Tribunus initio miratus hospitem quadragenarium liberis adultis cinctum avi acerbum casum queri. Et illico quidem misit satellites, qui afflicto succurrerent eumque ab injuria defenderent. Sed isti invenerunt eum semimortuum multis iisque gravissimis ictibus contusum. Et cum homicida se subduxisset ad tempus in quosdam famulos animadverterunt. Ille postquam crapulam edormivit ad se reversus & facinus intelligens in innoxium & pium & humanum senem; eumque hospitem officiosum perpetratum ebrietatem tanti mali scaturiginem detestari, facinus lacrumando abominari, culpam fateri & apud Senem ægre spiritum trahentem provolutus ad pedes ejus imo cernuus cadens ac toto corpore sub lecto senis jacens deprecari, ut sibi ignosceret suppliciter & subjectissime orare, & ne sibi malediceret, imo voce, vel manus impositione culpæ condonationem ut testaretur obsecrare. Atque hoc quidem impetravit, sene utcunque senio & ictibus gravem manum attollente capiti ejus imponendam. Facinoris occasio hæc erat. Chrustovius bene potus in diversorium reversus compellavit eum graviter, quasi in Beatissimam Virginem Mariam blasphemum. Ille quidem cum milite eoque ebrio disputare sed & silentio bonam causam prodere nolens, imò studio eum modesto & populari responso placandi: *Se minime Beatissimam Virginem blasphemare, imò vero immaculatam & beatam virtute Spiritus S. Filium Dei unigenitum, mundi Servatorem conceptum peperisse*, dixit. Hoc ille non contentus, *Atqui*, inquit, *eam non invocatis & orationes ad eam non dirigitis.* Hic Senex responsum declinare, tacere, se subducere: sed ille imperiose & ferociter responsum urgere. Tunc ille id expedire his verbis: *Nempe quia Deus id à nobis fieri non mandavit.* Hic miles velut furore correptus senem decrepitum, nulla venerandæ canitiei, nulla hospitalitatis, nulla innocentiæ & honestatis ratione habita, qui ebriosorum mos est, arrepto

arrepto ingenti cilindro, pessimè multare & inter graves ictus nequicquam uxore, quæ una cum marito cuncta hospitalitatis officia ei exhibuit, pro eo miserum in modum deprecante; Beatissimam Virginem invocaret instare: ille salutationem Angelicam recitare: ist hâc non acquiescere, sed rabiem omnis juris oblitam exercere: ille patienter pro veritate cuncta ferre. At Tribunus Ruzicianarum partium commilitionibus propè tumultuantibus facinoris tetri indignitatem exponere, exaggerare, atrociter etiam minari: tum illi mitescere. Senex prima luce spiritum Deo Creatori reddidit. Paulo post Tribunus Racoviensium misertus cum significatione benevolentiæ, signo commilitionibus dato abitum imperat vexillumque novum, quod ista decorabat inscriptio, quasi mortis Gucianæ monumentum: *Honesta turpitudo pro bona causa mori*, explicari jussit, Ruzicio exauctorato, qui ex vulnere gravi æger & pallidus turmam postea vili comitatu secutus est, vale hospiti & aliis culpam exaggerans & deprecans dicto. Postera die seni habitus sepulturæ honos, parentante ei Viro illo piæ eruditionis Joanne Crellio ex illis Christi verbis, quibus post gloriosam resurrectionem triumphata morte Petro (idem nominis erat Seni Martyribus annumerando) quali morte se esset glorificaturus significavit. Haud multo post interjecto tempore Anno scil. XXVI. Pater meus *Christophorus Lubieniecius*, qui patre Christophoro cœtus Racoviensis ministro fatis functo ministerium cætus Lublinensis in se susceperat, Cracovia Lublinum tendens Racoviam advenerat. Ubi cum tumultuantes milites (qui stagno gelu adstricto excubias civium ad portas frustrati in oppidum via ferro patefacta, irruperunt) invenisset, salutem laboranti oppido credere non ausus in Aulam Patroni divertit. Dum omnes imminentis cominus periculi metus strenuè exercet benigno fato venit illuc *Christophorus Vissovatius* juvenis non tantum avita nobilitate & oris facundia sed & meritis, utpote supremi copiarum Regni Ducis Stanislai Conieczpolii quæstor præclarus. Uterque auctoritate Imperatoria fulti milites extrema minitantes composuerunt.
Vix

Vix hæc desæviit procella, & ecce nova anno proximo coorta.

Licentiosi milites illa tempestate per Poloniam passim grassantis ferociæ, & Racovienses non levi affecerat alias metu, alias incommodo. Nempe enim præter militis avaritiam oppido omnibus rebus affluenti inhiantem, invidia religionis & suggestionis Pontificum pericula ei conflabant, licet incolæ plures ad se turmas non tantum vigili & circumspecta cura sed & largitione averterint. Impendebat ei tunc quædam turma, in qua militabat juvenis dissolutus *Stanislaus Franconius*, Danielis, Poëtæ celeberrimi, viri Pii filius sed qui à priore matris marito Crausio utpote Viro Cl. Cameræ Imperialis Spirensis Assessore cognomen vulgò ut & pater ipse, sortitus fuerat. Is adolescentiam turpiter, ut fit, inter milites exactam, crimine fœdissimo ingrati animi in patriam, utpote Racoviæ natus & eductus, ac litteris excultus tanto magis contaminaverat. Nesciebant oppidani perditum juvenem militiam & illam turmam sequi. At ille condixerat militibus certam horam matutinam, qua armenta per portam in vicina agi solebant, ut ex insidiis porta, in qua tunc cum vigilibus moveret litem & occiperet jurgium potirentur. Comprobavit adhuc fortuna factum. Milites velut urbe capta in omnem licentiam feruntur præcipites. Proditor omnis pudoris & pietatis exsors non in sinu, sed palam ridet, imo insultat, & nomina ditiorum, quos noverat, prodit. Hinc omnes pavor incessit, & vagabatur passim per oppidum miles ferox & formido. Sed noxa cubat præ foribus. Non passa est diutius impunem grassari nequitiam juvenis in omnem audaciam projecti, degeneris, impii & ingrati, imò exemplum in eo statuit, quo ostendit concedere se aliquando diuturniorem impunitatem malis & tardo gradu ad vindictam procedere, quandoque & prospera indulgere sed ea fini ut homines tantò magis commutatione rerum doleant, & agnoscant potentem Dei dextram quæ tarditatem gravitate supplicii compensat. Proditor ille, qui omnia jura divina humanaque susque deque habuerat, ad Racoviam nobili cuidam equum furto abstulerat.

 Tam

Tam turpis sceleris reus peractus, turmæ præfectus, Vir probus, æqui servans & famæ bonæ amans, id & impietatem ejus in patriam videns, ut semper proditio amatur, proditor odio habetur, ex oppido educta turmâ contra portam illam in qua patriam prodiderat, frustra pro eo deprecantibus oppidanis, parentum probitatis & meritorum memoribus, eum de porta vicini horrei suspendi jubet per commilitonum famulos. Postquam is in aërem liberiorem protrusus reste rupto in terram decidisset, fugam capessere cœpit. Sed ex ea retractus jussu primipili de arbore infelici melius reste suspensus sensit miser se fœde perire, & turpem vitam turpissima morte finivit. Sub id tempus comparuit ibi celebris Medicus è Germania *Bartholdus*, qui à Magistratu cadaver Crausii dari sibi petiit. Quod cum illi magistratus gratificatus esset confecit ex eo pissasphaltum, quo feliciter ad varii generis propulsandos morbos usus est, ita ut quamdiu illud pissasphaltum factitium haberet, felix & preclarus Medicus haberetur. *Discant omnes justitiam moniti, & non temnere Numen*, ex vetere dicto, Discant juvenes à parentum probitate non degenerare sed eam presso pede sequi. Discant pietatem, ut in Deum ita & in parentes, & patriam: discant & gratum animum cum ingrato nil terra alat pejus.

Ego ut proposito pietatis defungar officio memorabo laude dignum Racoviensium anno 1630. factum, & simul grati animi officium fungi volens, cuncta me ista eximiæ supra memorati Jacobi Riniovecii maternum Trembecii nomen adepti cujus viri merita in Ecclesiam hac præsertim durante sæva persecutione satis deprædicari non possunt, diligentiæ debere fatebor. Istud vero quod dicturus sum Racoviensium factum exscripsit ille ex libello Memoriali Patris sui piæ mem. *Nicolai Riniovicii*, qui honesto loco in districtu Lucoviensi natus, sed in re tenui constitutus (quæ est plerorumque nobilium in illo exiguo districtu magno numero degentium conditio) quemque ideo cognatus Pontifex in re lauta positus Cracoviam ad operam dandam litteris miserat, Deus vero postea Racoviam ad veritatem suam cognoscendam & bene merendum de Ecclesia sua misit. Venerant in illas oras aliquot turmæ militum omni disciplina solutorum, qui prædonum instar per totum Regnum grassabantur cum quibus magna undique multitudo perditorum hominum latronumque convenerat, quos spes prædandi studiumque bellandi ab agricultura & quotidiano labore revocabant, ut olim in Galliis teste Cæsare factum. Appetebant ut cuncta quæ cupidinis luxuriosæ pruritum irritabant, ita cumprimis Racoviam, ubi spes optimæ prædæ in incerto erat. Incolæ igitur longè inferiores, cauti tamen & pro salute ac pignoribus & fortunis vigilantes, nullam conventionis pacatæ rationem intermiserunt, ita ut tandem magno pacem mercati fuerint. Prædones isti, ita enim potius quam milites vocandi sunt, relicta Racovia vicinam aggrediuntur & appetunt Sidloviam urbem Regiam, muratam & muris ac vallo cinctam in rupe sitam, ita naturâ & opere probe munitam, arce & templis aliisque ædificiis sic satis ornatam. Huic tunc temporis à Rege præfectus erat Stanislavovius vir natalibus meritis, dignitate & Casanoviorum adfinitate illustris. Tot ille nominibus & urbis Regiæ mœniis, sed & exemplo lignei & virium potentia ac dignitate longè minoris oppidi Racoviensis, ejusque invidia religionis laborantis, quod vim eorum, at enim hastis argenteis, ab se averterat, confisus, urbis portas claudi, obserari, aggesto solo, assultus metu obstrui, sola quæ in arcem ducebat, relicta, mœnia & vallum à civibus armatis custodiri mandat. Ita miles urbis aditu exclusus in latè patentibus suburbiis urbi nimium vicinis stationem capiunt. Hinc à civibus more suo pecuniam, vinum, mulsum, carnes, avenam, exigere, cum eis, ut Racoviensibus licitari, transigere: cives contra muris, viris, viribusque & præfecti auctoritate confisi omnia pacis componendæ media dedignari. Idcirco miles prædæ & vindictæ cupidus expilatis suburbiis ignem subjiciunt, cujus vorax flamma vicina urbis tecta corripiens, totam illam urbem & arcem, quod extinguendo tanto incendio duo putei, quorum alter in medio foro, alter in arce erat, non sufficerent, & obrutis

rutis portis aqua ex ſuburbiis in urbem inferri non poterat. Quin imo vix, cum jam res ad extremum deducta eſſet, caſum, ut fuga ſalus petenda fuerit omnibus, ſæva mors exitu difficili per unam portam arcis, ejuſque incendio flagrantis patente ab omnibus vitari poterat. Hoc facto infames illi incendiarii ſignis deſertis, quo quemque caſus & fortuna tulit, dilapſi meritum effugerunt ſupplicium.

Racovienſes debitis Deo gratiis de tanta ſuper ſe providentia & ſalute parta actis, ſatis amicæ, quod, præſertim in tanta vicinia, rarum, urbis acerbo fato multum dolere, omnis generis commeatum parare, poſtridie ſine mora ſubmittere, Patronus erga Præfectum, Miniſtri & oppidani erga Parochum & cives, Judæi erga Judæos in tempore officiis & beneficentia certare: ita miſeros in admirationem rapere, lacrumas afflictis, his præ gaudio, illis præ verecundia, iſtis etiam præ pudore elicere, excutere. Ipſe Parochus non pepercit lacrumis. Imo erant qui corde compuncti dicerent: Deus „id eis remuneretur, & nobis parcat, qui turres, val„lum, tecta noſtra nocte intempeſta conſcenderamus „fatum eorum oppido flammis ſubjecto ſpectaturi, & „ecce ſtatim ut à culmine alto corruimus, panem eo„rum comedimus, & potum bibimus, nullis officiis „& vel precibus provocatorum. Sed & alias benigna Dei providentia in tutando illo oppido in quo quotannis frequentiſſima Synodus fratrum ex univerſo regno celebrabatur 8. vel etiam 15. diebus, apparuit, donec tandem Anno hujus ſeculi XXXVIII. per injuſtam ſententiam dimiſſis nocentibus in innocentes ſævientem Patrono Heroe Reip. Chriſtianæ Incomparabili, ſed & de Rep Polona optime merito (de quo cum Cicerone dicere jure poſſis: Totum ſe uſibus Reip. devovit & patrimonium ſuum magna ex parte, effudit, quanquam non ſumus uſi eo verbo quo decuit, non enim effudit, ſed in ſalute Reip. collocavit: cujus rei documentum eſt illuſtre, pars indictionis publicæ ei, inſtante provincia Sendomirienſi in Comitio 16-- collata.) Miniſtris & Magiſtris proſcriptis, eccleſia & ſchola diſſipatis tot exulum, vidua-

viduarum & orphanorum receptaculo diruto, & verè Pietatis & Muſarum ſede diſturbata gravem mutationem expertum eſt, qua de re ex ordine temporum infra dicendi dabitur locus, ſi Dominus permiſerit, ut verè tunc ocellum Poloniæ erutum fuiſſe quivis rebus ipſis diſcat.

CAPUT XIII.

De Eccleſiæ Lublinenſis ortu, progreſſu, fine, ubi & de Gozdovienſi ac Zapovienſi Eccleſiis.

UT in pluribus aliis urbibus Regalibus, ita & Lublini Deus veritati cæleſti ſedem initio Sigismundi Auguſti paraverat. Hoc Rege defuncto, Henrico, & Stephano Regibus ac initio Sigiſmundi III. Eccleſia illa floruit, etſi Stephanus auctore *Joanne Zamoſcio* ſupremo Regni Cancellario & exercituum Regni Duce, ſupremum tribunal ibi Anno 1578. erexerit. Gaudebat enim illa patrocinio Virorum undecunque Clariſſimorum, quos generis & virtutis nobilitas ac præſtantes ingenii dotes plurimum commendabant. Tales erant *Staniſlaus Orichovius* Archicamerarius Lublinenſis, *Paulus Orichovius* Pincerna (tandem Archicamerarius) Chelmenſis Præfectus Suraſenſis totius Ordinis Equeſtris in Comitio electionis Sigiſmundi III. Director. Niemojevii, Laſotæ, Oſtrovii, Suckodolii, & Lubieniecii. Primus ibi oracula divina diſpenſabat ſupra memoratus Staniſlaus Pacleſius, urbis illius incola, vir egregiè doctus & pius: ac facundia populari præſtans, qui, ut diximus inter primos errores de Trinitate & de Pædobaptiſmo retexerat. Poſt cujus & comitis Tencinii Palatini Lublinenſis primi Eccleſiæ illius Patroni, ſacræ congregationes intermiſſæ & Schola Belſicium tranſlata fuit. Auditores & ex civibus viri ſpectabiles, Crokerus, Balcerovicius, Naboroviuś, Ciechanii, Bachus, Schirerius, Cocotus, Ekkerus, alii. Agebant ibi præter Pharmacopolas, Aurifices & omnis generis opifices, præclari in re medica viri

viri Ciachovius, Crokerus, Tomcovicius & alii. Primum Ecclesia nidum struxerat in domo Ministri Paclesii, quæ illic loci ubi jam superbum Jesuitarum templum cernitur, sita erat. Sed ideo mota inde ecclesia translata fuit in vicinam domum Nobilissimæ Matronæ Ostroviæ, Suchodoliorum vetere & illustri Familia ortæ, cujus maritus Jacobus Ostrovius Gryphius, Dapifer Lublinensis, Vir pietatis eximiæ & raræ erat modestiæ, filius Petrus Ostrovius Aulicus Regius, vir eximiæ comitatis & dexteritatis in rebus gerendis, ideo domi forisque egregia cum laude gestis legationibus, quas inter illa ad imperatorem Turcarum eminebat, clarissimus. Colligebatur aliquando Ecclesia in domo nobilissimi viri Andreæ Lasotæ Venationis Regiæ in provincia Lublinensi præfecti. Tandem translata erat in Illustris illius Viri Stanislai Orichovii & uxoris ejus Sophiæ Zeleniæ, rara pietate, ardenti zelo, morum sanctimonia & munificentia non vulgari in Ministros verbi divini, in egenos & impressionem plurium librorum celebratissimæ matronæ domum. Istam usibus divinis per ultimæ voluntatis tabulas istorum pientissimorum conjugum consecratam patrocinii jure Paulus Lubieniecius illorum trium verbi divini ministrorum frater, sed matre Zolkievia natus, vir non tantum in Ecclesia, sed & in Comitio ac Tribunali meritis ac officiis clarus retinuit, Joanne Niemojevio viro illo in Rep. Clarissimo illuc cum Alberto Bresinio, Simone Sieninianovio, Plecio, Bielavio (qui officio Diaconi immortuus est) & Martino illo Cechovicio, ex Cujavia commigrante, & laudabilis exempli facem ad pietatem præferente, restituta & firmata floruit illa Ecclesia; quam præclara ornabant nomina Kurosius, Brezinius, Comorovius, Orphinovii, Suchodolii, Casimirscii, Vilcovii, Lubieniecii, Lendcii, Szecocii, Orichovii, Gozdii, Bienievii, Zelenii, Sustrevitovii, Matemii, Zaporii, Gorscovii, Lepcovii, & alii nequid de Civibus Belzicensibus, Piascensibus, Urendoviensibus, Crasnostaviensibus, Levartoviensibus & aliis vicina oppida incolentibus dicam. Addebat isti Ecclesia non leve pondus vicina

vicina Schola Levartoviana, quam primus regebat Albertus Calissius vir egregiè doctus & cujus consilio ac opera Magnus ille Joannes Zamoscius in formanda Academia Zomosciana usus est, sub patrocinio Equitis Splendidissimi ac meritis in Rep. illustrissimi Nicolai Casimirscii gente Biberstenii, cujus frater erat Petrus ille nobis supra memoratus, alter Christophorus Episcopus Kioviensis, tertius Laurentius, tergeminorum fratrum, qui adhuc vivunt Casimiri, Vladislai, & Thomæ pater. Primo Ecclesia ista non tantùm Ministro, sed & Patrono simul Paclesio gavisa est. Is sacro munere fideliter adversus permultas difficultates, ut umbra corpus munus illud comitantes, & invidiam seculi, quam probitate morum imminuebat, administrato, nec præsentissimum pestis veritus discrimen, cum uxore & liberis immortuus est. Huic non segnes operarii in vinea Domini successerunt, Martinus ille Czechovicius, Valentinus Smalcius, Joannes Stoinius Viri scriptis editis clarissimi, Christophorus Lubieniecius senior, Matthias Twardochlebus, vir raræ pietatis, tam in victu & amictu parcus, quam in egenos munificus, Joachimus Rapnovius & qui agmen clauserunt, Christophorus Lubieniecius Junior & Jacobus ille Rinovicius supra nobis laudatus. Horum enim ministerio durante ecclesia illa, cum jam Rege Sigismundo *III.* res vi gereretur. Anno hujus seculi vicesimo & septimo disturbata est. Urebat nempe invidiam malevolorum ecclesia illa adeo frequens & in loco tam illustri posita, de qua merito ob urbis illius in monte satis edito sitæ, sede Supremi Tribunalis Regni insignitæ splendorem & superbas templorum turres dici poterat, quod de Pergamensi ecclesia Sacra prodiderunt oracula, eam nempe *ibi fuisse, ubi thronus Satanæ fuerit.* Vere etenim & citra convitium hoc dicendum venit, postquam Collegium Jesuitarum juvenum ad omne flagitium factorum receptaculum & omnes facinorosos ad quidvis prætextu religionis audendum armans, tum supremum illud tribunal omnis injustitiæ & luxuriei officina illic fundata fuere. Feriebant oculos adversariorum frequentes qui in urbe illa haberi solebant

bant sacri conventus, ad quos è vicinia confluebant variis ex locis tam Ministri Christophorus Rudnicius, Joannes Volkelius, Andreas Sedlicovius aliique, quàm nobiles aliique auditores. Tanto magis quod eos auxerint subinde tribunal illud adeuntes ex toto regno Equites aliique viri ornatissimi, tum adolescentes nobiles, qui ibi vivebant juri patrio operam dantes: sed & ex Litvania, Samogitia, Volinia, aliisque regni provinciis urbem illam transeuntes Ministri, & Nobiles Racoviam celebrandarum Synodorum caussâ petentes. At enim & plures Synodi ibidem habitæ fuere: imo & publicæ de rebus religionis disputationes adversus Jesuitas, Dominicanos & Carmelitanos à Niemojevio, Czechovicio, Petro Statorio, Joanne Stoinio, quarum non nullæ typis publicis erant vulgatæ. Ultima ibi disputatio Christophoro Lubieniecio adversus *Gasparum Druzbicium* Jesuitam Anno 1637 fuit. Factum id postulante Viro undiquaque Illustri Georgio Niemiericio Supremi illius Tribunalis adsessore. Hunc enim tunc juvenem doctrina & peregrinatione excultum, opibus & splendore Principibus comparandum mundus illaqueare conabatur, prout ad ultimum composito bello Suecico in novo Magno Ducatu Russiæ primas dignitates affectantem & partes Russicas secutum illaqueavit, &, qui mos ejus est, misere perdidit. Cum autem omnes istæ disputationes confessoribus veritatis feliciter tam cum præclara horum gloria quam confusione adversariorum successerint, isti illos quamvis quietis amantes tanquam exprobrantes adspiciebant. Ac proinde omne fas & æquum susque deque habentes nullum non lapidem ad evertendam illam Ecclesiam moverunt. Cum pelle vulpina primum prodierunt ficta Epistola quasi ab ægro Joanne Stoinio Luclaviciis ad Christophorum Lubieniecium data & inde Lublenum perlata per juvenem in Jesuiticis artibus exercitatum versare dolos variasque personas effingere paratissimum submissa. Erat autem illa subdole conscripta & ad fallendum composita, ut aliquid Lubieniecius vel alius quispiam ore vel scripto affectus proderet in Gabrielem Betlemum Transylvaniæ Principem, qui tunc bellum adversus Cæsarem gerebat,

rebat, & ob submissa isti à Polono per turmas illas Lissovianas auxilia, vindictam meditabatur, vel in Gustavum Adolphum Regem Sveciæ, qui sub idem tempus Prussiam infestis armis vexabat. Nunciabat illa Epistola, rumores ibi sparsos fuisse de confessoribus veritatis Lublino pulsis, & de quopiam religionis caussa ad rogum damnato. Et illud quidem experiendi caussa fictum, hoc aliquam veri speciem ferebat, proscripto tunc *Samuele Svantopelio Bolestrassicio* viro genere nobilissimo professione Calviniano, & ad flammas damnato libro Petri Molinæi, quem de vanitate & miseria vitæ humanæ Gallice scriptum Bolestrassicius idiomate reddiderat vernaculo. Allata fuit illa epistola & tradita Lubieniecio sub cœnam officiis amicorum, quos adfinis ejus Stanislaus Matcinius Synodo Racoviana in Litvaniam & Voliniam redeuntes invitarat, occupato. Sed è vestigio his acri oculo inscriptionem & stilum epistolæ lustrantibus illis, impostorem de Stoinii vultu & Vistulæ transitu rogantibus dolus æquè ut in lucerna Punica ignis apparuit. Dissimulatio tamen opportunè adhibita & hospitalitas personato tabellario exhibita. Responsum urgenti Lubieniecius respondit, se & laboribus tota illa die Pentecostis Sacræ Synaxios parasceve, qua ex consuetudine morum totius Ecclesiæ censura absolvitur ad vesperam usque protractis fatigatum & tunc officiis hospitalitatis deditum, responsum tam alieno dare non posse, paratum se tamen illud de nocte, licet tarda & jam provecta ut si luce crastini & vel summo diluculo redierit, illud expeditum sit inventurus. Digresso illinc impostore postquam cunctis dolus in officina Loyolitica fabricatus suboluit, missus qui illum in vicinia degenti ac jura amicitiæ cum nostratibus colenti & alioqui Viro pio & probato *Laurentio Dominico* Ecclesiæ Reformatæ Pastori indicaret, & annon pari fraude appetitus esset, rogaret. Is gratiis de amico nuncio & monito actis, agnovit se jam ad dandum liberius responsum simili dolo inductum quod Jesuitis exhibitum cum sibi negotium facessere posset, ad tempus Lublino se subduxit. Ergo tanto majori cautione Lubieniecius

bieniecius usus Stoinio respondet: dolet morbo & fuga ejus præcipite: Certiorem eum reddit nihil ibi de turbis Hungaricis audiri, neminem religionis caussâ Lublini ad gladium vel exsulium damnatum, sed tantum Bolestrassicii librum ad rogum, illi ipsi multa irrogata: supremum illud tribunal ab justitiæ & publicæ tranquillitatis cura commendando, prudenter officii monet: caute tamen se in urbe agere, & metu tumultus à maleferiatis nullo negotio excitandi, curta supellectile contentos, & ad fugam si res postulet expeditos vivere; edocet denique pro fictis illis & ad fraudem compositis rumoribus certum eumque lætum nuncium victoriæ ad Hamersteinum de Suecis obtentæ, voto, quod pietatem in patriam exegit, subjuncto, perscribit. Venit summo mane impostor solers, repetit & recepit lætus responsum. Unde digressus à præcedente primum, hinc sequente exploratore in domum ubi bursa Jesuitarum erat, recta contendisse deprehensus est. Ibi cum litteras Lubieniecii Jesuitarum tunc antesignano *Laurentio Susligæ*, capitali ante Pontificiorum hosti & alioqui viro ferocis & turbidi ingenii, qui eas tanquam petitam prædam procul dubio (ideò enim consilii omnibus præceps & devius homo, aliquot ante diebus auditores ad audiendum illa die & videndum quidpiam singulare invitarat) avidus præstolabatur, tradidit. Sed prudentia innocentiæ fida cunctos corvos delusit hiantes. Qui cum hæc via non successisset aliam ingressi sunt manifeste calumniæ tam in fraudes quam in apertam malitiam præcipites, & quibus injuria inferri nunquam non libet, nunquam non licet, nunquam non vacat. Mox enim postridie ad tribunal trahunt Patronos, Seniores & Ministros Ecclesiæ, nominatim Illustrem illum Heroa Sieninium Palatinidem Podoliæ & fidum ejus in Ecclesia & Rep. tractanda socium Paulum Lubieniecium Christophori patruum, Venecium Ministrum una vadati. Erat is Michael Gittichius Venetianus dictus ab urbe Veneta, patris patria, Ecclesiarum Litvanicarum Pastor fidissimus, Vir rara eruditione & morum gravitate conspicuus. Hic pridie ipsa Pentecostes feria, in maximo auditorio, cui cum nec conclave spatiosum nec pergulæ suffi-

sufficerent paries intergerinus remotus maximæ panegyri locum fecit, sacram habuit concionem. Qua finita preces eum ad Deum pro felicibus Gustavi hostis patriæ successibus fudisse, amentia præcipites adversarii (quis enim sanus hoc in oculis & auribus tot infestorum veritatis hostium diceret, vel virum hinc pium & doctum, illinc invidia publica laborantem dixisse crederet?) sine fronte calumniantur. Sieninius amicum sibi semper Curiæ Præsidem convenit, ibi cur ad jus fuerit tractus rogare: ætatem & valetudinem gravem, tum vero innocentiam nulla pallescentem culpa testari, dimissionem postulare. Præses crimen perduellionis ob preces pro hoste publico publicè habitas objicere. Sieninius fidem testari, innocentiam tueri. Præses hanc illi gratulari, bonam spem dimissionis facere. Præstituta die, quæ erat Mercurii, Sieninius & Lubieniecius in judicio comparent. Maximus fit hominum ad tantæ rei famam concursus. Inquiritur in Venecium ut placito Curiæ detentum eoque necessari sistendum. Instigator Lisecius præceps ingenio in iracundiam adversus Anti-Pontificios effervescentem crimen perduellionis in citatos impingit. Hoc isti ut par erat negant. Accusatur Sieninius ut Patronus Racoviæ, unde isti Ministri profecti illuc venientes tanto crimine obstrinxerint. Accusatur Lubieniecius, ut Ecclesiæ Lublinensis in qua tantum crimen perpetratum fuerit, Patronus. Uterque ut agnus ille amnem in adversa ripa turbat lupo. Pernegant illi factum, ac Delatorem sibi sisti postulant, urgent. Is non comparet. Ergo illi pænam talionis in instigatorem, ut calumniatorem, & convitiatorem temerarium reposcunt. Iste nihil se nisi jussu Præsidis fecisse ait. Illi patrono Ruzinio Reformatæ confessioni addicto caussam fortiter tuente, secundum legem nemine instigante absolvi postulant, liberi declarari urgent. Rabula perfrictæ frontis Venecium sisti flagitat. Latebat illos ubi iste lateret, in domo scilicet Michaëlis Schureri civis & mercatoris Lublinensis. Erant qui sistendum eum judicio fuisse, ut fidei rationem redderet, judicarent: quos inter & causæ patronus, Vir pro-

probus initio erat. Sed postquam comperit hostes citra ullam justitiæ rationem cum malitiose atque consulto, subornato quodam clerico, qui calumniam jurejurando firmare paratus esset, perdere, & quod plus est, omnes reliquos ut culpæ affines ac perduellionis complices, communi pœna involvere velle, monuit & ipse serio ac instanter fratres, ut eum subducerent certo & destinato exitio, tot insuper insontibus parato. Atque in hanc sententiam ab omnibus itum est. Verum enimvero longius progressa est hominum ad quidvis audendum paratorum iniquitas. Post multas contumelias & criminationes, quibus ferrei oris rabula, nequaquam foro illo ex prisci Catonis consilio muricibus strato, ut vipera sibilare & mordere sueta, bonam famam Virorum Illustrium & innocentium appetiit, lata ab Judicibus sententia, citati præstito juramento, Venecium talia non dixisse, nec ista à quoquam audita esse, suam & illius innocentiam assererent. Quo facto ad mulctam grandem damnati ab improbis judicibus evaserunt, postquam Sieninius cum multa libertate utpote magnorum in Rep. meritorum & innocentiæ probe conscius injuriæ atrocitatem & calumniatoris malitiosi, callidi, impudentiam demonstravit, quod senio & meritis Viri Clar. cui generoso incaluit pectus honesto, datum: Verum tamen neque hac ratione qui ex judicio tam adverso, tunc evaserant, ex artibus malevolorum, qui indomiti & irreconciliabiles ruebant subinde in pejus, evaserunt. Imò, mente vertente gravis calamitas non tantum nos, sed & Reformatæ confessioni addictos, trito tramite grassante effræni licentia, attrivit, atque utramque Ecclesiam disturbavit. Caussa tam atrocis injuriæ præter malitiam veritatis & omnis juris adversariorum nulla, occasio verò talis præbita fuit. Duo socii qui dici volunt Jesu Leopoli Varsaviam tendentes & Lublinum prætereuntes à duobus gregalibus & aliquot adultis studiosis officii caussa extra urbem deducebantur, curru præcedente. Istis Czechoviam suburbanum Raphaelis Comitis de Lesno Palatini Belzensis, Viri senatoria dignitate & meritis in Rep. Illustrissimi Ecclesiæ Reformatorum Patroni eximii prætereuntibus, studiosi, indomitum, in gente præsertim plus quam libera

&

& ferociæ per laxam disciplinam Jesuiticam innutritum genus hominum, iique pravo more gladiis accincti, lacessiverunt in transitu Germanos milites (quos tunc Palatinus post obitum Judicis in illo supremo Tribunali Regni provinciam in bellum adversus Gustavum expedire parabat) in diversorio compotantes. Offensæ caussa nulla sed & hic vetum apparuit illud oraculi vice habendum: *Malefacere qui vult, nunquam non caussam invenit.* Primi studiosi eos adorti quod se prætereuntes salutationis honore cum id officii illis potius de more incumberet, non prævenissent. Hinc ob non apertum caput aperta porta sceleri eique multiplici, quia & injuriæ atroci non tantum in Evangelicos, sed & in Unitarios illos quidem, quod ad communitatem attinet, insontes, sed istos nullo colore (præter nudam veritatis & innocentiæ invidiam) offensæ cognitos exercitæ. Juvat singula minimum utilia vitæ, prosequi. Unus illorum ferocolorum ebrios milites, citra pudorem, sed nec in tempore humanitatis officium efflagitans, arrogans, & temerarius his adortus verbis: *Eccur prætereuntes Patres Societatis Jesu debito honore non afficitis?* Milites licet vino incaluissent nondum tamen rationis usum & humanitatis sensum & honesti respectum amiserant. Regerunt igitur quod fas erat: *Atqui vobis prætereuntibus, ô bone, conveniebat nos hic dudum in diversorio nostro sedentes illo officii genere prævenire.* Ventum dehinc ad jurgia. Feroculus ille de securitate suorum Patrum sollicitus minis intentatis se mox in reditu injuriam vindicaturum, Patres ad currum una cum reliqua turba deduxit. Quo facto priora relegens vestigia, sed extra oleas evagans, studiosus & Sociorum Jesu, si Deo placet Discipulus, militem eumque Germanum & vino madentem, quin imo honestæ consuetudinis tenacem, verbis dehinc ferro aggressus. Ut ad arma ventum, feroculus gladio confossus corruit è vestigio mortuus, ac temeritatis luit pœnas. Reliqua extemplo turba feroculorum conclamari: *Ad arma: ad arma Viri. Ruite ad Ecclesias Lutheranorum* (ita vulgo omnes ab Ecclesia Romana dissidentes compellantur) *dirruendas. Lutheri Catholicos occidunt.* Et certe miles ille Lutheri castra sequebatur, & stipendia merebat apud Heroëm Evange-

 licæ

licæ Confessioni addictum, sed in fundo herili, animosior erat. Respuit more insolito omnem moram sat non tantum solers sed & ingeniosa ad destinata prava exsequenda ferocia, palmam plerumque virtuti in suo genere præripiens. Confluit studiosorum, longissime sanè à Castris Musarum remotorum, opificum, servorum, & omnium perditorum ac maleferiatorum die Dominica ex qua profecto pessimo more plerique Christianum nomen mentientes & pudoris obliti nec solem à quo etiam dies illa nomen habet veriti compotationibus, choreis, lasciviis indulgendo Diabolicam (si vel solarum chorearum intuitu Chrisostomo, ne quid de Apostolo & de Christo dicam, credimus) faciunt, colluvies. Ipso vespere cohortes facinorosæ templa Euangelicorum & Chistianorum aggressi. Erat tunc in urbe inter illorum Proceres *Andreas Firlejus* Castellanus Belsensis, tandem Palatinus Sendomiriensis & exercituum Regni nupero bello Cosacico Dux. Qui cum aulam haberet domui quam Ministri eorum incolebant, contiguam obseratis portis una cum familia, & amicis qui se repentino & gravi periculo illuc subduxerant, adversus vim illorum maleferiatorum, imo grassantium in urbe latronum, se tutabatur, & in aggressores sclopeta explodi continuo jussit. Hoc enim illi primi faciebant, nulli vi & petulantiæ, sed nec innocentiæ parcentes. Ita hinc tumultuosa aggressione, illinc necessaria defensione transacta nox. Alter Ministrorum Ecclesiæ Unitariæ Lubieniecius ante vesperam in prædium Jablonianum tertio propemodum lapide ab urbe positum concessit. Alter Riniovicius ille quod cum nonnullis fratrum aulæ Firlejanæ se includere, ad vim vi repellendam cogi & vel spectare talia nollet, saluti in repentino consulens discrimine, cum alius non pateret exitus, stagnum vastum natando præsens periculum fuga superavit & noctem brevem totus madens aqua, subdio transegit. Orto sole ad stationem & officium rediens ubi sacrum solitum faceret in abominanda (verbis ejus propriis utor) desolatione, non invenit. Nam nocte ruit tota utriusque Ecclesiæ ædificium. Sed nec vicinis parcitum. Cumprimis sæva illa procella effudit se in contiguam ædi Christianorum sacræ domum divitis Civis Reformatæ confessioni addicti ac Ecclesiæ illius Diaconi: erga quem Riniovicius cum Andrea Lubieniecio, illius collegæ sui fratre & Alexandro Przypcovio humanæ miserationis officio defuncti. Inter hæc Joannes Crechanius unus ex primariis Civibus & Ecclesiæ Christianorum Diaconus, vir pius & solers Riniovicium opportunè in Jablonianum subdixit. Quem ad pontem comitatus Paulus Lubieniecius junior vix in Aulam patrui cognominis redire per tumultum poterat, & in transitu fratrem Andream quem parum aberat quin publica illa calamitas obtereret cum socio Nicolao Borencio, viro nobili & cordato, præsentissimo eripuit periculo. Mane facto desitum paululum est furere. Sed intra aliquot horas turbones illi nec solem reveriti media luce in ipsa sæviunt rudera & aulam Firlejanam in quam Ministri Euangelicorum confugerant, oppugnant. Dum cuncta hic gaudio, illic luctu & horrore plena forent supremi Tribunalis Judices in sinu ridentes, ac priscum illud *Euge*, ne sic quidem male ingeminantes, tandem metu gravioris mali aliquot è medio sui Sacri & Profani Ordinis, ad compescendam turbam & disturbandam concionem ablegarunt. Ægrè tumultus spe prædæ aucta sedatus. Atrox profecto facinus & furor, sed hoc quod dixi ad id quod dicturus sum parum est. Nulla namque tanti sceleris indignitatem secuta justa vindicta vel miseratio. Imo cum omnem utriusque ipsiusque humanitatis sensum exemisset ferox & indomita sacra tyrannis, sævæ pœnæ insontibus & miseris irrogatio secuta, & graviter afflictis longe major addita afflictio, eaque perpetua, & ne quid ad complendam iniquitatem desit, cum insultatione conjuncta. Palatinus ille, licet Supremi ejus Tribunalis assessor, tum Castellanus, aliique utriusque Ecclesiæ Patroni in jus vocati. Ille ad dedendos duos Germanorum illorum militum (quorum alter gladio percussus alter ægrè & magno redemtus) compulsus; iste ad exsolvendam è vestigio mille marcarum mulctam damnatus. Utraque Ecclesia perpetuâ sententiâ, injustà sane & dura sublata, proscripta. Non justitia, non æquitas, non lex, non præscriptio, non preces, non ipsa

ipsa denique sanguinis, mluctæ, rapinarum satietas, quæ & tyrannos capere solet, quidquam profuere, quin exemplum utriusque Ecclesiæ disturbationem, Cracoviæ antehac ut vidimus factam, hoc sequeretur. Ex tam atroci exemplo aliisque quæ adhuc diximus & post dicturi sumus jure meritoque mensura capi potest justæ vindictæ divinæ, quæ antecedentem scelestum non deseruit pede claudo, & tarditatem gravitate supplicii internecinorum bellorum ex hoc iniquitatis feræ fonte promanantium compensavit. Post hac enim nec funus efferre, nec Aulas Virorum illustrium vel nobilium rei divinæ peragendæ gratia adire impune licuit. Nota est injuria gravis *Samueli Macovio*, licet Medicinæ Doctori & experientissimo & clarissimo ac alioquin integro vitæ sed & de urbe illa cum primis grassante peste optime merito illata, qui Regis patrocinio munitus Regiis Commissariis absolutus, ab Judicibus tamen tribunalis illius in jus, carcerem, ad supplicium toties tractus post tot mortis metus vix grandi pretio preceque redemtus, Unitariorum Ecclesia afflictum mille libris dono datis sublevante. Totum hoc quod tot atrocium injuriarum dolorem lenire poterat, erat vox prætereaque nihil. Afflicti enim querelis Conventus Provinciales & Comitium Regni complentes pro solatio miserationem & eodem illo anno 1627 tum 1632 adversus decreta Tribunalitia vim novæ legis sapientia abroganda leges in Comitio obtinuerunt latas, sed quid iræ *vanæ*, ut ille ait, *sine viribus* proficiunt? injustis Judicibus ad exemplum militum illorum Pompejanorum universæ Reip. respondentibus: Quid vos nobis gladio (Sacræ & Civilis auctoritatis & supremæ potestatis ac furoris vulgi) accinctis audetis leges prædicare? Lubieniecius Ecclesiæ illi (ut & Zaporiensi in vicinia positæ una cum Andrea Sedlicovio Alberti illius Calissii filio, viro docto facundo, pio, & hospitalitate insigni præfuit, variis expositus adversariorum insultibus, quos inter eminebat aggressio facta Anno. 1628. per licentiosum militem noviter lectum in qua & isti duo servi Dei & tertius Jacobus Riniovicius Trembecius & tota Ecclesia sacris operans præsens vitæ adierant discrimen, nisi divina adgubernante providentia

Illuc

illuc inopinato adveniens Petrus Crolevius Stremienicieus vir nobilitate generis & meritis in Rep. clarus agnitus fuisset à Ductore illius manipuli furum & latronum, qui cum ei amicitia in castris intercesserat, intra paucos dies manu illa ferocium in vicinia per Coniecpolium Episcopum Chelmensem sublata & disjecta. Memorabilia hic duo divinæ providentiæ argumenta jure meritoque adnotabo. Cohors illa furibundorum diversorium in quo nostri confugerant aggressa cum esset, patri meo quispiam eorum rapuerat pileum. Hunc ille extemplo paucis nummis redemit. Hinc raptor in medio tumultu eum tutatus est perexigua bonitate victus. Cum vero *Georgium Bachum* natione Germanum primarium civem Lublinensem virum pium notæ humanitatis ad mortem propemodum verberibus tractarent alii, unus eorum qui paulo ante bajulum Lublini egerat quæsivit, an inter eos esset *Michael Schurerus*, (erat & is natione Germanus vir opulentus & humanus, unus pariter è primariis Lublinensibus civibus) qui se multis beneficiis obstrinxisset. Mater mea discriminis cum marito consors Bachum ei indicavit & ita morti eripuit. Adeo & in prædonibus quandoque virtus locum invenit. Ita tunc illa Ecclesia præsens periculum Dei beneficio evasit. Haud alienum hic à proposito imo commodum ad dictis faciendam fidem fuerit memorare enormium injuriarum exempla, Auctori Historiæ Ecclesiarum Slavonicarum studio partium & malevolentia laboranti prætcrita, qui & in eo correctionem æquam meretur, & leges illæ Comitiales patrocinari ita Dissidentibus in religione, ut non soli comprehendantur Evangelici sed & Arriani (vulgo & illi injuria dicti) intelligantur. Christophorus ille Lubieniecius, cum ut nobilitatis & possessionis hæreditariæ, ita & suffragii jure in conventibus illius provinciæ gauderet, flagrantissima & singulari adversariorum laborabat invidia. Hinc sæpius technis & vi aperta appetitus, semper tamen manus eorum evasit. Sed parum aberat quin Calamitas Cicoviana, quæ ut multis fratrum ita illi cum primis, utpote verbi Divini Ministro incubuit gravis, eum opprimeret. Rei gestæ brevem narrationem appono. *Stanislaus Cicovius* Stanislai Archicamerarii Cracoviensis filius

 Sta-

Stanislai illius Castellani Biecensis & exercituum Regni Ducis nepos nulla prole ex Dorothea Blonscia gente Bibersteinia suscepta, relicta unicæ sorori Christophori Osolinii Palatini Sendomiriensis uxori ac filio ejus unico Balduino opima hæreditate, patruelem Joannem religioni Unitariæ addictum villæ Creloviensis cum aliquot prædiolis inscripsit hæredem, ejusque juri omni meliori modo secundum leges publicas cavit. Ægerrime id ferens Ossolinius à morte affinis ejus viduam & patruelem in jus vocat, ac ut mos est adversariis veri & omnis æqui ac honesti, falsam hæreseos Arrianæ invidiam imo & calumniam, ab uxore sua ob religionem Catholicam alienatam per affinem legitimam successionem, hæreseos Arrianæ propagandæ studio. Cicovius satis gnarus in supremo illo tribunali dissidentes ab Ecclesia Romana toties feralium Sententiarum fulminibus, ictos, & videns se non obstante justitia causæ de successione periclitari, plures Unitariorum & non nullos Evangelicorum (quos inter Georgius Recicius Urendoviensis præfectus vir illustris erat) ut deprecationibus rem suam apud Judices juvarent, quo scil. leges avitas de fœdere dissidentium de religione & de successione latas sartas tectas conservarent nec de innocui lite injusta cognoscerent oravit. Obtinuit iste id officii ab amicis haud invitis, cum hoc fuerit innocuum nec insolens & antehac in caussa Chronovii viri nobilis Ministri & hæredis Robcoviensis ex voto ipsius Ecclesiæ Lublinensis sola sacra invidia laborantis non infeliciter cesserit. Demandatam perorandi provinciam Stanislaus Orichovius illius Pauli Archicamerarii Chelmensis viri in Rep. ut vidimus Clarissimi ex Olesnicia uxore Palatini Lublinensis sorore genitus & ipse de Rep. in illo ipso tribunali & Comitio bene meritus, bene quidem obivit: sed parrhesia quâ permotus, si forte leges avitæ non valeant rem se ad Comitium delaturum dixit, Judices ita offendit ut 15. vel 16. nobiles in carcerem compegerint, & reliquos quidem ad turris perflatilis cacumen damnarint, at Lubieniecium ad imum carceris cœnosum & squallidum detruserint. Suppar morti prægravis certe hæc isti erat pœna

pœna, utpote imbecilla valetudine utenti & catharris obnoxio: adhæc abstracto à suavi consuetudine fratrum, quibus & illic loci & illo rerum articulo non defuit, præiens in orationibus & Psalmorum cantu, & à consortio fidæ uxoris, quæ se subinde in antrum illud horridum maximo cum incommodo demittere necesse habuit. Officium illud pastori incumbens movit malevorum gregem, & quæsitus iniquitati color captivos vindictæ explendæ studio Psalmum in carcere cecinisse 79. qui incipit. *Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam.* Qui quidem injustis & sævis judicibus accommodari potuisset ab aliis, sed ab illis qui sciverunt, cujus spiritus essent, accommodatus non est. Alienæ namque à temporis conditione, sed & à genio institutionis Christianæ illæ execrationes fuissent. Postquam ita ignominioso & fœdo carceri mancipati tot viri nobiles aliquot diebus magno cum rerum suarum dispendio & publica ignominia (quam tamen edulcabat melioris causæ fiducia & conscientia nulla pallescens culpa) egerunt, Senatores Gravissimi, & bonarum partium Georgius Dux Zaslaviensis & Romanus Hoscius Castellanus Cioviensis, qui etiam tribunalis illius fuere adsessores, sed cum illa atrox sententia in captivos ferretur à curia absentes erant, pro iis apud collegas deprecati, liberationem eorum obtinuerunt, Sed unicuique eorum mulcta sexcentorum obtinuerunt, Sed unicuique eorum mulcta sexcentarum marcarum quæ propè mille libras constituunt erogata. Dimissi è carcere & deducti in curiam sententiæ quantumvis injustæ & gravi morem è vestigio gerere necesse habuerunt. Attamen *Martinus Czaplicius* cujus natalis & præclara in Rep. merita eximia morum & oris modestia ornabat, fratrum nomine de clementi pœna ita egit, ut nonnullis Judicum lacrumas oculis excusserit, & quidam eorum dixerit: *Si Czaplicius pro Orichovio perorasset in carcerem compacti non fuissetis.* Notandum vero hic velut in transitu seriò tamen, divinæ justitiæ exemplum. Nempe enim judices multâ sanè mulctâ deliniti nec magno alicui in Rep. motui justissimis certe querelis, si jus sacrosanctum successionum & testamentorum, quibus, omnium gen-

gentium leges patrocinantur evertissent, occasionem præbere volentes Cicovio jus suum inviolatum reliquerunt. Ideo omni legi & æquitati repugnans Palatinus cum eo de successione XII. Millia Ioachimicorum pactus, intra aliquot annos summam hanc pecuniæ exsolvit, interim usuræ nomine Cicovio prædium Cobilanum tertio à Racovia lapide possidendum è vestigio tradidit, & viduæ jus quod vocatur advitalitium intactum, sive possessionem Creloviensem ad suprema vitæ tempora relinquere necesse habuit Attamen nec ille ipse nec ejus uxor nec unicus filius Baldvinus hæreditatem illam adierunt, quod vidua ei superfuerit. Apud quam Baldvinus in bellum Tartarico Cosacicum Anno. 1649. iturus veniam culpæ petiit, de omni jure suo remisit, & benedictionem ab ea (erat enim Matrona ut pia, ita singulari auctoritate prædita & eximiæ existimationis) petiit, eamque obtinuit. Verum tamen judicia divina quorum profundam abyssum Regius cecinit Psaltes, & tot Regum ac Regnorum deprædicant exempla, non effugit. Nam ad Sboroviam occubuit. Vidua ejus grandi ære alieno gravata nupsit tamen alteri viro, & amplas possessiones Cicovianas, quæ ad maritum per successionem devolutæ sibi jure nuptiarum cesserant, in aliam domum transtulit. Solum Crelovianum illud Baldvini patrueli obtigit. Sed ad rem; Captivos illos omnibus in Curia rite peractis. Dux Georgius humanissime ad convivium invitavit omnes. Nomina tot confessorum perpetuam posteritatis memoriam. Fuerunt igitur isti tres *Czaplicii* è *Spanovia* gente, Martinus & Georgius frater & Alexander illius filius dicti *Castellani* ut & *Kirdejorum* consanguinei ut pote eadem insignia gerentes, adeoque gentiles, sed & propinqua necessitudine Duci Georgio conjuncti quippe ejus avia è *Czaplicia* fuerit gente: & alioqui cognatione Ducibus *Wisnoveciis* & *Coreciis* devincti. *Petrus Suchodolius*, *Juninius*, *Sobieviorum* pariter consanguineus, *Petrus Crolevius*, *Joannes Conarius*, *Stanislaus* quem dixi *Orichovius*, *Georgius Grek*, *Stanislaus Matcinius*, *Joannes Lepcovius*, *Nicolaus Rostek*, *Lubieniecius* tamen aberat, invaletudine impeditus. Nempe teterrimus ille carcer

Vires ejus graviter debilitaverat ut dehinc quartana febre conflictaretur. Eundem dehinc adversariorum, in primis studiosorum in Schola Loyolitica versutiam & malitiam edoctorum malevolentia sæpius appetiit. Quæ cum aliquando in nervum erupisset, audaculis nonnullis eum ex urbe in prædium illud Iablonianum redeuntem persequentibus imo aggressis & prope jam capientibus, mira Dei providentia superveniens vir nobilitate & pietate præstans Basilius Bienievius cum numeroso famulitio eum præsentissimo eripuit discrimini. Hinc cum eo & aliis amicis Collegium Iesuitarum adiens furorem Studiosorum in media urbe latronum more grassantium verbis pro merito ultus, Magistros tantorum facinorum officii seriò & graviter admonuit, eosdem ad excusandum facinus & promissum faciendum se in posterum juventutem litteris humanioribus auspiciis suis operantem compesciturus coegit.

CAPUT. XIV.

De eadem Ecclesia Lublinensi primum Piascios, inde Siedliscios translata, tandem nupera Suecica calamitate unà cum reliquis dispersa.

PUlsa Lublino Ecclesia novam sedem verius diversorium Piascis (ubi Martinus Crovicius supra nobis memoratus supremum diem obiit) tertio ab urbe lapide invenit. Possidebat illud oppidum post Stanislaum illum Orichovium Lublinensem Archicamerarium Andreas Suchodolius Janinius Vir ut natalibus illustris, ita & dives, pius & constans, sed cui uxor erat Reformatæ religioni addicta è Podlodovia gente, soror Stanislai, pariter Janinii, Viri eruditione, rerum civilium scientiâ, prudentia sed inprimis pietate eximia conspicui. Et is quidem ad mercatum bonarum artium peregre profectus veritatem puram apud Batavos in medio Calvinismo (: ut Christophorus Sienuita Vir Illustris & Daniel Rudnicius Vir nobilis eximiè doctus, ideoque

ideoque Theolog. & Philoſophiæ Profeſſor in medio Papatu Romæ) agnitam ore profiteri non erubuit & magno piorum dolore in ipſo ætatis flore, ex Sophia illius Suchodolii fratre Petro Dapifero Chelmenſi genita adhuc ſuperſtite unica filia ſuſcepta fatis ceſſit. Sed ſoror ad extremum Reformatorum parti adhæſit. Confeſſoribus tamen veritatis etiam à morte mariti ad ſuprema usque favit eisque benignum præbuit patrocinium, mariti & fratris & æquitatis non immemor, quorum omnium immemor ab ejus morte fuit filius unicus Adamus Suchodolius quod mox dicturi ſumus. Vidi illam Eccleſiam puer & adoleſcens frequentia & præſtantia Auditorum florentem ſub patrocinio Patroni, Viduæ & filii adoleſcentis. Iſte quidem nomen Eccleſiæ noſtræ dederat, & ut ſtudiorum ita & morum domi foriſque moderatorem Andream Wiſſovatium Fauſti Socini ex filia nepotem Virum reconditæ eruditionis, habuerat. Sed gratis. Nam ab exteris redux factus nec ſtipendia ei exſolvit, nec quidquam Parentum manes & jura cuncta, veritus, Anno. 1645, Eccleſiam diſturbavit, & paulo poſt temerario caſu ſororem Virginem bombarda onerata, à qua illa maximopere ſibi metuebat, perterrefacere volens interemit. Hinc Lubieniecius, quem ut intimæ admiſſionis amici parentes ejus magni ſemper faciebant & cujus ille præſentiam à matre moritura ſummopere expetitam ſciverat, de tanta injuria bonitati quanihil magis populare ſit & conditioni temporis, quo cor ejus plus quam adamantinum ſanguine ſororis ad fas & æquum, flecti (fertur enim adamas ſanguine emolliri) oportuerat, & amicitiæ avitiæ & neceſſitudinibus multis adverſa, apud illum ipſum graviter queſtus eſt. Quo animo in veritatem puram ejuſque confeſſores tunc *Stephanus Svetlicius* ſcholæ Belſicenſis Rector, ejus olim præceptor fuerit, patet ex epiſtola ſatis inſolente, cujus exemplum jure meritoque ex autographo quod poſſideo, memoriæ commendo:

Inſcriptio litterarum extus talis erat:

Animulæ in amaritudine Jeſu Chriſti dulcedinem breviter experturæ Generoſo Adamo Suchodolski

In

Intus hæc legere eſt.

Suchodolski

Animula tantum Deo dilecta quantum afflicta.

Vitam primi amabilis Jeſu Chriſti magnopere ſpretam jam agnitam morte dilectiſſimæ ſororis tuæ piare te voluit magnus ille rerum arbiter, cujus judicia abyſſus. Progredere in patiendo & expiando delicta adoleſcentiæ tuæ patrata domi apud nos & peregrè & exclama: Minor ſum Domine omnibus miſerationibus tuis. Forſan ni ſic ſoror tua cariſſima excidiſſet, tu denuo excidiſſes.

Non leviter à perpetrato iſto facinore exiſtimatio & bona fama vapulavit Cujus patruelis Nicolaus Petro illo & Dorothea è Spincorum gente, pia matrona ſatus in vicino pago Siedliſcenſi, qui Suchodoliano avito & gentilitio nido contiguus erat, & in quo olim Eccleſia nidum habuerat, hoſpitium eccleſiæ conceſſit. Iſtius miniſterio cui Parens meus piæ memoriæ Anno. 1648. erat immortuus & ubi patruus ejus ille Andreas ſupra nobis memoratus Anno. 1623 fatis ceſſerat, & ego tyro Viris pietate, doctrina, facundia & zelo conſpicuis Joanni Ciachovio, illius Schomani nepoti, & Joachimo Stegmano adjunctus ſocius, eram Anno. 1652 & 1653 applicatus. Et illa quidem ſat frequens ad extremum erat. Sed paulo poſt Anno ſcil. 1655 belli Suecici ejusque occaſione acerrimæ Moſcoviticæ invaſionis, denique perſecutionis ad usque publicæ proſcriptionis triſtis exilii lege duri carminis in Comitio Anno. 1658. latæ ſævitiam genti liberrimæ inſolentem coorta procella, graviſſima concuſſa, tandem & diſſipata eſt. Nam & ipſe Patronus olim Georgii illius Czaplicii Kirdei dein Joannis Rupniovii Srzeniavii, tunc Magni illius Samuelis Przipcovii Radvanii gener una cum pluribus fratribus in confiniis Hungariæ Comitatu ſcil. Marmoroſenſi ex inſigni Viri Illuſtris Franciſci Redaj Comitis comitate & humanitate receptum quæſivit. Sed unde ſalus ſperabatur magnum periculum exſtitit. Omnes enim (erat autem tur-

turba misera 500 amplius) à Cæsareano milite licentioso male habiti & fortunis ac vestibus ad usque nuditatem exuti, tandem, & sannis insultantium omni injuria gravioribus excepti erant: Inde alii in Transylvaniam, alii in Prussiam confugerunt. Hos inter Patronus ille fuit, qui Servatori inter acerba exilii incommoda fidem ad extremum servavit.

CAPUT XV.

De Ecclesiis Submontanis, cumprimis de antiquissima & celeberrima Ecclesia Luclaviana in provincia Cracoviensi ubi & de Fausti Socini morte agitur.

INter primos nidos, quos Deus Opt Max in Polonia veritati & Ecclesiæ suæ struxit. Luclavianum est. Pagus iste in Provincia Cracoviensi ad oppidum Sacicinum & ei trans Danubiolum, vulgo Donajecum oppositum ac fluvio imminentem arcem Melstiniam situs loco amœnissimo, utpote in media planicie satis undique exporrecta, quam velut corona collium Carpato monti subjectorum (unde illi ditioni Submontanæ nomen) cingebat. Hæredes illius tunc erant *Stanislaus Tassicius Stremencicus* Vir nobilitatem generis præclaris meritis non domi tantum sed & foris apud Carolum. V. Imp. Gloriosissimum exornans, adeoque in patria magna pollens auctoritate & *Abrahamus Blonscius* Bibersteinius. Ille in agro suo fundaverat Ecclesiam quam inter alios viri undique præstantes Petrus Statorius, Georgius Schomanus, Stanislaus Lubieniecius patruus meus magnus, Ioannes Stoinius, Petri Statorii Senioris Nepos, Junioris illius filius & Ionas Slichtingius rexerunt. Hanc utpote loco peropportuno constitutam sæpius accedebant è Transylvania venientes vel in eam revertentes Proceres, nobiles, aliique Viri juvenesque senesque fratres nostri qui in illis oris Unitarii ut pote unius Dei Patris per unicum Mediatorem Christum cultores, appellantur. Hi etiam liberos & juventutem suam illuc ablegabant, ut & linguam Polonicam edíscerent, & bonis artibus, imprimis pietate, excolerentur. Erat enim ibi patrum ætate Schola cui sæpe Viri docti ex vicina Hungaria accersiti præerant & quæ ex ruinis celeberrimarum Scholarum Racovianæ & Kisselinianæ multum creverat, ac sub Rectore M. *Valentino Baumgarto Memela* Borusso Viro insigniter docto, qui haud ita pridem Plebanus Claudiopolitanus è vita migravit, ad morem Academicum studiis & disputationibus, Theologicis, Metaphysicis, Physicis & Logicis, ac exercitiis Oratoriis florebat. Veri certus ista scribo, utpote quorum pars ipse fui, in matres patrias ingenii pius & Præceptorem hoc quoque loco gratus. Degebant tunc nobiscum aliquot nobiles matronæ quæ reliquum ætatis cultui consecrarunt divino: degebant duo præstantissimi & celeberrimi per totam Poloniam Chymici *Martinus Wilhelmus* & *Simon Polanus*. Degebant & viri juvenes litteris exculti, Christianus Dyrnerus Magdeburgensis Saxo, & Christianus Augustus Fredericus ab Honstet, è Brunsvigia nobilitate. Constructæque ea fini domus elegantiores speciem quandam oppidi referebant. Accedebant ex vicinia ad audiendas Sacras Slichtingii conciones singulis non tantum Solis, sed & Mercurii & Veneris diebus utalii auditores ita imprimis Joannes, Petrus & Alexander Blonscii, fratres tergemini. Et tamen orta in Slichtingium persecutione Anno 1647. duo illi in Castra Calvini concessere. Ac iste quidem ad mensam quæ illi, ut pote sterili, fuit opipara, gulam fregit. Ad celebrandam illic Sacram Synaxin Ecclesia frequentissima colligebatur, confluentibus illuc Viris Nobilibus non tantum ad vicinas Ecclesias Robcovianam (quam fundaverat Stanislaus Chronovius, vir priscæ nobilitatis, ex gravitate morum Catonis Christiani appellationem meritus, qui quod rarum & Patronum & Ministrum simul verbi agebat) & Pellanam, cujus Patronus erat Paulus Brescius Zegota è Topororum antiquissima gente vir pariter genere & zelo conspicuus, socer meus, pertinentibus, sed etiam trans Danubiolum & Vistulam degentibus Morstiniis Rupnioviis aliisque. Inter istos erant & Adamus & Andreas

dreas Goslavii Oxicii fratres germani, præter splendorem familiæ paternæ (quæ inter decora gentilitia reputabat Barbaram Valentini Dembini Magni Cancellarii & Castellani Cracoviensis uxorem) & maternæ, quæ Philipovia erat, meritis in Ecclesia & Rep. clarissimi ac morum gravitate plena, comitatis & modestiæ incomparabilis etiam Magnatibus veritati alias infensissimis percari. Et ille quidem eximiæ eruditionis documenta scriptis publicæ luci commissis orbi haud vulgaria dedit, plura daturus, nisi opus adversus Jacobum Martini Philosophum celeberrimum elaboratum incuria amici periisset. Alter Luclavianum jure uxoris, quam è gente Scepanovia duxerat relictam à Cyrillo Tassicio Stanislai nepote Matthiæ filio viduam, ad quam usus fructus illius prædii ad suprema vitæ tempora spectabant. Cyrilli frater natu minor Sigismundus ex voluntate parentum à Stanislao illo Lubieniecio Sene Pietate clarissimo, quem jure meritoque dicere possis fuisse Virum comis gravitatis & gravis comitatis (adeo utraque virtutum harum in illo temperata erat) à puero educatus optimam de se expectationem præbuit sed ille.

Imberbis juvenis tandem custode remoto

& mortuo utroque parentum illecebris blandientis seculi captus transvorsum actus ducta bis in Uxorem virgine Pontificia. Quam secundis nuptiis duxerat è gente Cerminia noveram fœminam vasti animi & odio irreconciliabili in veritatis cultores flagrantem, ita ut præposterus ejus & socrus Achacicio Tassicio Patruo secundis nuptiis junctæ amor, & Episcopi Cracoviensis Petri Gembicii auctoritas cum postquam jus dotalitium fratris olim uxori, tunc Goslavio nuptæ, concessum redemisset, fidem isti & fratribus datam aversa Ecclesiâ violarit. Nec tantum fidei amicis datæ sed & æqui ac honesti hic immemor extitit tum vero cum primis adjurationem Piæ Matris, è gente Wierzbientarum Janiniorum, gravis matronæ quæ una cum marito in cæmeterio illius Ecclesiæ sepulta, ante obitum eum oravit & obsecravit, ut thesauri loco fundatam in agro suo Ecclesiam conservaret, nec sibi eripi vel surripi vi artibusve Satanæ pateretur, secus facturo omnia adversa & proli præsertim masculæ interminata. Semper quidem

quidem omnia bona de se pollicebatur Achacio alteri & Joanni germanis patruis aliisque necessariis veritatis avitæ cultoribus: quos inter & sororii ejus Georgius Czaplicius & Sigismundus Zabavius & Magnus ille Samuel Przipcovius fuere. Memini cum & ego aliquando adolescens commilitonum cinctus corona oratione gratulatoria compellassem idem promissi ab eo referre. Sed cuncta postmodum temsit, cuncta jura violavit, præsertim postquam acerrimæ persecutiones ut in alios Ecclesiarum patronos, ita & in ad finem ejus Czaplicium (ut vidimus & porro infra, si Deus volet videbimus) motæ essent. Certa relatione accepi eum à perpetrato isto facinore nunquam fuisse quietum, imo diurnis nocturnisque visionibus pientissimæ matris, tantam malitiam, ingratum in Deum & se animum & impietatem exprobrantis infestatum imo aliquando cum media luce somno operam daturus in lecto se composuisset, valde exterrefactum fuisse, cum videretur sibi mater minas, mox ictus intentare, & lodicem detrahere, ita ut se e lecto proripiens & metu propemodum exanimatus fugam dederit. Assiduis ex eo malæ conscientiæ furiis agitabatur tandemque nescitur qua ratione bello isto Cosacico perierit.

Uxoris ejus soror Birecia, cum qua maritus, districtus Præmisliensis incola vir nobilis & opulentus, quod præmonitus à quopiam viderit paratum sibi in balneum ituro per aliquot annos veneficas & duas virgines nobiles uxori famulantes (quarum illæ ad flammas damnatæ, istæ suspendio ante heræ fores necatæ) venenum ejusque experimentum in rupto protinus vase ligneo, cui illud infundi jusserat fecerit divortium fecerat, in Luclavianum aliquando veniens & sorori cohabitans, cum ædem sacram adiisset, & exultans amplam ex ea cauponam extrui posse dixisset, justam vindicis Dei iram sensit, intra aliquot dies exanimata.

In illa pagi parte quæ Joanni Blonscio Abrahami filio, cesserat, degebat olim Faustus Socinus, ut in epistolis ejus videre licet, ibidemque Anno 1604 3 Martii diem suum obiit, in cæmeterio ecclesiæ illius sepultus, parentante ei Petro Statorio, qui cum quotidiè sacra conversatione

tione gavisus est & qui eum anno vertente, sed Racoviam translata sede, secutus est. In illo ipso loco, in quo olim Socinus degit, & mihi Baumgartio Rectori conviventi degere contigit.

CAPUT XVI.

De Ecclesiis in Provinciis Voliniæ & Kioviæ.

INter eximia divinæ providentiæ argumenta merito ponere licet plures Ecclesias in duabus istis Provinciis magnanimo pietatis zelo fundatas. Apparuit iste non tantum in Viris sed & in fœminis illustribus, ut discamus etiam in vasis infirmioribus divinam vim se exerere. Inter præcipuos Patronos fuere *Gabriel & Romanus Hoyscii*, pater & filius, quorum uterque amplissima dignitate Castellani Kioviensis adhæc pater Ororucensi Volodimiriensi præfecturâ fuere decorati. Sub eorum patrocinio Ecclesiæ diu florebant Hosciæ ad Horinam & Socoliæ sive Curciciæ ad Sluciam oppida Voliniæ. Pater agebat aliquando præfectum Aulæ Præpotentis Principis Ostrogiensis Basilii Constantini Palatini Kioviensis, cujus præclara in Rep. merita, filii Georgius Castellanus Cracoviensis & Alexander Palatinus Voliniæ fuere, & ab eo opinor didicit æquitatem erga veritatis cultores, quos Princeps iste Græcæ religioni ad mortem usque constanter addictus, non tantum Ostrogiæ, Lubartoviæ, Ostropoli, quietè degere patiebatur, sed & Ecclesiam Constantinoviæ fundandi dedit facultatem. Christophorus Sieniuta ut nobilissima editus familia, ita divitiis Principibus comparandus (cujus, ut & Danielis Rudnicii conversionem Romæ factam supra indicatam, utpote rem maxime memorabilem alias describemus) in ditionibus suis Lachovecensi & Sceniutoviensi ecclesias pariter fundaverat multaque acerba eo homine passus, non exiguam redituum annuorum partem ad tuendam & propagandam veritatem impendit. Sed & Martinus ac Georgius Czaplicii fratres nobis memorati nati Joanne

ne Czaplicio districtûs Judice Terrestri divina veritate illuminati, Beresteciæ & Kisselini oppidis unico milliari ab se dissitis, tum patruelis eorum Adamus Spanoviæ & Milostoviæ Ecclesiæ commoda præbuerant hospitia. Et Kisselinensis quidem Schola ex ruinis Scholæ Racovianæ insigniter sub Rectoribus *Eustachio Giselo*, *Ludovico ab Hollaissen*, *Petro Stegmanno*, Joachimi Viri Cl. fratre, *Theodoro Simonis* Holsato (qui ob librum quondam de Papatu editum *Philippus Cosmius* vocari voluit, Græcis litteris apprimè excultus, ibique *Januæ Comenianæ* versionem Græcam adornavit) creverat, ibique etiam Synodi aliquot fuere celebratæ. Sed quæ Deus ibi otia nobis fecerat ea invidiam & bilem adversariorum veri & omnis æqui rectique commovit ita ut per injustam Tribunalis Lublinensis sententiam & ille Ecclesiæ Berescensis scil. & Kisseliensis ac Schola fuerint disjectæ. Qua de re inferius Deo volente ex serie temporum, Capite de persecutionibus uberius agemus. Czerechovianam Sholam rexere *Barthol. Wochus*, *Debelius*, *Borussus & Paulus Myslicus Silesius*. *Hoscensem Theophilus Molitor*, *Daniel Durossius* post celebris Med. Doctor *Salom: Paludius* & *Albertus Caperius* Struxerat sibi nidum sed brevi duraturum Ecclesia in Babiniano, hæreditario Babiniorum prædio. Longe ampliores & durabiliores struxerat nidos in ditionibus Niemiericianis. Initium fecit pia matrona Niemiericia è gente nobilissima Chreptoviciorum Judicis Terrestris Kioviensis uxor: cujus filius Stephanus Archicamerarius Kioviensis & Præfectus Ororucensis negotium perfecit fundata in oppido Czerniechoviano Ecclesia. Huic postea commodas sedes Serfiis & Usslomitiæ filius Stephani Georgius patri in illo officio terrestri & præfectura succedens designavit & tutatus est non sine multis persecutionum assultibus & incommodis, de quibus infra pariter suo loco plura dicturi sumus si Deus permiserit.

CAPUT XVII.

In quo fragmento quædam ad sequentium temporum Historiam pertinentia afferuntur, in quibus præsertim quomodo Unitarii Poloniâ ejecti sint post varias persecutiones narratur.

Historiam ad finem perducere cum non potuerit Vir Nobilissimus *Stan. Libieniecius* Hamburgi anno 1675. veneno ab ancilla subornata à nefariis hominibus è medio sublatus, visum est, ad supplenda aliquatenus quæ hic desunt adjicere Epistolam eloquentissimi Viri Sam. Prybkovii Equitis Poloni in qua narrat calamitates quibus ab Anno 1648. oppressi fuere Unitarii in Polonia, donec ea Regiis edictis exigerentur.

Vir omni laudis genere eminentissime Domine & Amice plurimum honorande.

„ Quod anxiis votis optandum est, omni conatu enitendum fuit, ut amicitiâ tuâ frui possem: id ultro ab humanitate tuâ prævento mihi obtigisse, plurimum gaudeo & gratulor. Satis arcto benevolentiæ tuæ „ vinculo animum tibi meum adjunxeras edito tam insigni „ operæ nostris navatæ specimine, & porrò quoque obla„ to, indefesso navandæ studio. Ego vero peculiari quo„ que meo nomine quantum tibi debeam, testantur in „ amicorum literis effusi in me favoris plena indicia. In „ quibus quantum agis tu falleris ea nobis tribuendo, „ quæ quia non agnoscimus, pudore suffundimur, tan„ to magis nos obstringit is qui defæcato alioqui judicio „ tuo tenebras offudit, propitius erga nos affectus. Po„ stulas ut calamitatis & egestatis nostræ tibi descriptio„ nem exhibeam. Infandum tu nempe jubes renovare „ dolorem, ne per vestigia luctuum iterum, & cruda ad„ huc & hiantia, necdum cicatricibus obducta retracta„ re vulnera; horret animus ad exceptos tot fulminum „ ictus, attonitus & pavens. Qui nos casus hucusque

„ agita-

„ agitaverint, quæque ipse miserrima vidi, & quorum „ pars quantulacunque fui exponere, non mens tan„ tum, sed manus quoque ac calamus trepidat ac refugit. „ Fuimus, fuimus Troes & vel ipsa non multo ante, be„ nignitate Dei, tot per annos indulta Ecclesiis nostris fe„ licitas, acriorem sensum præsentium malorum reddit: „ ut etiam recordari pigeat, quando & quomodo & qui„ bus gradibus, quod fuimus esse desymus. Et nisi men„ tes nostras causæ, ob quam patimur bonitas, & com„ mendare quondam à Domino hujus generis patientiæ so„ latia erigerent, tanta calamitatis procella prostratis at„ que obrutis penè optimum factu videbatur, quo levius „ ferantur præsentia, præteritorum memoriam amitte„ re. Quia tamen aliquam status nostri imaginem po„ scis, dabimus eam non suis h. e. vivis coloribus depictam, „ sed simplicissimis lineamentis adumbratam, ea cursim „ attingentes in quibus immorari molestum est. Nec vi„ deo quod operæ pretium sit ignotorum nominum catalo„ gos longâ serie contexere, si narrantium fides ob infe„ stos forte aut certè ignaros causæ nostræ testes aut indices „ suspecta est. Auget ærumnarum sensum, quod calami„ tosis non creditur: sed non si nos miseros fortuna desti„ tuit, idcircò fidem quoque decoximus. Præstat igi„ tur ad malorum nostrorum fontes digitum intendere: „ quibus cognitis cuivis liquido patere possit, frustra & „ inique iis rebus fidem derogari, quæ per illatarum no„ bis injuriarum naturam aliter se habere nequeunt. Pri„ ma nobis malorum origo ab exorto in Patria anno 1648. „ Cosacici belli incendio extitit; quod una cum cæteris „ patriæ civibus plurimos nostratium præcipuè qui vici„ niores Borysthemi oras incolebamus, bonis ac possessio„ nibus exuit, aut irreparabilibus damnis affecit. Hac „ occasione egomet ipse longe ante legem proscriptionis, „ quæ anno 1658. lata est maxima parte fortunarum „ mearum provolutus; & toto decennio ante exilium exul: „ quasi ante tempestatem (una cum multis nostrorum) „ naufragium feci. Mox accessit Moschica & paulò post „ Svecica: tandem & Transilvanica irruptio, quæ pas„ sim toto regno ima summis miscuerunt: nec ullus tam

sepositus

„ sepositus ac secretus Regni angulus latuit, qui damno-
„ rum atque irruptionum exors esset. Nam proprii mili-
„ tes insolentia & auxiliares Scythæ atque Austriaci, eo no-
„ centius grassabantur, quod nec fuga evadere, nec armis
„ vim injustam repellere liceret. Atqui non soli fui-
„ mus quos tot bellorum vexationes afflixere. At so-
„ li quos tot bellis exhaustos ac pene animam agen-
„ tes: tunc cum cæteri respirarent, pax omni bello cru-
„ delior adorta est, & cum adversâ fortuna sine missio-
„ ne luctantes confecit, ita ut in affligendis nobis, an-
„ teacta bella consecutæ pacis truculentiæ ministrasse vi-
„ deatur. Quanquam & in ipso bellorum æstu inve-
„ nit inimicorum industria rationem quâ nos præ cæte-
„ ris sævius bellorum furor affligeret. Svecis enim pul-
„ so Casimiro Rege, Cracoviæ dominantibus, cum ex
„ omnibus regni provinciis legati confluentes cum hoste
„ paciscerentur cum ipsi exercitus unà cum ducibus suis
„ in partes transiissent, & omnes pene ordines deditione
„ pacem redemissent ne nos quoque brevis illius pacis usura
„ & communione frueremur malignitas inimicorum ni-
„ hil minus cogitantes nos latrocinio invasit, & mon-
„ tanorum agrestium spe facilis & luculentæ prædæ con-
„ citavit, quæ in nostros periculi ignaros & domi suæ
„ singulos quiescentes improviso impetu facto cædibus
„ ac direptionibus grassata est. Quod subitum malum
„ non paucos nostratium; nonnullos etiam agnatorum
„ meorum domi suæ crudeliter interemptos oppres-
„ sit; quosdam insequentium latronum manibus ægrè
„ elapsos Cracoviam tunc Svecico præsidio occupatam
„ compulit. Hoc ab invitis ac trepidis extortum effu-
„ gium, iniquissimis postea criminationibus traductum
„ est, qui tamen ipsi jam ante Svecicam protectionem ul-
„ tro susceperant. Sed in opprimendis nostris non ex-
„ spectata est Legum auctoritas: Armati ipsi & armato-
„ rum catervis succincti Pontificiorum sacrificuli nobi-
„ lium ædes invadebant, direptionibus, incendiis, nobi-
„ lium matronarum raptationibus atque omni violentiæ
„ genere impune grassabantur. Supremum vero Tribu-
„ nalis judicium nec dum Sanctâ contra nos Lege rigo-
„ rem ejus adversus nos tristibus exemplis exercebat quo
gene-

„ genere decreti gener meus Siedlicensis Ecclesiæ Patro-
„ nus paulò ante conditam istam legem afflictus est.
„ Successit tandem tot illegitimis insontium vexationi-
„ bus Lex omnium illarum injuriarum Patrona nova &
„ inaudito exemplo, per oppressos violenter qui inter-
„ cedendi jus habebant, quasi, per jugulum, liberta-
„ tis in codicem legum nostrarum ingressa est. Super-
„ flua illa quidem initio visa cum & sine novâ lege & contrà
„ antiquas constitutiones non modo publicorum magi-
„ stratuum aut judicum injustitiæ, sed & privatorum
„ libidini ac violentiæ adversus nos jam omnia impune
„ licerent: sed quæ tamen novis nocendi spiculis arma-
„ ta non modo omnibus, tam judicum quam privato-
„ rum sceleribus juris colorem induceret, verum etiam
„ nos omni fautorum & amicorum præsidio exarma-
„ tos, & quasi vinculis constrictos & compeditos vivi-
„ dis inimicorum odiis traderet. Quam illegitime &
„ quam pleno nullitatum processu lata sit queri nunc non
„ vacat. Sufficit exponere quam subdola & per speciem
„ clementiæ nocens fuerit: quod in eâ exilii necessitas in
„ triennium dilata ostentaretur, ut in speciem convasan-
„ dis ad discessum rebus tempus suppeteret. Sed hoc injustis-
„ simi juris beneficium, plerosque omnes decepit, & fallax
„ ista gratia subito revocata est, ad unius duntaxat indulgen-
„ tiam anni spatio isto contractô, adeò ut penè omnes
„ justo rebus suis per otium consulendi tempore exciderint.
„ Vendere igitur bona sua paucissimis licuit, & eorum qui
„ vendidere pars multo maxima exiguo ac pene nullo
„ pretio opulentos fundos emptoribus addicere coacti sunt,
„ cum licitatorum iniquitas non modo urgente venditorum
„ necessitate ac periculo, sed (quæ per tot bellorum da-
„ mna & devastationes forte invaluerat) nimis in angustum
„ redactæ rei pecuniariæ inopia & difficultate, aut ejus
„ prætextu ad infame lucrum abuteretur. Vis habere ejus-
„ modi emptionis exemplum? Patrona Pobrinensis ecclesiæ
„ Matrona nobilis jura sua dotalia pluribus talerorum mil-
„ libus æstimata, trecentis florenis ægrè vendidit. Chri-
„ stophorus Ostrovius eques splendidus patrimonium pretii
„ decies mille talerorum, tribus florenorum millibus h. e.

 „ ne

„ ne decimâ quidem justi pretii parte alienavit. Et hic quidem in emptorem verecundum inciderat: alios enim „ quindecima, vigesimâ parte alios, multos denique nudâ spe & promisso solvendi contentos esse oportuit. Quod „ plures nostrum coegit bona nostra amicorum potius „ fidei committere. Sic distractis aut potius dissipatis vel „ in alienam potestatem traditis bonis suis patres familias „ cum miserabili liberorum aut cognatorum agmine, patriis oris excedere oportuit. Pars in Silesiam, multò major pars in Transilvaniam tetendit. Utrique damnorum „ per latrocinia acceptorum expertes non fuere. Sed qui „ Transylvaniam petebant nondum destinatam itineris „ metam attigerant, cum à Cæsareo milite (occultis, uti „ fertur indiciis ac stimulis è Polonia excitato) omnes viatico simul ac bonis omnibus spoliati sunt. Casus hic, „ simulque cæptorum & impendentium illic bellorum tempestas plærosque in Poloniam reversos, in Prussiam „ nostram adegit, cæteri obstinato ad pericula animo inopes ac seminudi tamen in Transylvaniam penetrarunt; „ ubi tot laborum ærumnarum, ac discriminum merces „ excepit eos pestis ac pauperies. Ecquid igitur miremur „ tot malorum ac periculorum horrore plurimos in ecclesiis nostris à veritatis amore ac fide revulsos: cum longe „ magis mirandum sit aliquos in ejus professione constanter mansisse? Nec enim simplici aut solitâ viâ præsens „ nos invasit persecutio: sed ad extinguendum veri quod „ nobis affulsit, lumen advocavit ingenium suum „ Satanas ut non tam mortis (qua sæpe cito defungi posses) periculo, quam vitæ in miserias longius productæ „ tormento atque supplicio, constantiam nostram expugnaret. Nec istud quod memoras horrendi carminis „ fulmen; quo patriâ exturbati sumus, ita nos perculit, „ ut is, qui paulo post novis subinde comitiorum sanctionibus, extremus rigor additus crudelissimæ legi, ac „ sevis deinceps decretorum exemplis exercitus est, qui „ nobis omnem amicorum usum aut opem, omnem è Patriâ auxilii spem abstulit atque eripuit, dum in eos qui „ nobis succurrisse aut miserias nostras sublevasse convicti „ fuerint, longe sæviora quam in nosmetipsos exempla „ eduntur.

„ eduntur. Quippe nostrorum quispiam deprehensus aut „ redux, si Romanensium sacris se adjungat ilico restituitur „ in integrum & bona sua nullo negotio recipit. At si Catholicus aut Lutheranus complicitatis aut minimi nobiscum „ commercii convincatur culpam hanc inevitabili bonorum „ confiscatione luit: nec remedio ulli locus est. Ita nobis unicum quod in amicorum fide supererat refugium ereptum „ est, & omnes quibuscunque aliquid à nobis creditum fuit „ ad perfidiam vel inviti adiguntur: nec inopiæ nostræ succurrere quisquam impune potest aut finitur. Præterea nostris omni undique angustiarum genere coarctatis unica „ per Apostasiam eaque latissima & facillima è difficultatibus evadendi via panditur. Ut hinc penitus omni ex parte „ obstructo, illinc latè patefacto aditu tanto plures in laqueos suos Satan impelleret, cui tantum hac tempestate in nos „ licere Domino placuit. Positâ ob oculos ejusmodi rerum „ nostrarum difficultate, quis ultra cuiquam mortalium de „ angustiis nostris dubitandi locus relinquitur. Finge singulos exulum cum Patrios focos linquerent, recens inventis thesauris in subsidium viatici ditatos. Jam tot itinerum sumptibus & expensis, tot injuriarum damnis & jacturis consumpti essent. Quid si perpendamus multos tanquam ex naufragio nudos ex Patria excessisse: cæteros aut „ latrociniis, aut sumptibus per tot annos erogandis, quæ „ in omnem casum reservaverunt, amisisse? Præcipuè cum „ nusquam satis tutus fugientibus è Patriâ receptus pateret; „ & incertis sedibus vagos oborientia undique pericula & difficultates in loco consistere non paterentur. Nunc quoque „ nos recens ab Holsatia, recentior è Silesia, quanquam „ nondum satis exploratus metus percellit, cum utrobique nostris migrandi necessitas imperari nuncietur quod „ tamen Deus avertat aut in melius vertat. Jamque adeò „ subvereri incipio, ne non tum nullæ esse angustiæ nostræ quam adeò graves & nimiæ, ut ipsis succurri nequeat „ existimentur, præcipue cum non nulli mille familias opis „ vestræ indigas computent. Sed calculus hic minus falleret, si omnes in quos legis mucro districtus est Christus „ & veritatis causâ pati voluissent. Cæterum quod dolendum est, plures quam vellemus patrum familias, ut „ aliena

,, aliena ope non indigerent, sibi consulere, aut etiam-
,, num nutant & in Patria latent. Longe pauciores sunt quos
,, palam Christi jugum subire non piguit. Neque ii tamen
,, intra Cruciburgensis oppidi pomæria, aut eorum vicini-
,, am conclusi, ut Uratislaviensi indici Calvini forte zelo
,, ferventi, noti esse possent. Multi per aliqua tutiora Po-
,, loniæ ac Lithvaniæ loca per ulteriorem Silesiam Marchi-
,, am, Prussiam Transylvaniam diffusi. Quidam in Hol-
,, satia atque Manheimii in Palatinatu recepti sunt. Qui-
,, buscum tamen omnibus per tam longa locorum inter-
,, valla licet, mutua commercia exercemus, nosque in-
,, vicem, quà licet subsidiis adjuvamus. Certè distributio
,, proximè missæ pecuniæ sanctè ac innocenter administra-
,, ta; neminem eorum de quorum inopia constabat, aut
,, constare poterat, præteriit: & per Silesiam, Marchiam,
,, Prussiam, Poloniam diffusa Transylvanos quoque &
,, Holsatos fratres attigit: & longe lateque per populos ac
,, gentes Roterodamensium ac cæterorum fratrum, qui tam
,, præsentis munificentiæ non immunes fuere, nomen ac
,, beneficii gratiam gloriamque circumtulit. Quibus eti-
,, amnum ex intimo arctè obstricti animi sensu exuberan-
,, tes, & immortales eô nomine gratias agimus, Deum
,, Op. M. largitorem omnis boni precati ut in tam liberales
,, & benignas animas effundat flumina beneficentiæ suæ;
,, & qui scyphum aquæ frigidæ irremuneratum non fore
,, pollicitus est, tam insignè afflictorum fratrum refrige-
,, rium dignâ & cumulatâ mercede rependat. O quam sua-
,, vis est in conspectu Domini tam sancti sacrificii fragrantia!
,, quam validè cæterorum cunctatione aut parsimoniâ spe-
,, ctanti ex alto Deo commendatur! Hilares datores is dili-
,, git: nihil ab invitis, nihil à mæstis & gementibus exigit:
,, Animum respicit non dona. Ne nos quidem petitæ tam ne-
,, cessariæ opis, graves & importuni exactores esse velimus.
,, Si parum ex superfluis dare possunt: quis nostrum paupe-
,, res emungere optet; cum ipsi quoque pauperes simus &
,, egentibus adeò graves esse nolimus; ut de nostro quoque
,, si cuiquam nostrum quicquam adhuc superest egentibus
,, opitulari parati simus. At si quid cuiquam vestrum
,, supra ea quibus indiget superest, suum quisque statum
viden-

,, vidente Deo introspiciat. Nos ultra vires singulorum
,, nihil poscimus, ac ne id quidem quod superfluum est (si
,, grave videatur) poscimus. Est Deus cui desideria no-
,, stra & necessitates curæ sunt; & suaviter præposteram
,, illorum ridet solicitudinem; qui metuunt, ne quod dare
,, possint necessitates nostras non expleat: quasi id quicquid
,, dederint aut ipsi industriâ nostrâ aut Deus ope sua supple-
,, re non possit. Et quia chartam exhausit *Scriptus & in*
,, *tergo necdum finitus Orestes*. nolim ista quæ memoras
,, σοφὰ φάρμακα pluribus diluere duo tantum adjiciam.
,, 1. Nulla distributorum culpâ factum quod non omnium
,, inopiæ subventum sit; præsertim in Prussiâ nostrâ; eorum
,, enim quotidie plures confluunt non modo ex iis qui in
,, Polonia & Lithvania non exiguo ad huc numero latent;
,, sed ex istis quoque. qui metu aut difficultate constricti ad
,, Romanensium sacra descivere, ad saniorem mentem re-
,, deunt: De quibus quo loco essent nondum constabat.
,, Unde nobis maxima oboritur difficultas numerum exu-
,, lum definiendi. 2. Alterum est, habere me non pauca,
,, præter ea quæ Rev. Spinovius attulit, tibi communican-
,, da. Interea, in primam servatoris concionem; quæ
,, summam prædicationis Christi continet, cogitationes
,, nostras, quas tibi dedicare destinavi & primo quoque
,, tempore mittam. Cæterum illud enixè peto & urgeo,
,, ne quid sub vero nomine meo; me vivo & inscio in lu-
,, cem prodeat. Quod si quid forte aliquà eruperit, præ-
,, stat ut eorum quæ displicebunt odium & invidiam JU-
,, LIUS CELSUS sustineat. Vale amicorum optime me-
,, que precibus tuis apud Dominum sublevare ne desine. Re-
,, giomonti in ipso autumnali æquinoctio. 1663. Rev.
,, Trembecii absentis nomine te saluto, ejusque filium tibi
,, tuisque commendo.

CAPUT. XVIII.

Exemplar Epistolæ Unitariorum Exulum ad N N.

QUanta feralium malorum vis, universum Poloniæ regnum, magnum Ducatum Lithvaniæ, Russiæ, Borussiæ, omnesque adhærentes ditiones ex omni parte

parte inundaverit decem & quatuor annorum turbis, bellisque immanissimis, ignorare non possunt, qui norunt utcunque, quid proximis temporibus in Europa sit gestum. Ignorant tamen etiam qui norunt exactius & consortes fuere ærumnarum; adeo infinita pestis omne genus clades, per omnes ac omnia, longè lateque accumulavit. Cosaci, Scythæ, Moschi, Sueci, Hungari, quinque gentium sævissimarum fæces cum auxiliaribus in Sarmatiæ viscera impactæ, nihil eorum omiserunt, quæ militaris furor & feritas armata solet ac potest designare. Et sic fuere quidem Gentes Polonæ longè miserrimæ; Et in miserrima patria bis semper miseri fuerunt & sunt Ecclesiæ homines, quæ hactenus ibi unum Deum Patrem, & unum Dominum Jesum Christum, Dei filium unigenitum, adeoque Deum in secula benedictum, in Spiritu Sancto veneratur ac colit. Nam & cum publicis tot ac tantis calamitatibus iis juxta veteres luctandum fuit & cum odiis privatis, magis etiam infestis, adversariorum qui partes propugnant Pontificis Romani. Ea verò placato tandem externo hoste, implacabilius exarserunt, ad Ecclesiam illam ex illis terris penitus exterminandam. Id jam pridem hostiliter meditantes ac molientes omnium artium ac virium contentione, contra leges patrias, & avita Regni jura pro dissidentibus ab Ecclesia Romana, gravissimis comitiorum sanctionibus crebro asserta, & sacramentis Regum confirmata, diu repressit, libera gentis generosæ æquitas & virorum Principum illustris auctoritas, Radziviliorum, Goraisciorum eorum etiam, qui Pontificii, nominis à Majorum virtute tamen ac justitia non agebant degeneres, jugum detestabantur, quod ita premeret nonnullos ut nulli, & sic ne ipsi quidem, possent in sacris juris esse sui: donec invalescente tandem potentiâ sacerdotali, levissima occasione, per summam judicûm injuriam, gymnasia juventutis & Ecclesiæ seminaria, typographia, edendorum librorum facultas aliaque nobis commoda egregia, alii muneribus dejecti, alii insontes planè omnes, lege durissimâ proscripti sunt, acerrime nequicquam intercedentibus suffragio Provinciali, quibus hoc jus ad mandatum, primariis in Republica viris partium quoque Pontificiarum. Ex eo non intermisere, adversarii, quavis arreptâ occasione, exagitare nos infestis judiciis, premere, carpere, insectari publice, privatim, sine modo ac fine. Semel laxatis juris repagulis nullum erat in legibus præsidium, nulla in judicibus fides, vis tantum aperta differebat, exitium præcipitare. Et sic quidem quæ exercerent patientiam nostram, obveniebant sanè longè plurima. Sed præludia tantum levicula erant malorum, quæ post incubuere; & primum quidem cum adversariis & patria universa, Communi nos fato involvere. Nunc verò post exantlatos innumerabiles & incredibiles labores, utcunque redditâ demum patriæ quiete, & sævis hinc adversariis ad nostram perniciem animo addito in ultimas & ineluctabiles angustias crudelissimè præcipites dederunt, dum quibus pepercit ensis & ignis hostium, sua inimicorum, luës pestilentiæ, tormentum famis, inclementia cœli, & pereundi mille figuræ, immites non parcunt, & inexorabiles cives minimè qui soli audire volunt Sacerdotes Dei, œconomi Christi & magistri caritatis. Ac spoliatis, exutis, exenteratis funditus per tot & tamdiu continuata rerum omnium detrimenta, quod unum supererat vitæ præsidium, Patriam eripiunt, nisi sic vitam etiam posse eripi sperarunt, aut mitius est vitam eripere, quàm vivendi facultatem. Vera nos conqueri, intelligetis, si pleniùs casus nostros & ærumnarum multiplices vices exposuerimus. Cœperant illæ, cùm anno duo dequinquagesimo, cruentæ rebellionis facinus Cosaci inceptarunt, nec dum etiam edomitæ. Insurgentes illi, cum numerosissimis Scytharum auxiliis ad servile bellum, violatam etiam Pontificiis religionem Græci placiti armis vindicaturi, Regni exercitibus semel atque iterum concisis, Russiam totam & provincias limitaneas ad orientem, Borysthenem versus ac Pontum Euxinum, velocissimâ expeditione rapuere ac diripuere, ferro atque flamma sternentes cuncta. Quantum illic sanguinis fusum sit, quantum hominum abreptum in Scythicam & Turcicam servitutem, quantum agri desolatum, quæ illic edita sint immanitatis exempla, horret animus meminisse, lingua proloqui. Fratrum nostrorum

rum alii illic obtruncati, alii cessere barbaris in prædam, plus milleni raptim profugientes, relictâ plerique omni substantiâ (tam præceps urgebat exitium ab hoste advolante) evasere in Poloniam nudi, pars in majorem, plerique in minorem, ubi per familias fratrum tributas, non valde numerosas, fraternè omnes sustentavimus dum substitimus ipsi, & grave onus per ac propter Christum leviter tulimus. Bellum Cosacorum, ut fæcunda sunt fecunda scelera, peperit Moschoviticum. Attritæ Regni vires, Russia cum tot terris finitimis avulsa, concilia turbata, concordia luxata, rebellium auxilia, imparata Polonis omnia, occasio insperata, nova & magna spes, Magnum Moscorum Ducem, magno maleficio in Litvaniam impulere. Pace perfide abruptâ, ingruit subito immensum agmen. Nihil extra ordinem, velut in pace comparatum præsidii, auxilii. Ita amplissimus Ducatus in latitudinem ac longitudinem centum quinquaginta patens milliaria Germanica, altero anno est subjugatus. Ipsa Vilna, caput Provinciæ brevi tempore, direpta, diruta, incensa est, multæ illic cædes, multa vastitas passim edita ab hoste truculento & fero, ubi iterum fratres nostri illa in terra aut vitam aut patriam & fortunas, aut quod ipsum etiam pro beneficio erat, libertatem amisere. Reliquum vero jam erat, ut major minorque Polonia suum etiam hostem sortiretur, ne quid, Deo sic commissa nostra corripiente in toto regno esset integrum. Ergo ut Cosaci Moschum in Lithvaniam, ita perturbatione rerum utrique Suecum attraxere in Poloniam. Debilitata socialibus incommodis, expilata tributis, occisa viris, rei, consilii inops, & secum variâ factione discors torpet Polonia, velut veterno quodam sopito, dum bellum ei gravatur. Ingreditur hostis, accipitur tanquam amicus, prona deditione cuncti se submittunt, Regem repugnando imparem propè cunctu, ille regnum desertus fugâ deserit. Ipsa Cracovia parvo negotio subacta Novum Dominum ultro amplectitur Borussia Brandeburgicus compellitur in partes. Unum Gedanum terminum agit. Cum reliquum jam id unum videretur, idemque tertiò etiam ageretur, ut novus Rex ritu solenni regale solium iniret, & regni insignia capesseret, resurgit inopinanter Casimirus Rex & Gens Polona velut ex longo mentis deliquio ad se reversa, jam demum hoste & errore suo agnito, capit arma, ejectura visceribus, quem arcere finibus potuerat. Hic jam Polonia velut sedibus suis convulsa sursum deorsum volvitur, cœlum miscetur terræ. Concurrunt infestæ acies, pax toto exulat regno, nusquam tuta quies, in omnes se partes, ad remotissimos etiam angulos habitabiles incendia & dispendia diffundunt atrocissimi belli. *Crudelis ubique luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago.* Ex agris, villis, vicis, oppidis, ultro citroque, prorsum retrorsum, undiquaque fuga perplexa sine perfugio. Decurrunt, recurrunt, quasi Euripus, profligant suis sedibus mortales, nullo vastissima in regione receptu, vix ullâ munitione. Abire, consistere pariter anceps. Vident quà mutare, non qua vitare detur exilii locum. Ludus fuit Bellum belgicum, morum civilitas præ illa barbarâ, lanienâ hominum, vexatione innocentium, ruinâ rerum. Inclinante mox Suecorum fortunâ, ubi illos evocabant fata Daniæ, illi advocant etiam Racocium, novum & atrox Poloniæ flagellum. Utinam verò inconsultissimus Princeps, Theologorum etiam quorundam fanaticis auguriis effascinatus, amicus quàm hostis, propugnator quàm oppugnator accedere præoptasset, magno suo, Poloniæ, & Transylvaniæ bono. Nunc bonam ei malorum partem debet Polonia, debet Transylvania, quod sit jam longe miserrima, ipse sibi & malis consultoribus, quod male perierit. Ejus Transylvani, Hungari, Moldavi, Valachi, urendo agros, sternendo obvios, impotenter, crudeliter, insipienter omnia agendo prodidere duntaxat, quantum traxerint è vicina Turcia feritatis. Tandem nullâ re magnâ gesta, malis multis, ea ipsâ in terra, in quam sævierat, fame domitus, à Polonis subjugatus, à Tartaris denique in receptu deletus, captus est omnis exercitus, Principe cum paucis equitum ægrè elapso. Ita demum spes temporum mitiorum illuxit alma Poloniæ, heu quondam etiam nostræ, quæ cum adjunctis ditionibus (quod nec fortaisse quis credat nec intelligat) præter auxiliares Austriacos & gentium suarum multiplices copias, haud sanè admodum mites vel in suos, stipen-

ſtipendiis minimè procedentibus, imo tot acerborum ſenſu, viſu ac uſu denique efferatas, uno illo tempore ſuſtentavit & ſuſtinuit, ſeptem amplius hoſtilium populorum, Regum, Principum; plures etiam quam ſeptem ingentes exercitus horrendæ pleroſque feritatis, è Coſacis, Tartaris, Moſcis, Suecis, Germanis, Brandenburgicis, Tranſylvanis, bellatorum innumerum numerum; & credat quis malorum numerum iniri & magnitudinem poſſe æſtimari, quæ patria pertulit & nos cum patria? At cum patria graviſſima paſſi, non quiritaremur, opem alienam non exambiremus; ut nec ambivimus hactenus, cum Deo, tanta ærumnarum mole preſſi, ſi omnibus amiſſis patriæ nobis velut Matris communis gratia ac poſſeſſio perſtaret. Nunc vero Patriæ novercantis aut potius opprimentium patriam, & patrias leges ac juratas libertates perfidè conculcantium abnormis impietas graviſſimis ingerit multo graviora, hoc tolerabilia minus, quò plura toleravimus, quò magis tolerandi vires tolerando perdidimus. Nam vitam quidem duriter tolerare acerbum eſt: at penuriam ac famem, exitiale. Et ad famem certè, id eſt duriſſimam mortem, nos adigunt hoc tempore, hac rerum difficultate, qui nos patriæ, patriam nobis ſubtrahunt importuniſſima aſperitate, velut infanti qui gremium matris ſubtraheret, ubera nutricis. Cœpit id primum odium Theologicum & furor vulgi; vis deinde confecit ſacerdotalis occupatâ autoritate Comitiorum, reſciſſis, projectis, ſpretis, pro omnium Diſſidentium pace ac ſecuritate, quâ annis admodum centum gaviſi ſumus inviolati, ſeveriſſimis legibus, graviſſimis ſtatutis, pactis, fœderibus, promiſſis quæ omnium ordinum ſanctiſſimo ſcito & conceptiſſimo Regum, hujus nominatim & quidem ter repetito jure jurando, ſæpè & nuperrimè erant religioſiſſimè & ampliſſimè renovata, aſſerta atque confirmata; ut vim juris obtinerent inviolabilis atque æterni. Atenim occaſione datâ jus violare, pacem abrumpere, diſſidentes opprimere, in contradicentes ſævire, fide pro arbitrio abuti, olim fuiſſe & eſſe etiamnum Romano-Catholicum, clamat exitium ante nos multorum, nunc exilium exitiale noſtrum. Submoto utcunque metu ab hoſtibus, capitalior ab inimicis ingruit in diſſidentes, nos imprimis

primis, ut inviſos magis & firmos minùs; cùm peſſimè aliis, pejus ſemper nobis erat. Pontificia ergo undique ſe colligebat ira ac rabies dolore adverſorum exulcerata in innocentes, velut à Civibus ſacris diſſentientibus juſtâ ultione repetitura, quæ damna intulerant diſſentientes hoſtes. Plebs agreſtis, apud nos barbarum genus, non ſacra modò diſturbare noſtra, ſed graſſari etiam in domos, villas, vicos & vitam noſtratium, flammas ac ferrum circumferre. Alii domiciliis per incendia, rebus per rapinas exuti, alii verberati, vulnerati, contrucidati omnes perterrefacti, inſtigantibus ſacrificis, imo præſentibus & ducatum ſceleri præbentibus quibuſdam etiam edictis, in nos armantibus bacchantem turbam, uſurpatâ contra leges & jura, per licentiam & nequitiam temporum, auctoritate. Pace deinde Regno pluſculum repubeſcente, ut primum ſparſi per avia noſtrates & ante exilium exules è latebris ſuis ac perfugiis prodire & in vaſtatas ſedes cœperant coïre, recruduerunt cum reditu eorum odia ac iræ hoſtium. Hic iterum illi miſerrime ſub cultro invaduntur denuò armatâ manu, ferrum & ignis intentantur, ut nuſquam tuti minùs quàm domi ſuæ in patria jam pejùs quàm exularent. Rex, Senatus, Proceres ſollicitati ad defenſionem, improbant quidem popularis ac ſacerdotalis audaciæ crimen, at perexiguo cum fructu. Imo evincunt inſuper hoſtes libertatis, inſperato jam ſucceſſu incolentes, & clade civium, viribus licentiaque aucti, ut privatæ violentiæ facinus publicâ injuriâ conſummetur. Ipſa Regni Comitia perpellunt ad jugulandam per latus noſtrum Diſſidentium pacem, & ſolemniter juratam nuper fidem turpiſſimè fallendam, perturbatione rerum & iniquitate temporum, vel exſtinctis vel excluſis vel abſentibus vel compreſſis, qui cauſam communis libertatis tutari ac vindicare aſſolebant. Revocatur ab inferis edictum, quod centum amplius annis ante reſtitutam per Lutherum, Zwinglium, Calvinum & alios Evangelii lucem. A Rege Vladiſlao Ingellone vibratum in hæreticos erat, impulſu Epiſcoporum Romanenſium, ex occaſione fratrum Bohemorum, qui Chriſtiani plerique longe optimi & innocentiſſimi, à priſcis Valdenſibus à Johanne Huſſo propaga-

ti, è Bohemia ſolebant in Poloniam excurrere. Id verò edictum annorum lapſu jam obſoletum, & regnante Sigiſmundo Auguſto prudentiſſimo Principe, ultimo ex ſtirpe Jagellonica Rege, uſu moderationis jam antiquatum ac ejus exceſſu poſt annum ſæculi ſeptuageſimum prorſus abrogatum, & conſentientibus omnium ordinum ſuffragiis publicè tandem reſciſſum eſt: fuitque deinceps inter leges & conditiones immutabiles, ſacroſanctas & æternas, quibus regnum delatum Regibus eſt, Henrico Valeſio, Stephano Batthoreo, Sigiſmundo tertio, Vladiſlao quarto, & ei qui nunc regnat Joanni Caſimiro, pax & libertas diſſidentium, velut omnium prima, ac princeps. Eam cùm exemplo majorum ab annis octoginta in noviſſimis electionis comitiis, largiſſimè ac validiſſimè iterum iterumque aſſeruiſſent univerſi ordines Regni, quibus interfuere etiam ex numero noſtro, ſe poſteroſque ſuos obſtringentes *ſub „fide, honore ac conſcientia ſua*: ad omnigenam pacem mu„tuam diſſidentibus in religione Chriſtiana adeoque etiam „nobis, ex more & jure priſco, de quo nunquam fuit „dubitatum, temporibus perpetuis integrè conſervandum, „eique unanimiter reſiſtendum, qui vincula ejus quoquo„modo violenter rumpere auderet; imò junctis omnium „viribus in eum conſurgendum ad ejus exitium, qui pacem illam niteretur evertere. Rex etiam Caſimirus, primum per oratores ſuos in Comitiis electionis, deinde ipſemet in templo Varſavienſi ad Sancta Jeſu Chriſti Euangelia; iterum denique Cracoviæ in Comitiis inaugurationis, Sanctiſſimo jure jurando pacem illam munivit ac ſtatuminavit, tutelamque ejus ac defenſionem verbis graviſſimis ſuſcepit. Et ultimi quidem juramenti hæc erat formula:

Ego Johannes Caſimirus Electus Poloniæ Rex &c. *Spondeo ac Sanctè juro Deo omnipotenti ad hæc Sancta Jeſu Chriſti Evangelia. Quod omnia jura, libertates, privilegia publica & privata, tum pacta conventa per oratores meos cum* Ordi*nibus Regni & Magni Ducatus Litvaniæ juncta manu tenebo, obſervabo, cuſtodiam, & adimplebo in omnibus conditionibus, articulis & punctis in eiſdem expreſſis. Pacem quoque & tranquillitatem inter diſſidentes de religione Chriſtiana tuebor & manu tenebo, nec ullo modo vel juriſdictione noſtra vel officiorum noſtrorum & ſtatuum quorumvis auctoritate quenquam affici opprimique cauſa religionis permittam nec ipſe afficiam nec opprimam. Et ſi (quod abſit) in aliquibus juramentum meum violavero, nullam mihi incolæ Regni, omniumque dominiorum uniuſcujuſque gentis obedientiam præſtare debebunt, imo ipſo facto eos ab omni fide & obedientia Regi debita liberos facio, abſolutionemque nullam ab hoc meo Juramento à quoquo petam, neque ultro oblatam ſuſcipiam. Sic me Deus adjuvet, & Sancta Chriſti Evangelia.*

Contigerunt ea anno octavo ſupra Quadrageſimum menſe Julio. At decimo poſt anno octavo videlicet quinquageſimo menſe eodem, Papali plerique faſcino incantati, Ordines Regni, ac fidei ſuæ, honoris ac conſcientiæ religioſiſſimis nexibus obligatæ turpiter obliti, perculſis qui rectè ſentiebant violentis clamoribus & minaci turbâ, Sanctiſſimam & Saluberrimam pacis legem, tot Comitiorum cautionibus, pactis, fœderibus, ſtipulationibus, tot Regum à Sigiſmundo Auguſto continua ſerie ſuccedentium, publicis Sacramentis firmiſſimè conſtitutam, & nuper adeò tam ſollicitè ac ſolemniter conſtabilitam nobiſcum proſcribunt, noſque hoc feriunt, & natali ſolo exterminant diro decreto.

Quamvis ſectam Arianam, vel ut eam nonnulli vocant, Anabaptiſticam in Dominiis noſtris exiſtere & propagari Lex ſemper abnuebat: quoniam tamen fatali quodam Reipublicæ caſu, nominata Secta non à longis temporibus in dominiis noſtris tam Regni quam Magni Ducatus Litvaniæ dilatari cœpit, quæ Filio Dei prææternitatem adimit. Reaſſumentes & in ſuo vigore relinquentes contra illos ſtatutum Uladiſlai Jagellonis antecesſoris noſtri de Hæreticis, conſenſu omnium ordinum conſtituimus; Quod, ſi quis ejuſmodi inventus fuerit qui ſectam hanc Arianam in ditionibus noſtris tam Regni quam Magni Ducatûs Litvaniæ & provinciis eis annexis auſit attentetve confiteri, propagare, aut prædicare, vel illam & aſſertores illius protegere & fovere, fueritque ſuper hoc legitimè convictus talis quilibet ſuperiùs nominato ſtatuto ſubjacere debeat & ſine ulla dilatione per Capitaneos noſtros & officia ipſorum capite plecti, ſub privatione Capitaneatus. Fautoribus vero illorum tanquam pro pœna perduellionis, forum in Tribunali inter cauſas conſervatas mixti fori aſſignamus ad inſtantiam cujuſvis, ſicuti &

& Capitaneis eorumque officiis: in Magni autem Ducatus Litvaniæ tribunali ex quovis registro. Volentes tamen clementiam nostram exhibere, si quis talis inventus fuerit, qui hanc sectam suam abnegare nolit, ei annos tres ad divendenda bona sua concedimus, salvâ interim bonorum & domorum securitate, atque debitorum repetitione. Quo tempore nihilominus nulla exercitia sectæ suæ supra nominatæ peragere tenetur, nec ad ulla munia publica immiscere sese poterit, sub pœnis superius expressis. Nondum hic acquievit inimicorum sævitia, sed velut nimium indulsissent vendendis extricandis possessionibus perniciosissimo bello misere deformatis, imminutis, impeditis, triennium concedendo infelicibus, annum etiam triennio altera comitia sic detruncant.

Quoniam Comitiis anni proximè præteriti 1658. Secta Ariana seu Anabaptistica consensu ordinum à nobis ex ditionibus Regni eique annexis est proscripta, tresque anni istius sectæ hominibus ad divendenda bona fuerunt assignati nunc vigore præsentis Constitutionis Comitialis, duos annos à tempore comitiorum proximè præteritorum ad divenditionem illis concedimus, ita ut terminus exilii ipsorum præcisè incidat in decimum diem Julii mensis Anno proximè instanti 1660. Quod tamen nocere nequaquam debet iis, qui ad Sanctam Catholicam Romanam Ecclesiam conversi fuerint.

Hoc agebant nimirum ut improvisâ temporis angustia constricti & rerum difficultate circumventi, hoc citiùs à gradu constantiæ ad Papam deficeremus, quò magis ratio deficeret expediendi facultates; aut si omnino sententia staret potiùs exulare, ne bonorum utcunque compotes minùs duram sentiamus exilii sortem. Cùm verò aliqui latebras in regno quærerent, aliquos tegeret nonnullorum gratia Magnatum, & ne hoc quidem ferendum censerent, ut vel pauculos eximerent fato communi, prodiit anno primo post sexagesimum & exilium nostrum mense Majo, Decretum tertium in hæc Verba.

Regratificantes Deo exercituum accepta beneficia anni præteriti, quæ nobis per tam insignes de hostibus victorias contulit, & volentes hanc Divinam beneficentiam hac nostra gratitudine ulteriùs placare, cùm hostes præaeternitati filii ejus è Dominiis nostris proscripserimus; sicuti id jam proximè præteritis Comitiis constitutione anni 1658. cujus hic est titulus: Secta Ariana seu Anabaptistica, & constitutione anni 1659. fecimus; Ita & nunc ne hæc Secta Ariana ullo qui excogitari queat modo, obtecta in ditionibus nostris Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ remaneat, sed potiùs ut ad exequutionem deducantur leges prædictæ, ab omnibus Officiis ac Judiciis requirimus. In Magno autem Ducatu Lithvaniæ talibus actionibus inter causas Compositi Judicii in Tribunali forum assignamus.

Omnes denique alicujus nominis ipsis noti nominatim proscribuntur, recitatâ Varsaviæ & propositæ in publica tabulâ proscriptorum, & omnes quidem inauditi atque indefensi: Tantusque, fuit inclementiæ rigor ut ne fœminis quidem, viduis, virginibus, non senio decrepitis, non morbo invalidis sit parcitum, aut moræ brevis commodum indultum vix ac ne vix quidem tutæ uxores, quarum mariti aut diversa colunt Sacra, aut transiere ad Pontificia. Universos urget lex Edictorum inexorabilis, aut mori jubemur aut solum vertere patrium, aut animi sententiam ejurare, sacra Papalia amplecti: Reformatis, Augustanis, arcemur pariter ut nostris, quo pœnas dare nos constet non quod simus, ut loquuntur Ariani, sed quod non simus aut fiamus Pontificii. Sic visum Deo est arbitro rerum justissimo & sapientissimo, & delicta nostra castigare, & pietatem explorare, durissimâ sane conditione. Inter aras & focos constituti, hac lege examinamur, ut alterutri renunciemus: aut fortunas cum patria exuamus omnes, aut fidem in Deum & Servatorem Christum. Nam à conscientia etiam errante quomodocunque desciscere in gratiam hominum commodi, & incommodi causa, apostasia certè est, & perfidia detestanda; ac Deum abnegat, Deo mentitur qui abnegat animi religionem, mentitur alienam vel meliorem, nedum certissimis argumentis sibi improbatam. Eò cogere tyrannis est deterrima, prolabi impietas manifesta. At pietatem suam sic testatam volunt Christo, commendatam Orbi Christiano inimici nostri. Pacem Poloniæ prope subjugatæ largitus est insperatam Deus: victoriæ insignes reportatæ de hostibus. Hanc ei jam gratiam pro tantis beneficiis rependunt. Hoc eum grati animi officio pacare porrò & placare contendunt, ut

ut nobis civibus & consanguineis suis, hominibus plerisque ordinis Equestris, contra datam publicè & creberrimè fidem contra juratas regni leges, & gentis libertatem, pacem & gratiam eripiant nosque velut odii Pontificii victimas piaculares ejiciant in desertum, in malam omnino rem pietatis genere non sanè desumptæ ex disciplina & exemplo mitissimi Christi, sed genuini Anti-Christi. At Clementiam suam exhibere cupientes concedunt triennium, anno post jam inclementiores, & de clementia sua pœnitentes, biennium bonis divendendis. Ipsi sibi inclementes fuissent visi, si ex sententia edicti Jagellonici morte nos sustulissent, & acrius quidem sed tolerabilius sæviissent. Exulatum euntibus, nulla se offert certa ac tuta exilii sedes. Patria seclusi clausum prope orbem terrarum habemus: quo nos sustentemus in exilio non habemus. Bona relinquuntur, quibus nulla aut pauca aut parum utilia reliquere dispendia, & impendia rapacissimi belli. Aurum, argentum, paratum substantiam rerum mobilium preciosiorem aut rapuit, extorsit miles & militaris necessitas, aut consumpsit vivendi & oberrandi usus. Agri, fundi relinquuntur, sed deformati, corrupti, spoliati, ferro ac igni desolati, justum, hoc præsertim tempore, tempus non relinquitur eos commodè vendendi: Vendendi tamen fuerunt imo propemodum objiciendi anxia concilia præcipitante per extrema omnium difficultatum incommoda, decretorio exilii die. Majorem per agros colonorum partem confecit clades multiplex belli. Habitanda cum frugibus horrea, granaria, ædificia, omnis generis navigia passim plurima eversa, perdita, in cineres conversa; servitia, pecora, jumenta ad paucitatem redacta; Apparatus rusticus, Domesticus, quæcunque operi & quæstui deserviunt humano, multifariam direpta, dissipata. Sic dum prædiis, agris, pro modo & numero cultores, cultoribus desunt adjumenta, nervus maxime rerum gerendarum nummus publicè, privatim defecit, summa undique urget egestas: Turbata etiamnum agricultura nondum pacato fideliter regno adhuc exterminatis prorsus commerciis, reditu interclusо, quo in precio agri, fundi, domicilia aliaque rerum esse potuerint, quæ asportari vel non poterant, aut non expe-

expediebat, quæ forte vendi, plura imprimis multorum, facilè colligant vel imperiti; itaque multis emptor non fuit, aut emturis pecunia non fuit. Etiam ex præcipiti necessitate, emptori lucrum, venditori non leve detrimentum. Vel minimo tamen emi, quæ possidere non licebat, pro lucro erat, & magno beneficio: ab paucitate emptorum penuria nummorum, multa fuere simpliciter concredenda & paucis sua provenit è venditis pecunia, eam exspectant à sola emptorum & novorum possessorum fide bona, ac fortuna prospera. Nam proscriptis & infamia notatis, leges nostrates non subveniunt, ne per procuratorem quidem jure enim aliquo experiri, & judicio sua repetere concedunt. Tum quibus aditus patet in Aulam, diplomate impetrato quæ habent in regno bona proscripti, hi facile sibi vendicant jure, quod vocant, caduco, ceteris Christianis gentibus incognito, nobis jam cognito nimis. Ita domi hactenus locupletes, peregrinantur pauperes. His tamen medica res est unde vitam tollerent, & spes quâ animum sibi sustentent: At non est unde egenis de more succurrant, præsertim, quia paucioribus tantum constantiæ, ut exemplo Mosis præoptarent adfligi cum populo Dei, quàm temporariis frui commodis peccati. Plures ditiorum terrifica facies exilii extra ordinem iniqui perpulit ad defectionem. Mori se posse profitebantur, at cum liberis ac conjugibus discrimen adire tristissimæ mendicitatis à se non impetrabant. Nimirum quibus erat plus præsidii minùs erat animi, hoc ipso eos debilitante quod debuerat corroborare; quasi plus esset multum amittere, quàm nil aut parum habere. Nam illi quidem utcumque imminuti habere tamen poterant, qui frugaliter viverent ipsi, & quo nil aut non satis habentibus aliquatenus subvenirent; nunc eorum defectione gravius angimur defectu auxilii. Ergo Christum deseruere, quibus plus erat copiarum; sequuti sunt, quibus plus virtutum. Nam Christum certè deserunt, qui conscientiam deserunt. Ne eam derelinquamus, omnia potius relinquenda statuimus. Sic duce & auspice Christo confidenter accingimur ad peregrinandum, *quo fata trahant retrahantque.* Pars agmine facto supra trecentos & octaginta, exilii sede

 Clau-

Claudiopoli delectâ, in Transylvaniam iter intendunt, sed auspiciis profectò infaustis. Hos infelices qui velut naufragio servata, omnia sua secum portabant, ad fines Hungariæ, ubi in oppido quodam hospitabantur, miles impius inopinanter invadit, deprædatur, despoliat, exuit penitus. Claudiopolitani quidem fratres, etsi expilati jam ipsi & crebris exactionibus, Transylvanorum, Scytharum, Turcarum, omni prope auro & argento eviscerati, ne Ecclesiæ quidem peculio intacto, succurrunt tamen magnificè, nudos vestitu, egentes commeatu, inopes viatico instruunt, vehicula itineri submittunt, humaniter in urbem suam eos deducunt, & non tectis tantum, sed mœniis etiam suis amanter excipiunt, omnibusque fraternæ caritatis officiis humanissimè prosequuntur. At gravis illic aër & transmontanis præcipuè infestus, tum temporis verò pestiferè infectus, subito corripit internecina lue novos hospites quæ eos non decimavit, sed ne decimas quidem reliquas fecit ex omni numero vix servatis ultra tricenos. Strages hæc luctuosissima in malis an in bonis nostris reputanda sit, ambiguum faciunt tot rerum nostrarum discrimina & exitium prope Transylvaniæ universæ belli, incendio longè crudelissimi. Exules certè Deus infelices ærumnis exemit inexplicabilibus, & Claudiopolitanos fasce exoneravit cui ferendo impares jam essent prostratæ funditus eorum vires calamitatibus infandis. Cæteros nostratium vestigiis territos funestis, cum eos etiam furor armorum Transylvaniâ discluderet, suus cujusque usus & locus longè sparsit per vicinas Poloniæ terras, Silesiam, Marchiam, & Borussiam Brandeburgicam. Cruciburgi imprimis in ditione illustrissimi Ducis Bregensis, Reformatæ religionis principis, plures consederunt, cum bona quidem ad tempus venia Illustrissimi Ducis, & libertate domesticâ optatâ Deum colendi ex nostro instituto; sed quam esse nobis diuturnam ac stabilem, æquo saltem animo neutiquam ferent invidi nostri ac adversarii. At sic munere Dei ac Indulgentia Clementissimi Principis, ubi vivamus jam habemus, sed plures non habemus unde vivamus. Sunt quidem plerique exulantium genere Nobiles, sed sibi nequaquam omnes sufficiunt, paucis facultas inopes juvandi.

juvandi. Alii munus gerebant in Republica aut Ecclesia. Alios agri alebant conductitii ratione apud nos commodissimâ. Alii majorum gentium nobilibus & magnatibus à negotiis erant & ministeriis, qui omnes vivendi conditione dejecti, post gravissima bellorum damna, aut ægrè aut non inveniunt, quo vitam honestè tueantur. Sunt præterea Ecclesiæ Ministri & inter eos ætate grandes, tot annorum continuis incommodis plerique ad famem usque exhausti, & vel ipsa muneris sui sorte ac invidia, omni ratione destituti, sibi suisque victum quærendi. Artifices, operarii, & qui quæstum exercebant aliquem, omnes communi sorte patriæ attenuati, & plures jam illic subsidii egentes è terra, ubi facilis annona, ratio facilis parandi rem jam nota sibi ac familiaris, in omnis generis ejecti sunt in exilium ejecti sunt. Rudis apud nos difficultates, cum in exilium ejecti sunt. Rudis apud nos artificum, negotiatorum & operariorum minerva; & quæstu opificio quovis in civitatibus germaniæ prohibentur peregrini. Exercitium indiget sumptu, apparatu, materia, favore, tempore, locorum, hominum, morum, occasionum notitiâ, quorum fere omnium laborant nostri inopiâ, & quia inopes, & quia novitii sunt peregrini. Ipsa paupertas nostra, quæ ingenium ac industriam solet augere, sibi impedimento est, & ut auget inopiam consilii ita ab eadem augetur. Tum sermone etiam patrio à toto ferè Christiano orbe longissimè dissociamur. Concurrunt denique ac conspirant inimicè omnia quæ affligere hominem vel robustissimum animum dejicere & reddere nobis possunt tristem, difficilem, molestam, quin & deploratam exilii sortem: nisi quod Dei munere singulari, Illustrissimi Ducis Bregensis eorumque qui ei à consiliis, oppidi in quo plerique commoramur Rectores, Ministros Augustanæ confessionis, incolasque amice nobis cupientes ac faventes experimur. Si jam ea indoles misericordiæ est, ut solâ miseriâ commoveatur apud homines ab humanitate non alienos: quo affectu pectora Christiana commovebit nostra tam multiformis, multijuga & modis omnibus acerba. Certè si diffidere ac desperare posset homo Christianus, videri possimus proximè abesse à desperatione.

Sed

Sed merito fortasse nostro miseri sumus sic judicabunt multi, & pœnas nos condignas luere hæreseos impiæ. Impietatis quidem ac hæreseos nullius conscii nobis sumus: Imo studio unius pietatis ac veritatis, tristissimum hoc nostrum testamur exilium, extrema subimus ac perpetimur. Error hæresis non est, innoxius, quietus, modestus, tractabilis, sed veritas etiam sediuosa, factiosa, schismatica, violenta. Errare humanum est in primis in mysteriis Divinis, quæ necessariis & salutaribus exceptis, plurimum semper habent caliginis. Verum si erramus non magis volentes erramus, quam miseri sumus; atqui vel toto erramus cœlo, vel minime erramus, cùm misere potius oberramus extorres quam ut erroribus hæreticis Papicolarum subscribamus coacti. Isthoc saltem nomine causa & miseria nostra favorabilis est apud eos omnes, qui idolo non favent Romano. Martyrem scimus causam facere non pœnam. At bona omnino causa est, conscientia bona, maleficio, scelere, flagitio nullo obligata, nulli infesta, omnibus amica, vitæ innocentis studio probata, inprimis soli Deo ac Dei oraculis simpliciter addicta, etiam cum perperam habitudine mentis capit multa. Pro ea qui ultro ac volentes patiuntur, pro Deo patiuntur, optimæ semper cùm virtutis ac pietatis germanæ sit documentum summum, patienter ac libenter pati dura, ejus amore. Et hoc est quo bonis omnibus sive consentientibus, sive in nonnullis aut pluribus salva fiduciâ & obedientiâ, Servatori debitâ, dissentientibus nos commendamus & commendatos fore confidimus. Damnant nos tamen adversarii hæreseos, & exilii ob hæresin: sed lege quâ olim cùm nondum nos essemus, damnati Hussitæ, Valdenses, nunc omnes damnantur Protestantes, Damnant nos hæreseos ejusdem ab omnibus damnati omnes damnantes qui Papam & ejus placita non adorant. Damnant nos, à quibus damnati, prope approbari est. Et de quo damnamur, de eo damnamur omnes nunquam auditi, nedum defensi, minimè convicti. Est illud quod hostes prææternitatis Filii Dei simus, eam illi adimamus. At Filio Dei nos tribuimus, quicquid liqui-

liquidò tribuunt Literæ Sacræ. Habere eum lubenter fatemur, imo urgemus quicquid dare potuit Pater, Filius accipere, imo quicquid Pater habet, eo excepto quod Pater est: hic omnia à se, is à Patre habet; excellentissimâ, qua concipi & esse potest, plenissimaque ratione vere proprius & unigenitus Dei Patris filius, eoque æternæ ejus naturæ ac divinitatis amplissimè consors, ac verò inde, & sublimi supra omne nomen nomine Deus in secula benedictus super omnia: majestate hoc solo inferior Patre, quòd Patri referat acceptam, Pater cum cuncta ei subderet, seipsum exceperit; atque ita par & æqualis Patri, quo usque Filium valuit infinitus amor de potentia Patris sibi exæquare, adeoque Filius tam consummatæ, & omnis divinitatis numeris absolutæ perfectionis ut esse & gigni à Deo Patre perfectior non posset. Si jam omnes forte non percipimus infinitæ illius perfectionis modos, ac gradus: si quid forsitan hallucinemur in tam arduo mysterio, dum ita & merito studemus eminentissimæ supra omnem altitudinem dignitati Filii; ut ne interim impingamus in prærogativam Patris non segniori cura tuendam, summa æquitas & modestia filii, eam tam disertè, tam crebro, tam sollicitè asserentis, summa bonitas & indulgentia Patris, eam sibi apertè vindicantis, severè indignabitur, inclementer, aversabitur, summo utrumque cultu, addictissimo obsequio pie venerantes? Si conciliare non possumus genitum prææternum: prææternitatem filii cum prææternitate patris: duos æqualiter prææternos, alterum patrem, alterum filium, alterum gignentem, alterum genitum; inprimis cum nusquam disertè id asserat pagina sacra, vis ipsa vocum patris & filii videatur repugnare: Si nec Patrem propterea, nec Filium, nec gignentem, nec genitum intelligimus, nec capimus in absoluta prææternitate utriusque patrem qui non sit prior filio, gignentem qui non sit ante genitum: cum æternus sit Pater, quia ex seipso, à nullo, ingenitus, origenis expers, & origo omnium, etiam filii: qua ratione filius patri coæternus sit, qui è patre est & genitus est, omnia à Patre habet, etiam quod est,

&

& filius est. Ista si captum excedunt nostrum, si quo pacto consentnon videmus, hoccinecrimen est *brevibus Gyaris & morte piandum*, maximè cum nemini nostra obtrudamus, iis qui hic à nobis dissentiunt, ea se intelligere, capere, explicare posse, aut saltem ut vulgo traduntur, tenenda esse autumavit, nequaquam cupiamus esse molesti, neminem ob ea ab amicitia nostra & fraterna societate arceamus: discere denique ac proficere amemus, meliora nobis se habere, afferre existimantes benevole audiamus, in nullius verba juremus, nisi unius Christi? Vos omnes ac singulos ô Christiana ac fraterna pectora, per charitatem Dei φιλανθρώπȣ, per viscera Christi Servatoris, omnibus precibus oramus ac suppliciter obtestamur, ut infelicissimos exules non dedignemini, sed egestatis eorum deploratæ miserti, promptâ ac largâ eam manu benignè sublevetis. Quocunque nomine flecti potest animus humanus ad miserandum, Christiana caritas ad opitulandum in iis se vobis offert. Causa est constantia fidei in Deum, fuga superstitionis & tyrannidis papalis, & omnino studium conscientiæ bonæ, pœna omni titulo divini ac humani juris violentissima, injustissima: calamitas exilii modis omnibus acerbissima, tristissima. Qui respicere nos nequeant ut fratres, scire tamen velimus se ita respici à nobis & suos, re nostra & patria integra, ita respici solitos Protestantes, nec unquàm defuisse nos occasioni, exules, adflictos, oppressos, omnibus officiis ac copiis fovendi, recreandi, erigendi. Saltem respiciant hunc affectum, hoc studium nostrum. Respiciant saltem ut exules caussâ Conscientiæ, cuncta posthabentes obsequio Dei: qui qualescunque sunt. Viri saltem boni sunt & bonorum benevolentia digni. Respiciant ut oppressos à communi hoste quod deficere ad hostem, pro mandatis Dei commenta hominum, pro Christo Papam amplecti recusamus. Respiciant nos saltem ut miseros & supplices ex necessitate qua non possunt aut sorte non esse miseri, aut animo non esse impii. Respiciant denique nobis cum seipsos, & hoc divini Psaltis pium effatum, *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus*: Tum hoc quoque memorabile in hac causa Servatoris *oraculum*: *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Contra illud Jacobæum, *Judicium absque misericordia erit ei, qui non præstiterit misericodiam & gloriatur misericordia adversus judicium.* Deus omnis consolationis & pater misericordiarum misereatur nostri, & solatio cœlesti clementer nos erigat: Vobis autem largiatur, Fratres, Amici, ut miseros amanter miserantes, nunquam ullatenus sitis miserandi, & bonis porrò vos omnibus cumulet ex voto. Hoc præcamur, Fratres, Amici, eo affectu, quem nobis optamus.

Dat. Cruciburgi.
17. Junii An. 1661.

Omni vobis studio fraternæ voluntatis addictissimi

Jonas de Bucowjec Schlichtingius.
Stanislaus de Orzechowiec Orzechowski.
Stanislaus de Bebelno Goslavius.
Gabriel a Raciborsko Morztyn.
Tobias a Raciborsko Morsztyn.
Daniel Leocki Minister.
Joannes de Bucohwiec Schlichtingius.
Christophorus a Mierzeri Miercerioki.
Alexander Sierakovius de Sierakow.
Georgius Ciachovius a Brzesnica.
Johannes Preus Minister.
Jonas de Bukowiec Schlichtingius, Jonæ filius.
Samuel à Pribcowice Przypkowski.
Johannes a Moscorow Moscorovius.
Wiszowaty Krzysztof.
Mikolay Lippi.
Joannes Wezyk Widawski de Widawa.
Maximilianus Wezyk Widawski de Widava.
Stanislaus à Wilkow Wilkowski.
Andreas Thaszycius a Luclawice.
Proto Golecki Z Goloze.

Chri-

Christophorus de Golca Goleki.
Andreas a Moscorow Zachovius.
Iohannes Przypovius a Przypkowice.
Adamus Zachowski de Moscorow.
Ioannes de wilkowice wilkowski.

FINIS.

ADDENDA & EMENDANDA.

IN AUCTORIS VITÂ.

Pag. 2. lin. 7. cœterisque qui eò
Ibid. l. 23. suam condecoravit.
3, 12. transierat. Ex istâ fideli in omnibus periculis & molestiis vitæ sociâ, tres suscepit filios, qui omnes cum matre adhuc superstites, duasque filias. Hæ postea parenti mox secuturo præiverunt.
4, 6. Slichtingius, quod sibi in Patriâ propter editam fidei confessionem damnato manere tutum non esset
5, 10. Urbs tunc temporis
Ibid, 29. confirmatum esse. Cui etiam (sic tum eluso illo â quo Religionis fundamenta sæpius audire avebat ideoque meliora edoctus erat) adhæsit usque ad finem, & eum quidem luctuosum; quem non diu post sortitus est, Comes præstantissimus, longiori vitâ dignus. Inde, noster Olivam profectus est
8, 7. pudore suffudit
Ibid, 21. *dele* tantoperè laboravit.
p. 10, 8. Cibo infusum
Ib. 11, voluit, idque vitio
Ib. 14. exhalasse) quasi
Ib. 17. venenum prius ambas
11, 2. Sunt enim ad ipsum
7, 2. debet: de quorum
Ib. 10. Anno 1140.
Ibid, 28. lib. 41. c. 1.
8, 23. ipse adversantium
9, 14. tum fusi sanguinis
Ibid, 23. Quis, vel integra
12, 2. adhærentes
Ibid. 10. amantes in medio
15, 2. Czerscensi ad Neveliam
Ibid, 22. exonerant, affecisset clade. Ille Turcarum
Ibid, 30. ad eum
16, 22. Iste enim
Ibid, 34. exhibitam
Ibid, 36. Joanni Scholt uni ex
17, 11. Budzinius
Ibid, 31. impietatem zelo
18, 11. honesto cive
Ibid, 19. dono oblatarum
Ibid, 28. Petro Cmitæ
20, 24. de Patzo Episcopo
21, 13. Kozakovio
Ibid, 33. Choinicius fuere) *puta, & Episcopi & Cancellarii simul.*
Ibid, 36. Gastoldi
22, ult. iniquam
23, ult. & ita vino tùm
24, 33. Czarncovius
25, 27. salutis amorem
30, 10. Nos ex
Ibid, 32. Pobiedzinski *ibid.* Dziaduski
31, 10. Subcamerarii
Ibid, 29. usitata
34, 10. Rupnioviæ
Ibid, 34. Idem temporis
35, 1. Stobnitza
36, 7. satis apertè
Ibid, 8. injustitiâ
38, 15. Italia præsertim
Ibid, 18. cusæ machinæ
41, 5. Ferdinandi I.
47, 11. in palatium vestrum
Ibid, ult. illam primum
48, 33. Dluski

IN IPSÂ HISTORIÂ,

P. 1. lin. 22. Opinionis hinc, illinc
6, 13. quidem, Gangrense & Toletanum I, Cleri cælibatum

52,

52, 26. Niemfta
Ibid, ult. alternis
56, 5. *dele* Synodus Pinczov
Ibid, 32. libros (quafi redeunte
Ibid, 34. intra 30 annos, 15 fcil.
57, 24. veritatis, ambitio
61, 24. Gnefnenfi &c. & aliis
Ibid, 38. in inauguratione
64, 13. Lukifcis
65, 35. Lafocius
67, 16. illatam
72, 29. chariffimum effe
84, antep. ne dum fe
87, 5. tamen per Majeftatem
90, 18. finem nefcit
92, 19. Hofii & aliorum
102, 25. palam fit hoc nomine
107, 13. *potius* Anno 1562 *ut inferius lin.* 35.
108, 7. iftam Valentini, per tyrannidem Pontificiæ affinem, quam Cainus in Abele, Calvinus in Serveto prius exercuerat, atroci fupplicio puniri, mortem,
Ibid, 27. Forgiarum
110, 7. Lutheranorum perftrinxit,
111, 2. omnium undique Fidelium in eo,
Ibid, 4. Slaveoviæ
112, 1. Vilnenfibus
Ibid, 31. puram fimplicitatem
113, 7. citra perfidæ
117, 19. Slomnicenfi
118, 12. nonâ in Synodo
126, 1. Jacobo Sylvio
141, 8. confervare
145, 15. profeffos extemplò
148, 31. verba hæc: *Ex M S. Joannis Stoinii, qui hujus Statorii nepos fuit.* refer ad marginem.
151, 28. cum tam ardentem
157, 6. Bakfchajus
163, 33. in Siekluka
Ibid, penul. Siekierzynski
165, 22. *nihil deeft, dummodò lin. præc.* publicati *legas, non* publicatos.
166, 35. *fortè* Martino Czechovicio, *Paulò antè M. S. fic habet*: Wendrogowski Vilnen:
168, 5. Siemionum Aulicum
170, 5. non poffe.
183, 22. nonnulli non
185, 35. concipiant, ftimulabit,
187, 9. de his prophetetis
188, 6. foret ruere regnum
189, 31. primordiis Chriftianifmi
190, 20. ac in quibufdam locis
Ibid, 23. fratres in Pruffiâ faciunt) *NB. faciebant. cum hæc Author fcriberet anno 1665. propter metum Adverfariorum, diffuadentibus tamen & invitis nonnullis; poftea id non fecerunt.*
Ibid, 27. Nicolaus Scecocius *paulò poft* Cujavienfes
Ibid, 35. exercitâ præclarus
191, 11. ardore ejus adeò fuit perculfus
Ibid, 15. (quem *nimirùm* Petrum Cafimirium
Ibid, 22. Lafzcziorum
Ibid, 27. Brudzovio Palatino
Ibid, 34. Staniflai Zolkievii *paulò antè* Zamofcio
Ibid, 36. promovebat
192, 1. fplendidè veftitus
Ibid, 26. Palatinus ab infigni gentilitio uxoris fuæ Gnoiniæ, Polonicè
193, 3. Gregorio invidiâ Calvinianorum, Palatinum &c. concitantium, ferventi tinctâ veneno Cracoviâ Racoviam pulfo
194, 29. confpiraffe, meritò
195, 7. Quæftori Philipovio
196, 15. ifte dictis
200, 15. *contra Wujekum*
208, 2. Kiffelino Voliniæ *mox* Czaplicius
ibid. 12. fefqui milliari
ibid. 24. Pinczovianâ Numero XII. Anno. *fic corrigendum quoque lin.* 33. *hujus pag.*
211, 35. fcrupulum eximente
214, 21. lati, fruftra
217, 36. nominatim
218, 23. Swiechovio
223, 22. inexpugnabilis
232, 6. cantu ter audito
ibid. 18. contumeliofis verbis
ibid. 26. anthropophagi non
233, 24. voluiffes à me
ibid. 28. articulo non ex diametro repugnet, ut & vocibus illis, differre, idem effe, realiter, effentialiter, ratione, unum, trinum &c.
235, 8. Undè & Paulum verifimile conqueri
ibid. antep. ac caufæ, *poftea*, Marfil. Fic.
236, 12. univerfi procedere
ibid. 23. intellectum puerum purum & formofum, filium inquam à Patre plenum &c. Quale enim eft id quod eft in mente, tale fermè cogitatur quod eft in uno illo, quamvis fit longè præftantius. *poftea*, Ubi profectò quod eft diffufum, alterius eft imago. Illud autem unde hoc emicat, lumen eft proculdubio verum: non tamen imago diffufa, &c.
237, 2. fic pendet à bono
ibid. 3. folem, quam fundit ex fe ficut lumen fplendorem.
241, 32. addicti, patrocinio gavifos
249, 2. militis. *poftea*, ferocia
253, 30. patroni obitum,
258, 10. vivere, edocet; denique
ibid. 18. Ibi literas Lubieniecii,
ibid. 19. Anti-Pontificiorum
ibid. 27 manifeftæ calumniæ, tam
ibid. 28. injuriam inferre
266, 12. *ita fuppleo*, calumniam ftruit, fingit ab uxore fuâ, ob religionem Catholicam, alienatam effe, per affinem, legit.
269, 17. compefcituros, coegit.
271, 27. latæ per fævitiam genti libertimæ infolentem, coortâ procellâ, graviffimè concuffa.
273, 18. Chriftianus Pyrnerus
274, 33. adjurationis
276, 14 Owrucenfi *fic & p.* 277. *lin.* 28.
ibid. 31. & Sieniutovienfi
277, 1. diftrictûs Luceorienfis
ibid. 18. Czerniechovianam
278, 24. quanto magis tu
ibid. 30. dolorem, ire per veftigia
279, 10 commendatæ quondam
280, penul. nec dum fancitâ
283, antep. diftrictus eft, Chrifti &
287, 16. hoftium, fica inimic.
288, 5. fratrum tributos,
ibid. 29. accifa
ibid. 31. fopita, dum bellum ei paratur
292, 20. confervandam
295, 10. & propofitâ in publico
296, 24. anxia confilia
297, 1. quâ forte
ibid. 12. jure cum aliquo
ibid. 18. vitam tolerent
300, 22. hebetudine mentis
302, 6. effe autumant,
303, 23. a Mierzen Mierzenski.
ibid. ult. Piotr Goletzki zGolcze.
304, 2. a Mofcorow Lachovius,
ibid. 4. Adamus Lachowski.

* 2



